

MINISTERIO DE AGRICULTURA
COSTA RICA
SALA A
CANTON 3
PARRA
238

15
A-15

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20

Form with handwritten entries:

State	A
Year	93
Title	
Page	238

2

1

H-173

Form with handwritten entries:

	1
	H-173

R 2453



INCOMMODA PROBABILISMI, DEDUCTA

Ex Propositionibus quinquaginta quinque damna-
tis ab ALEXANDRO VII. & sexaginta quinque ab
INNOCENTIO XI. Romanis Pontificibus,

AFR. LUDOVICO VINCENTIO MASIO

DE CASAVALLIBUS, ORD. PRÆD.
in Academia Valentina S. T. Professore Primario.

EDITIO SECUNDA,
REGALIBUS VINDICIIS AUCTA.




VALENTIÆ:

Apud JOSEPHUM THOMAM LUCAS, S. Inquisit. Typ.


M. DCC. LXVII.

CUM APPROBATIONIBUS ET LICENTIA SUPERIORUM.




De uso del P. Fr. Archangel de Sevilla
Misionario Prop^o en Granada año del 1772.
De Licencia de sus Prelados =

aplicado a la Lib^a de gran
de uso de N. M. P. P. P. P. P.
fr. Ant^o de Puerto año 1825



SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XIII.
PONTIFICI MAXIMO,

F. LUDOVICUS VINCENTIUS MASIUS,
ORDINIS FF. PRÆDICATORUM PROFESSOR,
Sempiternam Felicitatem.



S ego, BEATISSIME PATER, qui pridem
Theologicæ doctrinæ & discendæ, & tradendæ in
regio Prædicatorum Valentiaë majori Conventu, per
aliquot annos operam nactus qualem qualem; tan-
dem

dem supra triginta eandem, licet muneri impar, in Valentina Hispaniæ Tarraconensis Academia doceo, jam sexagenario major, à tractatu *De Conscientia* auspiciatus. Hoc autem toto annorum spatio sacris concionibus, Catechesim Christianam exponendo, excipiendis confessionibus, dubiis moralibus & voce, & litteris decidendis, cæterisque consuetis Institutionis nostræ ministeriis, quoad licuit per Scholæ numerosa & onera, institi pro mea tenuitate. Hinc verò quantum laboris, contradictionis, periculi, difficultatis obeant omnes, qui pro dirigendis conscientiiis vulgarem Probabilistarum regulam circa moralium opinionum praxim, hodie in Hispania receptam, respuunt, experimentò didici. Sanè præmissâ, uti principio firmissimo, & identidem repetita passim communi eorum regula de usu licito, & tuto cujusvis opinionis moralis, etiam minùs probabilis, ac minùs tutæ juxta Probabilissimi sensum, id est, nullâ habitâ curâ de ipsarum opinionum veritate, imò etiam si falsæ ab operantibus judicentur, vel reputari prudenter possint, aut non potius veræ, quàm falsæ; quæ non Theologiæ Christianæ subversio, quæ non sequatur morum strages? Eventus ipse damnatarum Thesium à Prædecessoribus tuis ALEXANDRO VII. & INNOCENTIO XI. palàm facit; quam nuper edidi, *Prædamnatio Augustiniano-Thomistica* utcumquè ostendit; atque demonstrant alii. Ast nunc horrentia Probabilissimi nonnulla consuetaria, eructantia ex hoc in illas assertio-

nes de eadem proscriptarum materia, frequenti, & obvia, quæ sic communi Probabilitatis usu receptæ sunt, quasi divinæ Leges, & Apostolica ea Decreta essent abrogata penitus penes emanantes ex illis sponte sua, hasque vel derivantes, edo.

Hocce opusculum convenientius nemini offerri poterat, & consecrari, quàm TIBI, Maxime, ac Optime PONTIFEX, cujus vita spirans est Theologiæ Christianæ commentarius, assertor, propagator, vindex. Per TUAM ergo suavissimam clementiam liceat, exiguitatis meæ nomine elucubratum, PONTIFICIÆ Majestati, nominique TUO, gentibus omnibus venerando, dicatum prodire in publicum, ut justæ reverentiæ, ac pietatis officium (quod vehementer optabam) Apostolicæ SANCTITATI TUÆ persolvam. Ad quem enim respicies, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremementem sermones tuos, propriæ non immemorem pusillitatis, sicut neque magnitudinis brachii TUI inscium? Etsi ad supremam Sacerdotii, Regniq; majestatem ea omnia, quæ in TE sunt eximia præclaraque, viam paraverint; TUI nomen & famam cùm primis illustravit, & auxit profusa in egenos, ac pauperes liberalitas, atque munificentia; quæ non tam virtus, quàm natura TUA esse visa est: quippè, quæ Tecum ab infantia crevit, in perfectam deindè charitatem adulta (quæ sacri Ministerii TUI, & Principatus anima est) è Patavina in Apostolicam Sedem Tecum, obluctante licet, conscendit; in

qua Pauperum Pater, atque Misericordiarum perfugium omnium ore prædicaris, quaque, ut & omnibus heroicis virtutibus, non minus, quam supremæ Potestatis primatu, toti Orbi Christiano venerandus effulges. Igitur quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis, & cinis.

Ferrerius noster, secus cujus pedes eruditus sum juxta veritatem Doctoris Angelici, *Tyrsum*, & *Camargum* sequutus, Prædecessori quoque tuo BENEDICTO XIII. suum de *Conscientia* tractatum nuncupavit, in expectationem magnam erectus, eum momentosam controversiam de *probabili* aliquando disceptaturum. Reposita est hæc spes mea in sinu meo ex illa die, qua TE divinâ Providentiâ renuntiatum fore audivi, ferventibus omnium votis, Summum Sacrorum Præsidentem, PETRI successorem, Vicarium Christi, Christum Domini: Eo vel maximè, quod & olim ad Patavinum Episcopatum divinò proventus consilio, non multis à *B. Gregorii Barbadici* annis, cum ipsum, & *S. Carolum Borromæum* ad imitandum TIBI proposuisses, relicta ab iisdem pastoralis sollicitudinis, regendæque Ecclesiæ documenta, & exempla, tantâ es contentione æmulatus, ut eorum expressisse mores, & indolem, sensus quoque ipsos, & spiritum quodammodo hausisse videreris. Quò enim Illi divini honoris asserendi, promovendique zelo, quò animarum salutis procurandæ assiduo, fragrantique studio agebantur, eò incensus, animatusque cum esses; cogitationes & curas

in

in id omnes contulisti, ut Religionis, ac pietatis officia, Sacrorum cultum, Cleri, Populique disciplinam, Christianæ catechesis frequentiam, bonarum artium, litterarumque studia, Seminarii incrementa, Ecclesiæ demùm TIBI commissæ sanctitatem, jura, dignitatemque restitueres, foveres, amplificares; atque in tuto collocares, permaneretque, Probabilismo adversas præscriperis ei tenendas *Saniores Doctrinas*.

TUA sunt hæc & nunc studio, zeloque ferventiori, in celsiore fastigio speculæ pastoralis semper vigilans, & confirmans. Profectò conditor antiquæ fidei, ac disciplinæ, impletam mensuram scandali projecisti retrorsum, avertens oculos nostros, ne videant vanitatem Probabilismi in Trinitatis deificæ, & Incarnati Verbi Mysteriis; eundem repulisti in finem à Clerico negotiatore; atque dejecisti eum, dum allevaretur. At, PATER SANCTE, Antistitum Hispaniæ primores ab anno. 1717. ante Thronum tuum Apostolicum non cessant clamare quotidie, supplici confessione dicentes: nisi succidatur arbor mala, frustra obviantes secantur rami, fructusque maledicuntur: Rhamni incendatur radix, & non erit unde spina procedat: mittatur Apostolicum sal, non in fluvium, rivulosve trecentarum & ultra, quas deferimus, propositionum, sed in Probabilismum, earum fontem; & sanata sunt aquæ hæ, ac non erit ulterius in ipsis mors, nec sterilitas bonorum morum. O utinam brevi! Neque de mora longiore meritò timendum videtur, cum &

a 4

hu-

mentissimum, à cujus benignissimæ charitatis visceribus, si difficillimum remedium nostrum foret, expectare tamen liceret. Num autem non difficile, sed planè facillimum est.

Jubeat tantùm SANCTITAS VESTRA, efficaciterque constituat (neque enim, licet gravis & seria, mera admonitio sufficit, ut mihi expertissimo constat) nè Jesuita ullus domi, vel foràs, publicè, vel privatim Probabilissimum umquàm docere audeat, neque artibus directè vel indirectè quemquam prohibeat, aliquandòve impediatur à doctrina contraria discenda, vel docenda; idque cunctis innotescat, à SANCTITATE VESTRA seriò fuisse præceptum propter commune bonum Societatis: & nulla mora erit, parebunt omnes, certus omninò sum, nec audebit quisquam mutire ex his etiam, qui modò insinuationes, & admonitiones (quæ plures extiterunt, sed ferè irritæ) pluribus, apparentibus, atque sinistris interpretationibus ALIO DUCERE volunt, neque sibi resistere, palàm etiam contendunt.... Denique exulabit contentio, & brevè salus erit corpori non mediocriter, sed periculossimè ægrotanti. Neque verò in præsentì rerum statu Decretum, aut insolitum, aut nimis severum videbitur illis etiam, quibus displiceat. Notum est omnibus, in Ecclesia complures Academiàs Catholicas, plures Sacros Antistites, plures Synodos Diocesanas, imò & nonnullas etiam Provinciales, plures Ordines Religiosos severè proscripsisse Probabilissimum, & à se penitè protrudisse. Nullis autem quàm Jesuitis minùs videri insolitum debet, qui vel in ipsis suis Constitutionibus, à Sanctissimo suo Parente conditis, & à Sede Apostolica totiès probatis, hæc verba disertissima legunt: SEQUANTUR OMNES IN QUAVIS FA-

CULTATE SECURIOREM, MAGISQUE PROBATAM DOCTRINAM. Quibus Probabilissimus à Societate, antequàm nasceretur, proscribitus est....

Nè igitur patiatur SANCTITAS VESTRA, ut aliquandò jaceat edificium, non alia primò manu, quàm Sede Apostolica erectum. Ergo convertere, PATER BEATISSIME, respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quàm plantavit dextera tua. Tantum innotescat omnibus de Societate, quid SANCTITATIS VESTRÆ definita voluntas ferat, ut nemo possit de illa, dubitare; & nihil ultra reliquum sit. Ostende facièm tuam, & salvi erimus. Quæ reddiderunt illi, hæc & vota, quæ distinxerunt labia Camargi.

Ego verò, SANCTISSIME PATER, ad gratias potiùs Domino Deo nostro agendas me converto. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & una Trinitas, una & summa Deitas, sancta & una Unitas, quia fecisti nobiscum misericordiam tuam, facis, & facies sub tanto PONTIFICE constitutis; super cujus mentem propter magnam gloriam tuam illustrasti facièm, atque illuminas insigni pietate, exquisita eruditione, prudentiâ à longo rerum usu comparata, & quasi jure hæreditario transfusa; patientiâ laboris, constanti boni & æqui studiò, magnanima humilitate, amore pacis, alienoque à partibus animo, modestiâ, & mansuetudine eximia, propensâ ad benefaciendum omnibus voluntate secundum multitudinem misericordiæ nominis sui: qui singulis compassione proximus, præ-

omnibus contemplatione suspensus, nec interiorum curam in exteriorum occupatione minuit, nec exteriorum providentiam in interiorum sollicitudine relinquit. Ita consensione summa cuncti proclamant.

Gratiarum actioni preces adjungo ferventissimas, quibus flagito SANCTITATI TUÆ vitam prolixi-
am, Clerum ubique canonicâ disciplina florentem, Domum tutam, Principatum securum, Populum probum atque fidelem, Orbem Christianum ex omni parte quietum & pacatum, & quæcumque Optimi PONTIFICIS vota sunt. Servet Populo suo ad multos annos sospitem, incolumemque Episcopum Episcoporum, à quo, ut ab exemplari, atque pretiosa ejusdem excitatione *A quo die*, discunt per semetipsos pacere gregem Sacramentorum ministeriò, prædicationis verbo, eleemosynarum abundantiam subsidio, sanctæ conversationis exemplo.

Dum autem BEATITUDINI TUÆ istud totâ animi devotione, ac demissione nuncupo, cætera itidem opuscula, quæ in hanc usque diem in publicum emisi, emiserimque de reliquo, sacris pedibus supponens, & Apostolico judicio, ac censuræ in omnibus subjiciens, humillimè precor, SANCTISSIME PATER, ut me Pontificia benedictione digneris consolari.

PROLOGUS INSTAR GALEATI.

I. **Q**Uò animi sensu primores Hispanorum Antistitum, supplices coram Apostolica Sede anno 1717. ferè quadringentas ex operibus *P. Martini Torrecilla* decerptas deferunt Propositiones, sic Summum alloquentes (a) Pontificem: *Cùm ex præfatis Propositionibus satis superque appareat, ad quantum LAXITATIS gradum MORALE pervenerit, certòque credamus, tot ramosas, pariterque & virulentas laxitates ex aliqua fecunda, verèque maligna radice prodire, illàque foveri, ac nutriri, suoque influxu in arborem tam grandem sine mensura excrevisse, & indies crescere; & aliundè pro comperto habeamus, quòd sicut in arbore maligna parùm prodest ramorum strues amputare, quando truncus illesus, & radix relinquitur, ità non proderit acie Pontificia damnationis laxitatis ramos peculiarium quarumlibet Propositionum abscindere, nisi præcidatur simul & radix, ex qua procedunt: Idcirco operapretium duximus, aliquantulum in eo demorari, ut indagare possimus, qua ista radix sit, ex qua tot virulenta strues prodeunt; ut falce, non ad luxuriantes tantummodò ramos, sed & ad truncum, radicemque simul missa, tota arbor in terram, imò & in Orcum decidat. PROBABILISIMUM equidem, ut HODIE ad praxim ploramus redactum, CAUSAM PER SE tot malorum certò certius esse fatemur.*

II. Eòdem visum est & mihi, ex ordine scribere materialiarum, in quibus sunt theses proscriptæ ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* sicque ordinare narrationem, quæ non in uno *Torrecilla*, verumetiam in diversis Authoribus completæ sunt, propositionum; quæ tametsi condemnationem videantur promereri, adhuc tamen dividentur *probabiles*, atque *licitæ*. Ità enim fiet, ut cognoscat mundus universus eorum verborum, de quibus eruditi sumus à laudatis Pastoribus nostris, veritatem. Ipsi quippè monent (b) præviè: *As-*

sump-

(a) Pag. 104. & 105. (b) Pag. 5.

sumpsimus pro singulari Authore in titulo nominatum, non quia affecti non simus erga ipsum, suamvè sacram, religiosissimamque familiam, sed ob causam animarum commune bonum respicientem. Observamus enim, laudatum R. P. Fr. MARTINUM TORRECILLA in operibus suis prelo datis omnes omnium Authorum, qui de Morali egerant; opiniones LAXAS, quasi pro munere suo congerere sumpsisse. Et, ut in eodem geminato libello supplici (a) loquuntur: Quandoquidem, etsi ad omnia Regna opera P. TORRECILLA extensa non esse sciamus; esse tamen Authores, ex quibus (quosque citat) ferè omnia desumpsit, non ambigimus. Quæstio facti est; potiùs oculis, quàm ratiociniis introspectienda.

III. Cùm igitur talem ac tantam habeamus multitudinem horum, atque similibus testium, nobis instar circumfusam, qui dictis & factis testati sunt, quanta sit vis, & utilitas pangendi Probabilissimi incommoda; deponamus omnia impedimenta, quæ nos graves, & tardos efficiunt; ut curramus in stadio, quod iumus ingressi, & ad bravium nobis propositum pertingamus, patienter, & constanter sustinendo molestias, labores, difficultates certaminis, convertentes oculos ad Viros gloriosos, & Parentes nostros, nostri Præsides; quos ecce beatificamus, quia sustinuerunt.

IV. Imprimis, Lectores disertissimi, obtestor vos hodierna die, quod communes accessiones, quibus Probabilistæ se ipsos plaudunt quasi manibus, demonstrant, illos fuisse magnos Theologos, doctosque Canonistas, justos, mansuetos, ac pios valde Viros. Verùm nec de persona, nec de virtute, atque pietate, quibus distinctè ornatos suppono, præsens est concertatio. Sanè si de cæteris non temerè judicandum, maximè de iis, qui à cœtaneis, & conviventibus excellentes prædicantur in omni virtutum genere. At sunt pii, sunt docti. Quid indè? ergo nec fallere, nec falli valent? *Theologie corruptio*, asserit P. RAYNAUDUS (b), *est lues pestilentissima, qua ETIAM PIOS, ET A COMMUNIBUS MORBIS IMMUNES INFICIT.* Dum ergo Moralem Christianam ex debito Religionis tueor, aliorum famæ ex momento charitatis consulo. Homines excuso: errores rejicio: non ut illos carperem, velli-

ca-

careremvè; sed solùm ut, perniciosâ opinandî methodo convulsâ, veritatem pro modulo meo in tuto collocarem, & à cavillationibus assererem. Quamobrem horreo P. Terillum, qui priores suos Probabilistas, & ipse posterior eorum Princeps, potuit adeò acri perstringere stylo, ut illorum & Personis, atque animi affectibus non parceret (a). Ego autem illorum semper, quoad fieri potuerit, lapsus excusatos suo tempore habere volo; piam eisdem habuisse, sanctamque intentionem prospiciendi humanæ infirmitati, & reddendî viam salutis planiorem, ultrò fateor; ejus fuisse docilitatis judico, quòd tot damnationibus moniti, plures quàm *Augustinus*, retractationum libros adornassent modò; ac tandem privatorum hominum aberrationes non esse in communitatem ipsam, cœtumque regerendas, semper & pro semper admo-neo, atque inculco.

V. Novi tamen Casuistæ, cùm veterum errores studiosè collegerint, & hoc nomine arguantur ab *Alexandro VII.* quòd abolescere non siverint quasdam morum sententias, quæ jam diù situ, & squalore jacebant, digni non videntur, quibus ullo modo parcat. Neque sanus quisquam æquum existimabit, ut cùm de iis rejiciendis, damnandisque sententiis agitur; tacitis ipsis, quorum operâ, & studio in unum quasi corpus collectæ, ad vulgi notitiam pervenerunt, & bonos mores corruerunt; illi nominentur, qui primi imprudenter, nihilque tale suspicantes, in eas inciderunt. Quare ut idem, quem laudavi, *Alexander*, non veteres Scholasticos, sed novos Casuistas suo Decreto notandos putavit, ita fraudi meæ esse non poterit, si cùm falsarum opinionum fautores indicem, veteribus item missis Scholasticis, unos nominem plures novos Casuistas: eò magis, quòd datâ operâ Lectores moneam, esse quidem in operibus Scholasticorum aliqua errata; sed quia eorum volumina non nisi à paucioribus leguntur, qui possunt ipsi per se periculum cavere, nullius esset utilitatis eos nominare.

At invidia, *inquires*, partim in istos, si nominarentur, partim in illos recideret. Sed non arbitror, quia scito, &

ani-

(a) Pag. 79. (b) Tom. 16. punct. 8. pag. 386.

(a) Intra n. 41. & seqq.

animadver duo. *Primum*, veteres Scholasticos admodum raro, novos autem Casuistas multum, ac sæpè errasse; quippe qui, ut inquit laudatus *Alexander*, veterum erroribus multos suos addiderunt. *Praterèa*, claros & veteres Theologos plerumquè falsò à novis Casuistis in subsidium suarum opinionum esse vocatos, multis locis patefaciam. Sexcentis itaque *Summis*, *Cursibus*, *Compendiis*, *Medullis*, *Trutinis* jam disseminatæ cum sint tot falsæ morum sententiæ, quæ Christianæ virtutis nervos elidunt; qui posset doctrinæ Christi, propterèa venientis mittere gladium, non plurimum obesse pax, quæ tolleret scribendi studium, easque abrumperet disceptationes, quibus eadem refelluntur, & contraria morum dogmata explicantur?


Atque huic rei documento esse possent, non solum veteris historiæ exempla, quæ docent, conservatos esse nonnumquam pace, ac plurimum propagatos magnos errores; sed etiam Probabilismus ipse, qui non tam latè manasset, neque omnium animos occupasset, si numquam desitum esset contra eum scribi, & disputari. Neque verò verendum, nè cui hoc temerè dictum videretur. Namque Probabilismum crevisse paucitate Adversariorum, ipsiusque tantum progressum exiguo Scriptorum numero, qui falsa morum consuetudina sedulo expugnarent, acceptum esse referendum, ostendemus (a), viditque *Alexander VII.* Qui iccirco nostrates admonendos duxit, ut huic Scriptorum generi acriter obstitent, darentque operam, nè quid ex novo opinandi modo detrimenti caperet Christiana Respublica.

VI. Quare in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1656. injunctum nobis est: *Admonemus omnes, & singulos nostri Ordinis Professores, quatenus Statutorum, sui que officii, ac respectivè juratæ Professionis continuò memores, necnon pœnarum in prævaricatores taxatarum (quas irremissibiliter incurrunt) rigorem ante oculos habentes, caveant ab omni pruritu exoticarum, minusque cum genuina littera S. THOMÆ coherentium opinionum tam in Philosophicis, quàm in Theologicis, præcipuè verò in MORALIBUS, ubi præsius de salute, ac indemnitate ani-*

marum agitur. In his porro studeant, omni cautelâ evitare opiniones LAXAS, NOVAS, ac PARUM TUTAS, abstineantque à paradoxis, ac monstris recentium placitorum, seu PROBLEMATUM (indigitantur famosa ea P. Escobarii, de quibus n. 84.) quæ magis vanitati, ac periculosa ostentationi militant, quàm veritati. Denique satagant, non tantum fidelissimè in omnibus adherescere sanæ doctrinæ Angelici nostri Præceptoris (quam ille ex limpidis, ac incorruptis SS. PP. fontibus integerrimè in alveos suorum operum corrivavit) verum etiam adsuescere propriæ ipsius phrasi, & modo loquendi, ita quòd, quantum fieri potest, nè quidem ab ipso verborum ejus ordine, stylo, & emphasi longius discedatur: ut sic evitentur securius omnes prophane vocum novitates, nimisque animosa EXTRINSECARUM PROBABILITATUM suffragia. (In quæ totus Probabilismus novissimè resolvitur.) Studeant insuper veterum, ac celeberrimorum Thomistarum TUTIORIBUS ubique vestigiis insistere, & sicubi inter hujus ævi Theologos enascitur publica sentiendi varietas; Nostri AD LITTERAM, ET PRISCUM SENSUM D. Thomæ, ejusque fidorum Interpretum (PP. capitulares agnoscunt, nonnullos modernos Thomistas deviasse hoc in puncto à vera communis Doctoris mente) sese rectipiant, nec inde ullò pacto divellantur. Quod, ut alacrius ab omnibus præstetur, notificamus universis, hoc summè consonare EXPRESSÆ VOLUNTATI SS. D. N. Alexandri, divinâ Providentiâ Papæ VII. qui istud UNIVERSO ORDINI ità præscribi, ac significari clementissimè imperavit.

VII. Viderunt hoc idem alii egregii Viri plures, qui omnem curam, operam, & studia in eo collocanda putarunt, ut essent quamplurimi, qui Probabilismum oppugnarent, obstitentque tanto malo, quod prius opprimi, & extinguï debuisset, quàm planè exortum, natumque foret. Quis autem nobis pacem, & quietem suadere contenderit, si tales Viros, qui quidquid esset utile, ac Christianæ Reipublicæ conducibilius, omnium optimè judicare potuerunt, perpetuum bellum voluisset, atque indixisset constaret? Aut quis jure nobis succensere potuerit, si quod bellum eorum horratu suscepissemus, quorum in nos præclara merita perpetuò nos admonent, ut ipsorum pareamus voluntati, atque jus-

(a) Infra num. 27.



sis, idem finire oportere negaremus?

VIII. Dehinc, suas ut censuras adversum doctrinam charitatis initialis, in Pœnitentiæ Sacramento necessariæ ad justificationem impii, vindicet *P. Viva* à prohibitione Decreti *Alexandri VII.* quod subnectit, concludit (a): *Perspicuum fit, præceptum istud (Alex. VII.) in virtute sanctæ obedientiæ, nè censura ulla his opinionibus inuratur, non impedire, quominus aliqua ex iis dici possit IMPROBABILIS, & FALSA, ut docent Theologi communiter.* Admitto igitur doctrinam hanc. Sed miror, quid sit, quòd velint Casuistæ, nihil obstare Decretum *Alex. VII.* quominus opinio illa, de qua hætenus disputatur, *falsa, & improbabilis* appelletur; cum tamen ipsi, si *falsas, & improbabilis* intelligant appellari suas, continuo turbas agant, violarique clament *Innocentii XI.* Decretum, quò cavetur in fine, nè censurâ, notâ, aut conviciò afficiantur *propositiones*, quæ adhuc inter *Catholicos hinc indè controvertuntur?*

IX. Profectò nihil est causæ, cur ejusmodi Decretum opponant. Ut enim *P. Camargus (b)* appositè præmonuit: *Verum, certumque manet, leges justas, ac sanctas sibi repugnare non posse. Itaque cum constet, Decreta Pontificia, de quibus hic agitur, ad hunc finem potissimum dirigi, ut doctrinæ morales christianis moribus perniciose eliminentur, & ab earum praxi oves Christi deterreantur; nemo sibi persuadeat in ea peccare, & non pro iis potius pugnare Theologos, qui totis viribus conituntur ad ea radicitus convellenda, ex quibus velut principiis doctrinas ejusmodi suum traxisse virus arbitrantur. Adhæc, quisquis refellit aliquam opinionem, FALSAM eam simpliciter censet, & dicit. Opinionem verò MORALEM, humanæ libertati contra legem faventem, esse FALSAM, & NOXIAM, perinde est; & qui alterum dicit, utrumque affirmat. Aut igitur BENIGNAM OPINIONEM nemini tamquam FALSAM refellere licebit, aut licebit eam refellere, tamquam doctrinam MORIBUS EXITIALEM.* Hinc & ipse *La-Croixius (c)* asserit rotundè ex *Hurtado, Lugone, & Cardenas: Prohibetur tantum FORMALIS censura, non autem*

si

(a) In Trut. Prop. 15. damnatæ ab *Alex. VII.* n. 33. in fine. (b) In Præfat. §. 2. pag. 28. (c) Lib. 1. n. 199. & 200.

si dicatur aliquid de sententia, ex quo inferri possit CENSURA. Ita interpretandum esse, docent *D. Bartholomæus Espejo (a)* & novissimè doctissimus *Tellius (b)*.

X. Imò, posse Doctores, atque Scriptores, quin intemperantiùs agant, Casuistarum ea notare dogmata, quæ acriori reprehensione sunt digna, judicarunt laudati Hispaniæ Patres, his conceptis verbis (c): *In Propositione 26. (P. Torrecillæ) defenditur, opiniones quantummodò LAXAS nullâ censurâ, nec notâ dignas esse, dùm ab ECCLESIA NON DAMNENTUR. Quæ propositio est æquivoca: namque si loquitur de censurâ CONVICIALI, vel AUTHENTICA (de qua Nobis loqui videtur Decretum SS. Innocentii XI.) vera est: si tamen de illa nota, & censura DOCTRINALI, quâ Episcopi, & Parochi oves sibi commissas in vera doctrina instruunt, & à nocivo pastu avertentes, vel Doctores, & Magistri doctrinas morales tractantes NOTANT; & animadvertunt, hanc, vel illam doctrinam sequi non posse, vel quia existimant ERRONEAM, FALSAM, vel SCANDALUM PRÆBENTEM, vel forsàn IN ALIIS DOCTRINIS AB ECCLESIA DAMNATIS COMPREHENSAM; videtur Nobis falsa, & aliena à mente Ecclesiæ. Aliter, omnia, non expressè ab Ecclesiæ damnata, cuilibet liceret sequi: Itaque omnes propositiones in hoc elencho delatæ sequi, & defendi hodiè licitè possent.*

Rursus concludunt: *Hoc Decretum (Innoc. XI.) si, ut frequenter à quamplurimis ex nostris Doctoribus Hispanis, præcipuè laxantibus, est receptum, intelligeremus; Nos ad quæque devia opinamenta sufferenda absdubio essemus adstricti, etsi TENUE PROBABILIA, IMPROBABILIAVE, aut falsa, vel ovibus nostris scandala generantia: imò etsi majori censura digna esse agnosceremus. Et cum tot HODIE vigeant hujus fursuris opiniones, nonque paucas existimemus PROPOSITIONIBUS DAMNATIS COHÆRENTES, quamplurimasque A SPIRITU ET MENTE ECCLESIE ILLAS PROSCRIBENTIS PRORSUS DEVIAS; de quo optimum exemplum, in à Nobis Sanctitatis vestræ (Clem. XI.) expositis sese offert. Et cum itidem munere nostro teneamur, Nobis commissas oves salutari pastu pascere, & à noxio eas arcere, necessariumque ad hoc munus exercendum*

b 2

exi-

(a) De usura personata, cap. 3. n. 18. (b) In sua Theophila Disc. prælim. n. 7. (c) Pag. 162. & 174.

existimemus, illas monere, & palàm dicere banc, vel illam doctrinam esse ERRONEAM, vel IMPROBABLEM, vel TEMERARIAM, vel SCANDALOSAM.... Similiterque Doctores pro veritate, ut saluti animarum consulant scribentes, non minùs officio suo urgeantur in materiis moralibus, quas tractant, venenum, quod in multis opinionibus inveniunt, eruere, illudque patefacere, nè incautè ad praxim ut CERTÒ PROBABLES admittantur, quæ veluti PROBABLES à suis Authoribus traduntur: uti accideret, si de illis tractantes, nullus ut CENSURA DIGNAS eas notaret: præsertim quandò ut plurimum AD CERTAM PROBABILITATEM opinionum (etiam à multis ex illis, qui TIMORATIUS procedunt) amplius non exigitur, quàm quòd ab aliquibus, etsi paucis Authoribus, vel uno DOCTO, & PROBO, doctrina tamquam PROBABILIS amplectatur, & à nemine notà ullà IMPROBABILITATIS, alteriusvè similis censura afficiatur. Idcirco operapretium duximus à Sanctitate vestra verum sensum prædicti Decreti exposcere, de illiusque intellectu instrui, vel pro ejus modificatione, si opus fuerit, supplicare.

XI. Profectò si nihil refert, cujus tandem modi sint propositiones, quæ censuris notantur, modò eadem, ut ait Pontifex, à Catholicis propugnentur; illud erit consequens, consultum esse *Innocentii* Decreto cuius opinandi licentiæ, eoque spectasse Pontificem, ut quantumvis absurdum esset id, quod paucis quibusque Catholicis tueri placeret, nemo tamen altiùs vocem extollere, idque *absurdum, monstruosumvè* appellare auderet. Cum itaque facillè eveniat, ut simul ac cuiquam in mentem venit, novum aliquid & inauditum proferre, aut benè constitutum dogma pervertere (putà, tollere usuram, negare magiam, tueri duellum, & id genus alia) continuò fautores inveniatur, qui eadem probent, seu partium studio probare se simulent: nemini licebit obsistere contrà, & his novitatibus labefactari dicere morum disciplinam, divinarumque Scripturarum everti auctoritatem; quin continuò audiat, esse *Innocentianum* Decretum, quo caveatur, nè quis censuris notet *propositiones, quæ inter Catholicos controversantur*. At quis sibi persuadeat, tale fuisse *Innocentii XI.* consilium? nemo, sanè. Igitur omninò videndum est,

cujus tamen modi sint propositiones, quæ à Theologo censuris notantur, ut intelligi possit, utrum is *Innocentio* paruerit; an ejusdem nullam habuerit rationem?

XII. Quippè eæ sententiæ: *Licere artifici gravi metu percusso Idolum conficere: Licere filio cupere mortem Patris, ut citius hereditatem adeat, aut se liberet duriore custodia: Fas esse, petere juramentum ab eo, quem noris esse pejeraturum, & alia* similes, sunt propositiones, quæ adhuc inter Catholicos controversantur. Id verò cavere voluisse *Innocentium* Decreto suo, nè de his ipsis quisquam, nisi graviter & modestè disputaret, atque nè quis eas ullà censurà notare auderet; quibus rem hanc persuadebis? Ego sanè indignam puto, & maximè alienam à gravitate SS. PP. nec umquam credo, *Innocentium XI.* fuisse tam acrem Casuistarum amatorem, ut eorum opinandi licentiæ Decretis suis consultum vellet, quamque ipse Populo Christiano perniciosam esse judicasset, eandem à Theologis aspera castigari nollet censurà. Quod si ne tu quidem verisimile putas, tantum Pontificem favere voluisse hujuscemodi sententiis; quid est, quòd neges, rectè explicatum esse Decretum, aut id admittendum, ex quo sequeretur, fautorem fuisse R. P. laxitatis Casuistarum, atque adeò gravissimorum errorum, quorum ne in libris quidem Scriptorum ethnicorum ullum reperitur vestigium? Laudatum ergo Decretum de illis sententiis est intelligendum, quæ propriæ sunt quarundam Scholarum, non de iis, quæ mobiles, & fluctuantes appellantur; sive, ut clariùs dici potest, quæ decem, vel viginti propugnant minuti Casuistæ. Nam si priores reprehendantur, is est in vitio, qui reprehendit; sin autem posteriores, is pacem inter Catholicos, quæ finis est Decreti, violat, qui non acquiescit reprehensioni.

XIII. Multa in hanc sententiam dici possent, omninò videnda apud *Concinam* (a) *Dinellium* (b) ac *Eraniste* (c). Verùm nè longum faciam, dicam dumtaxat: quæ propriæ sunt alicujus Scholæ, multorumve Theologorum, qui do-

(a) Tom. 9. p. 86. & in præfat. tom. 1. p. 71. (b) Epist. tom. 3. à p. 764. (c) Observ. tom. 1. epist. 5. à n. 16. pag. 221.

dem apologias promulgarunt in id ipsum. Quæ ideo recensui, ut qui mihi ob hanc causam intellectum Innocentianî Decreti, sive vel convicia, ut aliis, rependerint, ipsos male mereri de Societate noverint, dignasque debere pœnas dare, ob dicta ex *RR. Tyrso*, & alia, quæ ibi præmiserat (a) prorsus legenda (b).

XVI. Ipsius itaque absolvam verbis (c): *Cum ostenderim Orbi Christiano, sententiam illam (de amplectenda scilicet sententia laxiore circa usum opinionum probabilium) non esse Societatis propriam; cujus oppositam & Præpositus Generalis, & multi alii Jesuitæ, libris editis, palam docent, & magno auctoritatis, rationisque pondere firmant; liberum jam mihi est, & integrum, ex eodem cœtu potissimum educere Assertores deterrandarum thesium, aliis vel communium, quas pariterivit, & peperit focundus Probabilismus. Quis etenim mihi negaverit, aut in contentionem duxerit jus eum confutandi meliori, quò possim, modò? Quæ verò aptior expugnandi disciplina, quàm arcis prior demolitio, muri, & antemuralis dissipatio? Nonnè dùm cæteris in Cœtibus Regularibus gratulamur modò desertionem Probabilismi; ex inclyta tamen Societate Authores quotidie prodeunt, qui turnatim, sicut in illo tempore, ita & in nostro novissimo, pro aris & focis accinguntur, & conantur, in regnum suum illum restituere, quasi jure postliminii, atque asserere in perpetuum? Sic plorans ploravit (d) coram Clem. XI. pius P. Camargus. Nonnè & ipsi gloriantur, fore Probabilissimum iis finibus conclusum, quos ipsi statuerunt Jesuitarum primores (e); ut hòc pacto suadere aditantur, nihil omninò ab eo timendum? Si ergo demonstraverim, huncmet Probabilissimum, qui restrictus, moderatus, & innocuus prædicatur ab illis, falsum esse, absurdum, atque nocuum, nihil desiderabitur, ut desolatus relinquatur.*

XVII. Dein, P. Moya (f) congaudet; *Jesuitarum moralis*

(a) Num. 8. & 9. (b) Infra n. 14. & 128. (c) Ibi n. 1. & infra n. 126. (d) In Memor. laudato in epist. nuncup. oblato an. 1706. recolendo apud Eraniste tom. 5. epist. pag. 416. lege infra p. 101. n. 125. (e) Ita P. Zacharia de locis Mor. Theol. tract. 5. c. 3. & in access. ad *La Croix* cap. 3. tract. 5. p. 59. col. 1. (f) In Prefat.

*lis doctrina lacte omnes ferè Theologia Professores à tyrociniò mulcentur. Et P. Escobar obtestatur (a): In hoc genere nihil toto in libello scripssisse, quod Societatis Jesu non acceperit à Doctore, vel ex Societatis Schola. Res cum ita se habeat, ex eorum præcipuè libris, quas re ipsa continent, reproducam oportet opiniones ad illuminationem multorum, omniumque profectum. Sed & qui possem reddi securus, propositiones traducendas neququam à Probabilistis fore habendas tamquàm improbables (aliter quasi aërem verberans viderer) nisi exciperem eas ex illis Authoribus, qui vel à semetipsis probabiles reddunt, aut judicant, sive uti tales, spectatis suis principiis, debent excipere, utpote traditas ab iis Doctoribus, quos plenis buccis canunt *pios, graves, classicos*, quasque docent theses, *solide dignas probabilitatis*. Hi potissimum sunt ex Illustri Societate. Quorum proinde editiones novæ typis quotidie multiplicantur: quia sicut plusquam cæteri, & meliori methodo, & extensione majori, atque indulgentiore morales pertractarunt questiones; ita eorundem libri plus cæteris per manus versantur Parochorum, Confessariorum, Studentiumque, vel ad casuum decisionem, vel ad propriam instructionem, aut etiam ad scribendum de rebus moralibus, evulgandumque volumina. Libri publici sunt. Quid ergo vetat, falsas & exitiosas, quas reputaverim, propositiones traducere, ut ipsorum lectores moneam, reddamque cautiores? Charitas Christi urget nos ad publico postponendum privatum quodcumque bonum.*

XVIII. His de causis, quemadmodum P. Francolinus (b) confecit elenchum propositionum ex operibus *Merbesii, Juvenini, & Genetti*, quos afficit notâ rigorismi; ita laxissimi ex diversis *Concina*, ex hoc uno errorum P. Gagna, & ex unis Societatis Authoribus *Patuzzi* (c), & quidem linguâ vernaculâ eadem, quâ *Eraniste* (d). Quin etiam ex nonnullis foliis *La-Croixii* tractatibus theses laxas & scandalosas colle-

(a) In idea operis. (b) In opusc. *Francolin. Vindic.* cap. 2. (c) De reg. prox. act. hum. tom. 1. à pag. 280. ad 394. (d) Ad *Minist. stat.* duobus tom. in 8.

legit celebris *Eusebius Amort* (a) ea animi intentione ac fine, ut notum sit omnibus, ad quantas laxitates, inquit, viam latissimam Probabilismus viam aperiat. Unde subdit: Patebit ex hoc solo catalogo, tandem licitum fore, sequi ferme omnes eas sententias, quas hic Author in sua Theologia morali, seu, ut quidam vocant, HISTORIA OPINIONUM PROBABILIUM, recenset tamquam probabiles, aut certe tamquam opiniones adoptatas ab Authoribus, quos ipse in aliis locis allegat tamquam Authores GRAVES, IDONEOS ad formandum prudens iudicium.

XIX. Verumtamen unà cum laudato *Camargo* (b) video, quamplures esse Probabilistas sanè delicatissimos, qui cum ipsi audacissimè, non modò de nostra sententia, verum & de Patronis ipsius quidquid loquantur, & scribant; benignam tamen suam opinionem vel leviter tangi non ferunt. Nemo jure reprehendat eum, subdit, qui disputans in sententiam benignam, deduxerit ex ea sequelas plurimas, quas affirmet, aut probet esse LONGÈ HORRIDISSIMAS, vel HÆRETICAS etiam, aut BLASPHEMAS, ex quibus ipsam benignam sententiam deducat, esse FALSAM: alioquin argumentum AB ABSURDO, quod ajunt, seu IMPOSSIBILI, quò nulum in Theologia frequentius est, oportebit de medio tollere. Nonnè & Probabiliste, vel modestissimi, passim de nostra sententia affirmant, & suadere pro viribus nituntur, eam divinas leges reddere observatu impossibiles, jugum Christi importabile, Sacramenta frustranea, Cœli januam imperviam, & his similia, quibus nihil absurdius? Quis verò propterea conqueritur, aut eos reprehensione dignos pronuntiat de isto genere argumentandi? Id, Lector, volumus, diligenter observes. Nam argumenta nostra ferè ejusmodi sunt, & quotiès in benignam sententiam exclamamus, hoc argumenti genere tacitè, vel expressè differimus. Haud dissimiliter, dum aliquando utimur quomodocumque ironica expressione, scriptura harmonica, leporibus, & figuris lætis, nequaquam intendimus, nisi unam falsitatem in derisum mittere, veritatemque reddere sensibiliorem, atque plausibiliorem, quò dulciter insinuetur Lectorum animo; juxta *Tertulliani* illud (c): *Congruit & veritati ridere, quia latans: de*

(a) Tom. I. Theol. (b) Versus finem cit. suæ Præfat. (c) Adver. Valent. cap. 6.

emulis suis ludere, quia secreta est. Quid? Ut illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent... inquitbat *Augustinus* (a), *exhilarant, exhortentur ardentè: isti pro veritate lenti, frigidique dormitent?* Et *Scphar Naamathites* (b): *Tibi soli tacebunt homines? & cum ceteros irriseris, à nullo confutaberis?*

XX. Nihilofeciùs valdè eos timeo; reque enim melior sum, quàm Patres mei, & Antesignani. Nam si Assistentes ipsi Probabilistæ quinque, supplices apud Innocentium XII. erant constanter accusantes (c): *P. Tyrſus Gonzalez Generalis, jam à duobus annis, & amplius totam Societatem laceſcit... libellos famosos (quia contra Probabilismum) & incredibiliter maledicos spargit, & per suos fautores spargere pergit contra nostram Societatem: insolitum foret, ni & me dicerent odiò percitum, & invidiâ contra Societatis Doctores, & Institutum talia palàm facere, ut, si possibile est, exasperem matrem filiorum lætantem. Ho! Deus est in Cœlo scrutans renes, & corda. Nùm talia fando, Sacratissimum Capuccinorum Ordinem contristarunt Hispaniæ Præsules? Quin potiùs è converso evenisse constabit n. 135. pag. III. An *Blancus, Comitulus, Elizalde, Alfarus, Muniesla, Antoine*, totque alii Societatis filii, illustres Probabilismi expugnatores, quorum utimur testimoniis, genimina viperarum ideò sunt? Quin potiùs ejus exhilararunt faciem in oleo, quia juxta nuper dicta (d) audierunt disciplinam Patris, & attenderunt, ut scirent prudentiam, atque suscepit verba matris suæ cor ipsorum.*

XXI. Profectò certissimum est *Augustini* effatum illud: *Qualibet Professio habet suos fictos; exploratissimumque habuerunt pii, ac Sapientes PP. Ignatius Camargo, & Albertus de Albertis, & ipsi suæ Societatis vindices. Primus Clem. XI. sic alloquitur (e): Non adeò stulti, & imprudentes sumus, ut asserere audeamus, vel defendere, omnium omninò Jesuitarum OPINIONES, aut MORES esse laudabiles. Deberent tamen ipsi obtrētatores... non in totam Rempublicam Jesuitarum (iniquè nonnulli fecerunt, quos in hoc non laudo, sed detestor) multò*

(a) De Doct. Christ. lib. 4. cap. 1. (b) Job. 11. v. 3. (c) Libello supp. legendo apud *Eraniste*, pag. 93. tom. 6. Letter. & 2. observ. pag. 375. an. 64. (d) Suprà n. XIV. (e) In suo laudato Memoriali n. 7.

minus in ipsam Societatem quorundam, vel multorum errores indiscriminatim refundere, id est, quin corpus discernant à quibusdam membris. Secundus itidem contra Gasparem Scioppium ita insurgit (a): Jesuitas omnes ex formula vivere, si quis me rogat, ingenua, sinceraque fide pernego. Omnes innocentes esse, ego NON CREDO; omnes undique perfectos, ac beatos, NON PUTO: neque aliter CUIQUAM ex nostro Ordine videri, omnino mihi persuadeo. Quis enim nostrum tam hebes sit, ut nesciat (Imago primi Sæculi) nullum esse corpus humanum tam bene constitutum; cui sua fex desit? Nullam faciem tam speciosam, que naso careat? Nullum calum tam purum, sudumque, quod spissa interdum nubes nobis non intercludant. Vel hæcne imposturæ sunt, maledicentiæ, insultus in venerabilem Societatem religiosam? absit.

XXII. Satis itaque mihi est, Deum esse conscientiaæ meæ Judicem, ut cum S. Bernardo testari jure possim (b): *Que in vestris laudabilia sunt, laudo, & prædico; si que reprehendenda sunt, ut emendentur, vobis, & aliis amicis meis suadere soleo. Hæc non est detractio, sed attractio. Quia & cum RR. TYRSO (c): Erit Societati valdè decorum, si Orbis agnoscat, quantum in ipsa Probabilismus decreverit, ANTEQUAM EJUS FALSITAS INFALLIBILIS SEDIS APOSTOLICÆ JUDICIO DEFINIATUR.... Supposita existimatione, quam Fideles communiter habent de probitate, & doctrina Societatis, ejusque zelo in proximorum salute procuranda: si illi ipsi Fideles videant, sententiam Probabilismi defendi à Jesuitis pro religione, pro aris, & focis, aut in illam nimium inclinare; judicabunt utique plurimi, Religionem aded sanctam, & doctam non amplexuram tanto conatu doctrinam moralem, nisi ita esset certissime tuta. Unde operabuntur in praxi juxta illam, & peccabunt sine excusatione in innumeris, in quibus confisi auctoritate Jesuitarum putabunt, se habere excusationem. Indè fit liquidò, magnum fore dedecus, magnum piaculum, si Societas daret Fidelibus fundamentum ad judicandum, ipsam ita amplecti illam sententiam; quia esset fideles ipsos allicere ad practicandam talem sententiam:*

(a) Cap. 14. §. 10. n. 154. (b) In Apol. ad Guil. (c) Ubi suprâ nn. 8. 9. & 10.

tiam: hoc autem esset, illos conducere ad peccata innumerabilia.... Et quando ex omnibus Ecclesie gradibus, & Ordinibus tam multi sunt, qui animadvertentes periculum, receptui canunt; fœda nimis res esset, quòd Jesuitæ, sese, & alios in precipitium urgerent. Ecce referatos cordis mei intimos recessus.

XXIII. Quodsi objicerent, Theologos etiam Dominicanos favere doctrinis Casuistarum: estò. Quid indè? Equè domesticorum ejusmodi, atque exterorum propositum nobis est opiniones laxas refellere. Ecce enim ex hoc laudabiles Nos dicet omnis generatio rectorum, atque integra Religio ipsa Dominicana; cui probatum semper fuit, quod dictum olim ab uno, factum nunc est sermone tritum proverbium: *Amicus Socrates, amicus Plato; sed magis amica veritas*: quare Ordo veritatis dignoscitur insignitè. Neque tamen ex ea frequentius assumam Authores. Cum, quia ne unum quidem video de præsentì, etsi de præterito fuerit *Candidus, La-Cruz, Zanardus, March, &* pauci alii; pro quibus tamen RR. *Tyrso* inscribit (a): *Ostenditur, plerosque Authores hujus sæculi (elapsi) non loqui de opinione minus probabili formaliter respectu operantis.* Tum, quia præfatorum Libri nocumentum inferunt nemini; vix namque sciuntur, nedum leguntur, sed latitant teneis, & blattris devorandi in Bibliothecis, vel nostris. Ignoti proinde sunt Confessariis, Parochis, Studentibusque morum doctrinæ; ad cujus præsentem praxim iccirco eorum omnium teruntur manibus opera *Tamburini, Castropalati, Diane, Sporerii, Bonacina, Bussembaum, La-Croixii, &* *Vivæ* cum sodalibus suis. Horum propterea opiniones, quæ videntur falsæ, ac periculi plenæ, refello. Unamque pectam ab ipsis, & hanc requiram jure, ut quâ libertate recensent laxas theses illorum Dominicanorum, qui post *Medinam* ad annum usque 1656. scripsere; eadem mihi expellere liceat suas, non ut animi eis signa rependam vindicis, sed quid cavere Lectores debeant, ut patefaciam.

XXIV De cætero nemo mihi molestus sit; non murmur resonet, non quærimonia ex mutuatis à PP. *Gagna, Gezzio, San-*

(a) Dissert. 2. §. 2. n. 4. de rect. usu opin. prob. Videndus *Eraniſte* tom. 2. Letter. 13. §. 4. à n. XIV.

Sanvitali, Nocetio, Zacharia, & hujusmodi, quibus affatim satisfactum est à *Concina, Dinello, & Eraniste*: nè acta agere cogar. Nihil malo animo actum, conscius sum. Prolixitatis, & molestiæ causa vitandæ, prætermitto sæpè recitationem integram testimoniorum, & sententiarum; at numquam cum diminutione, aut alteratione sensus legitimi, quem obviàm, & naturaliter præferunt in suis assertoribus. A bona fide defecisse, non sperabo. Quodsi defectio tenuit me aliquandò, humanum passus ero, nec tamen cum parvis, nec cum paucis. Justa tùm resonabit quærimonia, verùm etiam retractatio. Verbo: aut verum est, in Casuistarum libris menda, quæ proscribenda denuntiamus, reperiri; aut secùs. Si secundum, pallinodiam spondeo. Si primum, cur lamentantur? *Patiantur Aquila, dum pascuntur columbae.* VALETOTE.

OCULUS SIMPLEX

PERICULI, ET LAXITATIS DOCTRINARUM, quas unus sustinet Probabilismus, quasque, ob signatis earum Assertoribus, præsentis Tomi paginæ denuntiant.

DE PROBABILIBUS.

Restricciones mentales, occultæ compensationes, licentia occidendi injustum Judicem, aut testem, Ecclesia non judicans de occultis, & aliæ opiniones, ex quibus multa inconvenientia suboriuntur, sunt hodiè ut minimùm probabilissimæ, & indamnabiles. *Pagina 2. Caramuel.*

Admissa probabilitate de actibus internis non subjectis Ecclesiæ, etiam de externis, & occultis per accidens illi non subjectis debet admitti probabilitas; sicque actum esset de tota, aut ferè rota Superiorum autoritate, Subditi obediunt ad oculum, & privatim omnia mandata Ecclesiastica,

aut

aut sæcularia temerarent. Nemo peccaret, qui secretò carnes comederet diebus vetitis, & tertio, vel quarto comederet diebus jejunii, atque qui secretò divinum Officium omitteret. Nimia omnia, & improbabilia; & tamen legitimè illata ex illa doctrina probabili. *Pag. 492. Caramuel.*

Unius Authoris opinio probi, & docti, eam reddit probabilem, etiam si adversum communem aliorum innumerabilium sentiat. *Pagg. 2. 149. 151. 153. & 154. Sanchez, Filliucius, Terillus, Moya, Vazquez, Laymann, Azor, Martinonus, Rhodes, Tamburinus, Croix, & Viva.*

Quamcumque contradictoriarum opinionum circa honestatem operationis homines tenuerint, etiam quam judicant falsam, viâ rectâ tendunt ad cælum. *Pagg. 8. & 9. Escobar, Croix cum Azor, Vazquez, Lessio, Valentia, Salas, aliisque plurimis, & gravissimis AA.*

Licet eligere, ac vendere modò unam, modò alteram opinionem in eadem materia probabilem practicè, v. g. compensationem infamiæ recusare pecuniâ, & exigere; non solum veltigal injustè impositum, & simul ab aliis exigere; atque Judicem accipere pecuniam pro sententia proferendâ juxta alteram ex opinionibus æque probabilibus. *Pagg. 9. 142. 442. & 443. Croix, Tamburinus cum Dicastillo, Valentia, Lessio, & Sanchez.*

Opinio probabilis speculativè, etiam practicè est probabilis. *Pag. 17. Joan. Sanchez, Diana, Caramuel, Escobar.*

Cum dicitur, in praxi non esse sequendam, valet idem, ac oppositam esse magis consentaneam pietati. *Pagg. 16. & 514. Tamburinus cum aliis, Croix, & Leander.*

Tenuis probabilitas, si aut sit verè talis, aut necessitas gravissima, aut impracticabilis opinio probabilior, sufficit ad prudenter operandum. *Pag. 169. Croix, & Viva.*

Opinio tantùm probabiliter probabilis est tuta morum regula probabiliter. *Pag. 170. Viva, & Croix, ex Vazquez, Salas, Sanchez, Merola, Tamburino.*

Probabilissima est opinio, timorem mali temporalis, ut à Deo infligendi, vel infligendi esse sufficiens motivum attritionis pro Sacramento Pœnitentiæ; atque sufficere propositum

im-

implicitum de cætero non peccandi. *Pagg. 162. & 512. Viva ex Tamburino.*

Quoties rationes adsunt probabiliter arguentes, partem minus tutam esse licitam, aut probabile sit dubium, impossibile est Legem obligare. *Pagg. 40. & 182. Terillus, Escobar, & communiter.*

Non est controversia, quando daretur opinio probabilis ex parte Subditi, quod non teneatur obedire, tamen contraria sententia sit probabilior. *Pag. 182. Palaus cum Sanchez.*

Quando est tantum probabile, te succubiturum tentationi, fas est per se loquendo committere te periculo probabilis peccandi mortaliter. *Pag. 417. Gobat.*

Res inventas fore restituendas Domino, & in hujus defectu pauperibus erogandas; est sententia pia, & tutior: sed probabilis quoque, posse retineri. *Pag. 432. Laymann.*

Molinismus est rigidior Probabilismo. *Pag. 420. Casnedi.*

DE DUBIIS.

In dubiis moralibus tutior pars non est præcisè eligenda; sed melior est conditio possidentis libertatem physicam. *Pag. 37. & seqq. Terillus, & communiter.*

Si dubium sit; an lex sit justa, non obligor illi parere. An ejus verba consilium, an præceptum importent, reputanda sunt consilium. Certus sum de lege imposita, sed dubito, an vel ratione alicujus necessitatis, vel alterius circumstantiæ excuset, non teneor, si ejus executio mihi incommoda sit, & molesta. *Pagg. 181. 182. 186. & seqq. Escobar cum Salas: Tamburinus, Croix, & Viva cum aliis.*

Subditus, qui omnibus expensis dubitet, etiam positivè an gabella, seu tributum sit justè impositum, non teneatur illud solvere, potissimum si sit novum. *Pag. 200. & seqq. Escobar cum Sanchez, Leseio, Molina, Filliucio: Tamburinus cum Villalobos, Palao, alique apud Caramuelem: Croix cum Diana, Lugo, Sporer, & aliis sexdecim.*

Si reus, & testis dubitant, an legitimè interrogentur à Judice, non obligantur ad ejus mentem respondere. *Pag.*

216. *Tamburinus cum Fagundez, Sanchez, Lugo, Pasqualigo, & Diana.*

Si accepisti, quod dubitas, an tuum esset; non debes restituere. *Pag. 431. Sà ex aliis.*

Si adhibita diligentia dubites, an sit aliqua lex excommunicationem, vel præceptum imponens, vel an dicta lex ad aliquem casum se extendat, vel an sit usu recepta, vel non fuerit promulgata, non teneris ad illam. *Pag. 394. Tamburinus cum ab eo laudatis.*

Si dubito, me peccasse, cum assensu probabili in utramque partem: quin probabilius si judico, me peccasse, vel etiam peccatum esse confessum, non teneor ejusmodi piaculum confiteri. *Pag. 520. Escobar.*

Peccata negativè dubia non tenetur homo confiteri. *Pag. 522. Dicastillus.*

Si Confessarius dubitet de sua sufficientia ad hoc munus sistat se examineribus ab Episcopo, vel superiore constitutis: qui, si eum satis scire judicent, potest acquiescere. *Pag. 550. Croix.*

Prudenter dubitans, an formam benè protulerit, potest absolvere sub conditione: *si non es absolutus.* Similiter si prudenter dubitet de dispositione poenitentis legitima: *si es bene dispositus*, conditione mente saltem retenta. Imò Confessarius accedens ad Sedem confessionalem, hanc generalem potest formare intentionem: *volo omnes; & solos absolvere, qui erunt legitimè dispositi.* Nec damnandus de mortali, qui ne mente quidem conciperet hanc conditionem. *Pag. 552. Croix ex Bosco, & Moya: Palaus cum Vazquez, & aliis.*

Si adhibita Confessarii diligentia, nequeat tolli dubium, absolvatur *in nomine Domini*, etiam sub conditione. Certè experientia quotidiana docet, è centum dubiis casibus tam juris, quàm facti, vix unum, alterumve reperiri, in quo si propriè dubitet unus, duo, tres, non reperiantur totidem, qui tamquam probabilem sustineant partem affirmativam illius dubii; rotidem, qui negativam. Ut proindè quando dubitas, an tuus poenitens sit satis dispositus, possis prudenter ita ratiocinari: *Ego quidem propriè dubito propter hanc,*

hanc, aut illam rationem; meritò tamen credo, vivere prudentes viros, qui, si adessent, dicerent, meum dubium esse inane scrupulum: quidni igitur me accomodem illorum, etsi ignotorum, sensui? Nota hanc doctrinam pro pluribus aliis casibus. Pagg. 10. 11. & 553. Gobat, & Croix cum Azor, Vazquez, Valentia, Lesio, Salas, aliisque plurimis, & gravissimis, ut Sanchez.

DE CONSULTATIONE.

Est cuilibet licitum, consulere plures homines, qui habentur communiter probi, & docti, donec inveniat aliquem probabiliter excusantem ab obligatione, v. g. restitutionis. *Pag. 8. Croix, & Viva.*

Licite quoque viri docti possunt contra propriam opinionem aliis consulere, sequendo alienam, quam probabilem esse putant. Imò etiam ipsis Confessariis hoc licet. Et prudenter facient quandoque, minus probabilem opinionem consulendo, quando probabiliorem difficilem fore poenitentii, vel consilium petenti, prudenter judicaverint. Quare poterunt modò juxta unam, modò juxta contrariam consulere: Imò quamvis Confessarius, contractum esse usurarium judicet, & poenitens probabiliter esse licitum, hujusque opinionem Confessarius existimaret falsam, dummodò probabilis reputetur inter Doctores probatæ autoritatis; cum non teneatur magis consilio Confessoris, quàm aliorum acquiescere Poenitens. *Pagg. 30. & 551. Sanchez cum Vazquez, Salas, & Sayro.*

Si aliquem, qui injustum damnum alteri inferre decreverat, consilio, vel hortatu magis etiam confirmasti, ad restitutionem damnificato non teneris. *Pag. 457. Laymann.*

Potest ei, qui paratus est furari à paupere, persuaderi ut furetur à divite tali determinato. *Pag. 433. Vazquez apud Palaum, & Escobar.*

Filii contrahunt licite matrimonium cum dignis, modeste petita, sed sine prece, ac non obtenta Parentum facultate; cum indignis verò, vel sine notitia. *Pag. 413. Tamburinus ex Sanchez.*

Ex

Ex judicio viri docti simul, ac periti, & passione denudati possunt famuli occultè compensare id, quod ipsi judicant, ex justitia sibi deberi in salarium. *Pag. 444. Viva.*

Ad sciendum, si Rex promeretur excommunicationem, & depositionem, standum est judicio personarum, piarum & doctarum. *Pag. 202. Becanus.*

De rebus politicis, & mutandis Regibus consulere, proprium munus est Jesuitarum. *Pagg. 201. & 363. Heissius laudatus à Gretsero.*

Si quis eorum aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia, & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debeat subicere. *Pag. 159. Declarat. in Const.*

DE ECCLESIA.

Nequit Ecclesia imperare, nisi actus externos. *Pag. 129. Amicus, Sanchez, Filiucius, Laymann, Koning, & Escobar.*

Verè impleret præceptum audiendi Sacrum, istud audiens ex contemptu, & cum intentione non satisfaciendi illi. *Pag. 502. Sanchez.*

Qui dum Missam ex præcepto audit, vel Officium divinum persolvit, datâ operâ mentem aliò distraheret, ac positive, & animo deliberato persisteret in hac voluntaria, & perpetua distractione, præcepta satis impleret, nec ad ullam restitutionem teneretur ex tali recitatione horarum. *Pag. 478. Tamburinus, Gobat, Lugo, Caramuel.*

Leges Ecclesiasticæ de facto non obligant multum frequenter sub mortali. *Pag. 180. Tamburinus.*

DE ROMANO PONTIFICE.

Deus dare non debuit suo in terris Vicario R. Pontifici, nisi eam potestatem necessariam, & sufficientem ad quoddam regimen humanum, & politicum. *Pag. 129. Amicus.*

Quando Pontifex per Sacram Congregationem Cardinalium prohibet, aut condemnat librum, aut doctrinam ali-

quam

quam jubens expressè, quod ejusmodi Decretum prohibitivum suo nomine promulgetur; tunc non loquitur ut caput Ecclesiæ, sed solum ut caput, & ut Præses illius Congregationis; cujus Authoritas, licet sit in præcipiendo efficax, seu obliget in conscientia, non minùs ac alterius Principis, non tamen est in declarando infallibilis. *Pag. 126. Benè multi non vulgaris doctrina Viri, laudati à Cardenas, & Casnedi ex Moja, & Lumbier.*

In ejusmodi Decretis condemnatio, cum sit declaratio censuræ, quam merentur Propositiones, facta à Spiritu sancto per Pontificem ex Cathedra loquentem, inducit de se jure naturæ, circumscriptâ qualibet alia lege Ecclesiastica, obligationem fidelibus credendi illas dignas eâ censura, atque adeò improbables, & falsas: contrâ verò, prohibitio superaddita, per legem Ecclesiasticam graviter obligantem, non quidem ne credantur illæ propositiones tamquàm jure merito censuræ, ac falsæ; sed præcisè ne doceantur, defendantur, in praxim deducantur. Sequitur, non peccare contra legem Ecclesiasticam, nec violare prohibitionem in Decretis contentam, qui solum interiùs crederet, Propositiones illas esse probabiles, & nullâ censurâ inurendas; peccare tamen contra legem naturalem. *Pagg. 130. 133. & 135. Croix, & Viva.*

Licet teneatur Pœnitens respondere Confessario, interroganti consuetudinem peccati, cum opposita sententia sit damnata ab *Innoc. XI.* tamen per se loquendo non est aperienda hujusmodi consuetudo. *Pag. 573. Viva.*

Plerumquè Propositiones damnatæ, non reperiuntur, ut jacent in libris, unde excerptæ sunt. *Pag. 127. Viva, & alii passim.*

Quamvis speculativè loquendo posset in aliquo casu aliqua ex Propositionibus 17. & 18. damnatis ab *Alex. VII.* & 30. ab *Innoc. XI.* quarum damnatio in præsumptione fundatur, culpâ vacare jure naturæ; numquàm tamen licitum est, eam in praxim deducere, cum id prohibeatur in virtute sanctæ obedientiæ, quia talis casus fortè est metaphysicè tantùm possibilibus, non moraliter. *Pag. 377. Viva.*

DE

DE INTERPRETAMENTIS DECRETORUM.

Quando in *C. Toletano II.* impium dicitur, admittere in Christo filiationem, secundum quam esset filius sui ipsius, & Spiritus sancti, sermo est de filiatione secundæ Personæ divinæ ratione suæ generationis æternæ, sed non de filiatione producta à generatione, quæ sanctificavit animam Christi juxta *C. Francofordiense. Pagg. 233. 236. & 240. Vazquez, Merazius, & Suarez.*

Quando in *C. Constantiensi* prohibentur particulares occidere tyrannum, intelligendum est de tyranno solum in regimine, secùs in titulo. Vel de interficiente Regem tyrannicè gubernantem, non expectata sententia, seu mandato Judicis cujuscumque. Vel tale Decretum non est probatum *Martino V. Eugenio*, aut Successoribus. *Pagg. 353. 359. & 362. Valentia, Suarez, Mariana, Becanus.*

Decretum *C. Tridentini* adversus contorquentem S. Scripturam contra eum sensum, quem, tenuit, & tenet Ecclesia, vel contra unanimum consensum PP. restringitur contra solos Hæreticos. *Pag. 244. Harduinus, & Berruyer.*

Præceptum illius, quòd si Sacerdos necessitate urgente celebret absque prævia confessione peccatorum, quamprimum confiteatur, non obligat Sacerdotem, si habens copiam Confessoris, non est confessus ex malitia: neque illum, qui post confessionem, recordatur alicujus mortalis, quin possit ad confessarium redire, si necessitate urgente celebret: fortè nec eum, qui absque confessione, & absque conscientia peccati mortalis ad celebrandum accedit, & dum celebrat, recordatur peccati mortalis. *Pag. 502. & seqq. Croix, & Viva cum multis ab eis laudatis.*

Ubi declarat, moraliter peccare eos, qui ad Beneficium Ecclesiasticum non eligunt, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicaverint, non aliud significare vult, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, aut locutione minùs propria ponit digniores ut excludat indignos, aut loquitur, quando fit concursus; vel dumtaxat de Episcopatu, non verò de aliis Beneficiis, curatis, sive sim-

c 3.

pli-

plicibus. *Pag. 470. Tamburinus, Filliucius, Palau, Viva.*

Oracula divina de diligendo Deum, possunt intelligi de charitate habituali, & non de actuali. Atque dum exigit *Tridentinum*, quod peccatores diligere incipiant, ut ad justificationem in Sacramento disponantur, dumtaxat requirit amorem initialem, qui sufficienter includitur in voluntate reconciliandi se cum Deo, vel in proposito servandi de cætero mandata, vel in ipso odio peccati, quamvis ex motivo pœnarum concepto. *Pagg. 277. & 377. Viva.*

Juris Canonici, & Tridentini pœnæ contra raptos fœminarum, solum intelliguntur de raptu causâ ineundi matrimonii facto, non causâ libidinis, neque si fœmina sui juris consentiat, etiam invitis Parentibus, & his, aliisque contradicentibus, quibus vis inferatur. *Pag. 406. Escobar ex aliis.*

In effato *Innocent. III.* quod etiam est *D. Petri*, non est sensus, quod ad vitam propriam aut proximi tuendam, necnon ad vitandum aliud grave incommodum, non liceat alterius deceptionem permittere, adhibendo congruam æquivocationem, aut restrictionem externam, aut ulum duplicis scientiæ, aut etiam locutionem materiale. *Pag. 319. Viva cum aliis.*

Clericus rem habens cum fœmina in vase præpostero, vel sodomiticè patiens, vel crimen sodomiticum semel, bis, aut ter perpetrans, vel vitium bestialitatis, non incurrit pœnas Bullæ *S. Pii V.* *Pag. 406. Escobar ex aliis.*

Illud verbum, secundum formam hujus *Breviarii*, quod *S. Pius V.* jubet Officium Divinum dici, & psalli, intelligitur, non esse dicendum, & psallendum secundum formulam alterius *Breviarii*: quod fiet, etiam si in festo dicatur, & psallatur de feria, vel è contra. *Pag. 481. Valentia.*

Ejusdem constitutio de fructibus Beneficii restituendis à Beneficiario pro rata omissionis horarum, non accipitur de Beneficio tenui, nec de restitutione facienda præcisè Fabricæ Beneficii, vel Pauperibus, sed horum nomine etiam Parentibus, & cognatis indigentibus ad decentiam. *Pag. 485. Leander cum aliis apud Bonaciam.*

Item, et alia illius Bullæ de pensionibus astringentibus re-

citare Officium *B. Virginis*; non videtur recepta, quoniam à pluribus ignoratur, vel etsi sciatur, non est in proximamquam deducta. *Pag. 469. Lessius.*

Confessor sollicitans in confessione ad oscula, & tactus absque intentione prava, non est denuntiandus vi motus proprii *Gregorii XV.* & Successorum. *Pag. 417. Hurtado.*

Licet famulo concubinam portare, ne à Domino male tractetur, aut è domo expellatur; atque Domino ascendere volenti ad rem habendam cum fœmina pedem sustinere, aut scalam apponere ob mortem sibi imminentem vitandam, quin obstat propositio 51. proscripta ab *Innoc. XI.* *Pag. 416. A Conceptione.*

Semel & bis absolvendus est concubiniarius, promittens se dimissurum concubinam. Neque ex Prop. 61. *Innoc. XI.* eruitur, quod absolvi non possit. *Pag. 575. Viva cum Moya, & Hozes.*

Non est rejicienda, nec favet thesi 64. damnatæ ab *Innoc. XI.* opinio *Marchantii*, quod scilicet non sint repetendæ confessiones ab eo, qui ignorat Mysteria Trinitatis & Incarnationis: quamvis enim non absolvatur licitè illa ignorans, absolvitur validè. Quoties enim probabile est, ramentum sit probabilius, confessionem præteritam fuisse validam, ea non est repetenda, etiam si oppositum sit probabilius. *Pag. 225. Viva, & Roncaglia.*

DE JURISDICTIONE EPISCOPALI.

Quando est probabile, Episcopum dedisse mihi facultatem audiendi confessiones, vel absolvendi à reservatis; cum tamen ne cogitaverit quidem, & opinio negans fuerit probabilior; nullatenus peccabo, confessiones audiendo, & à reservatis absolvendo. Quin, cum poenitens non ponat obicem, certa que sit jurisdictio cujuslibet Sacerdotis in peccata venialia, quorum aliqua simul cum mortalibus semper quispiam confitetur; erit quoque certus confessionis valor, & quamvis ille careat jurisdictione in mortalia, hæc indirectè, ac per accidens remittatur virtutè

jurisdictionis præfata. *Pag. 556. Suarez, Sanchez, Lessius, Gobat, & Viva.*

Parochus potest jure suo delegare vices suas, & jurisdictionem alteri Parocho in ordine ad confessiones audiendas, necnon Sacerdoti approbato ab alieno Episcopo, dummodò Episcopi non repugnent. Imò sufficit approbatio cujuslibet Episcopi. *Pag. 562. Viva cum Suarez, Filliucio, Trullenc, Koning, & Henriquez.*

DE CLERO.

SI Clericus emerit aliquid ut consumat, & postea ejus pretium crescat, vendere potest, sperans se vilius empturum. *Pag. 454. Croix cum Molina, Sa, Laymann, Palao, Lugo.*

Non peccant Monachi, & Clerici, si pecunias dent mercatoribus, qui propriis eas immisceant, negotienturque, ac lucra cum illis dividenda assequantur. *Pag. 453. Croix ex Molina, Lessio, Rebello, Lugo, Salmanticensibus, Sa, Laymann, Palao, & aliis.*

Clerici directe non obligantur potestate directiva legis civilis, saltem sub mortali: quodsi hujusmodi transgressioni imposita sit poena, huic poenae non subjacet Clericus, neque res ipsius, quae gaudent privilegio personae. *Pag. 193. Suarez, Vazquez, Azor, Filliucius, Bonacina, Laymann, Barbosa, Tannerus, & alii laudati à Croix.*

Clerici non tenentur ad gabellam contractuum, nec rerum à patrimonio suo. Bona, & coloni Religiosorum Mendicantium eximuntur ab omni exactione. *Pag. 192. Croix cum ab eo citatis.*

Clericus rogatus à custodibus, an aliqua portet, eo fine ut gabellam solvere compellatur, potest jurare, se nihil portare intelligendò, EX QUO GABELLAM DEBEAT. *Pag. 308. Sanchez.*

Si Sacerdos portans Eucharistiam, furaretur, infamaret, aut quid simile peccatum patraret, non adeò magna irreverentia, & grave speciale sacrilegium agnoscitur. *Pag. 521. Tamburinus.*

Si merces, justa, & recepta lege, consuetudine, aut conventionione taxata, Sacerdotibus non persolvatur, optimo jure sese compensare poterunt, & quod justo deest, sibi occultò accipere ex aliis pecuniis illius, qui ipsis Missas commendavit. *Pag. 448. Hurtado.*

Publici, & notorii concubinarij non sunt hodie ipso facto de jure suspensi, & non fiunt irregulares, si actum Sacri Ordinis exercent. Concubinatus crimen est merè Ecclesiasticum: Judices saeculares ex officio non possunt illud punire: nec Clericorum concubinæ occultæ possunt apud illorum tribunal accusari, & puniri. *Pag. 405. Estobar ex aliis.*

Religiosus, qui nondum explevit annum 21. non tenetur ad jejunia per suam Regulam mortaliter indicta. Concionatores, si per totam Quadragesimam quotidie, vel etiam ter, quaterve in hebdomada consuetam horariam plus minus concionem habent ad populum, etiamsi voluntariè, & propter lucrum concionentur, à jejunio tunc erunt excusandi. *Pag. 497. Tamburinus, & Viva cum aliis, quos laudant.*

Non est peccatum mortale absque justa, & urgenti ratione unum Officium pro alio recitare. *Pag. 482. Valentia, Lessius, Vazquez, Azor, uterque Leander, & alii, quos laudant Salmantenses, & Viva.*

Sola major commoditas sufficit, ut quis valeat sive anticipare, sive differre Officium divinum. *Pag. 483. Pellizer cum Filliucio, & Sanchez cum Navar.*

Clerici, secluso scandalo, non peccant mortaliter, Principum saecularium Leges violando. *Pag. 184. Molina, & Escobar.*

Si Princeps concedat legem civilem purè favorabilem, Religiosi, & Clerici possunt ejus beneficio frui. Sed & Privilegia, quae à Saecularibus Principibus conceduntur Ecclesiasticis, sunt irrevocabilia. *Pag. 185. Escobar cum Suarez.*

Rex debet excommunicari, & privari suo statu, quoties violat Privilegia impartita Religiosis. *Pag. 202. Becanus.*

Clerici rebellio in Regem, non est crimen læsæ Majestatis. Nullum jus occidendi Sacerdotes, aut alios Ecclesiasticos Ministros, etiamsi crimen mortè dignum admiserint, ha-

habent Laici Principes. *Pag. 197. Sà, & Magballianus.*

Ad defensionem vitæ, & integritatis membrorum licet etiam filio, Religioso, & Subdito se tueri, si opus sit, occidendo ipsum Parentem, Abbatem, Principem, nisi fortè propter hujus mortem secutura essent nimis magna incommoda, ut bella. *Pag. 332. Busenbaum cum Bonacina.*

Licitum est Clericis & Religiosis, in tutelam suarum facultatum etiam fugientem furem occidere, quando alius modus non suppetat. *Pagg. 370. & 380. Escobar, Gardenas, & Croix cum aliis.*

Saltem honorem, famamque illam, quæ ex virtute, ac sapientia nascitur, quique verus honor est, justè possunt Clerici, & Religiosi, etiam cum morte invasoris defendere: Quin, interdum lege saltem charitatis videntur teneri; si ex violatione propriæ famæ integra Religio infametur. *Pag. 340. Amicus, Zergol, Caramuel.*

Religiosus, qui fragilitati cedens, foeminam vilem cognovit, quæ honori ducens, se prostituisse tanto viro, rem enarrat, & eundem infamat, potest illam occidere. *Pag. 342. Ibidem.*

DE REGE.

Regalis Dignitas revera non est realis, sed verè fictitia, inanis, titulus sine re, sive phantasma ludricum, nihil rei habens, præter fictitiam pompam, opinionem, & beneplacitum populare. *Pag. 195. Fernandez.*

Si supremus Princeps legitimus negligat, vel non audeat illatas populo suo injurias vindicare, & bellum reputetur necessarium omninò ad coercendos malefactores, subditis licet bellum inferre hostibus, hosque pro meritis punire. *Pag. 196. Dicastillus ex Molina, Suarez, & Koning.*

Si incurrat crimen hæresis, aut apostasiæ à fide, vel excommunicationem ob quamcumque aliam causam: vel si tyrannicè gubernet, onerando subditos injustis exactionibus, vendendo officia Judicum, condendo leges sibi commodas, Publico parùm utiles; potest deponi, ac eligi alius à majori parte Populi, etiam qui juravit ei obedientiam perpetuam,

tuam, si monitus non vult corrigi. *Pag. 198. & seqq. Valentia, Suarez, Sà, Becanus, & Mariana.*

Quinimò potest puniri, licitè etiam sine ullo peccati scrupulo interfici gladio, veneno, proditione, seu alia quavis vi, ubicumque habeatur uti tyrannus vel ob suum regimen re ipsa tyrannicum, vel ob usurpationem, & detentionem Regni alieni, quod possedit, vel ob simile motivum quodcumque. *Pag. 352. & seqq. Valentia, Molina, Lessius, Suarez, Sà, Escobar, Becanus, Mariana.*

Non peccant Subditi, sine causa non recipientes legem, à Rege legitime promulgatam; neque supplicationem super promulgata lege exponentes, & interim eam non observantes. *Pagg. 169. & 179. Escobar cum Megala, Valentia, Diana, Filliucio, & Croix cum pluribus aliis.*

Si lex sit ardua, tunc ex benignitate Legislatoris præsumi potest, non solum quòd velit eam tacitè revocare, si non acceptetur; sed etiam quòd feratur sub eadem tacita conditione, quòd acceptetur: ut proinde non peccet, qui per epichejam credit, ad talem legem non obligari etiam à principio. *Pag. 183. Viva cum Suarez, Salas, Bonacina, & aliis.*

DE LEGIBUS REGNI.

Leges civiles de facto, vel rarò, vel certè non frequenter obligant sub mortali. *Pag. 180. Tamburinus cum laudatis ab eo.*

Nulla lex poenalis, sive mixta in quacumque poena temporali, quantumvis gravi, obligat in conscientia ad culpam. *Pag. 180. Tamburinus cum Valentia, & Villalobos citante alios apud Dianam.*

Leges de solvendis vestigialibus sunt tantum poenales, & non obligant in conscientia. *Pag. 191. Croix ex Navarro, Angelo; Beja, Lessio, Bonacina, aliisque multis.*

Etiam poenæ civiles, si extraordinariæ sunt, non incuruntur ab illo, qui invincibiliter ignorat, illas esse transgressionem annexas. *Pag. 193. Croix ex Navarro, Sà, & aliis cum Tamburino.*

DE JUDICIIS.

SI Judex reputaret, utramque sententiam esse probabilem, non teneretur, vel litigantes componere, vel dividere rem inter ipsos; sed datur ei electio, propter amicum, & consanguineum, & pecuniam secundum illam judicandi, quam maluerit, aut quæ amico, consanguineo, & danti magis favet. Quinimò licet Judici sequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, & secundum illam adjudicare amico, & consanguineo: maximè si Judex inferior esset, & opinio, quam minus probabilem judicat, esset magis praxi recepta: & crederet fore, ut minus prudens à Judice superiore, ad quem appellatur, notaretur, ejusque sententia revocaretur, si lata esset juxta sententiam, quam probabiliorem existimat. Tunc enim potest sententiam minus probabilem sequi. Pagg. 14. 140. 141. & 142. *Valentia, Dicastillus cum Salas, & ab isto laudatis, Fagundez, Escobar, Sanchez cum Fillucio, Tamburinus cum Lesio.*

Aliqua munera accipi posse, non solum ab electoribus ad Majoratum, Cathedram, Capellam, sed etiam à Judicibus, quando sententiam proferunt in causa æquali, ac semper & quando partes litigantes ea præstant sive ob avaritiam, sive ob agnitionem justitiæ, quam fecerunt, sive ut ad eam inducant faciendam, sive ut obligent ad assumendam specialem curam de suo negotio, sive ut compellant ad citiorem expeditionem, seu ad præferentiam parti adversanti; dummodò lex aliqua particularis non prohibeat. Sed sæculares Judices non peccant; saltem mortaliter, ex solo capite, quod adversus has leges sæculares operentur, quia hæc saltem de facto, ad mortale nequaquam adstringunt, nisi id expressè declarent. Pagg. 143. & 144. *Escobar cum Fagundez, Piot cum Casuistis, Tamburinus cum aliis apud Palaum.*

Judex neque jure naturæ, neque positivo teneretur ad restituendum id, quod recepit, ut iniquam sententiam ferat, & pro hujus pronuntiatione in favorem alicujus; secus, si sententia sit justa. Pagg. 144. & 434. *Lesius, Turrianus, Azorius, Tamburinus, Dicastillus, Laymann, Busenbaum apud Fabri.*

Te-

Testis non juridicè interrogatus de aliquo delicto, quod verè scit, quia vidit, potest respondere, *se nescire*, intelligendo intra mentem, *ita ut teneatur dicere*. Potest quoque prædictis æquivocationibus uti, licet aliàs juridicè rogetur, quotiescumque non teneretur ob aliquam causam ferre testimonium, ut quia notabile damnum ipsi sequeretur. Quia tunc verè dicit, *se nescire*, non vidisse, nec audivisse, intelligendo, *ita ut dicere teneatur*. Pag. 306. *Sanchez.*

Is, cui licitum est aliqua bona abscondere, eo quòd illis ad vitam sustentandam egeat, ne à creditoribus capiantur, & sic cogatur mendicare; potest rogatus à Judice jurare, se nulla bona habere. Atque idem possunt jurare id scientes, intelligendo secum, *non habere bona abscondita, quæ Judici manifestare teneantur*.

Quoties quispiam à cujusvis debiti obligatione liber est, potest rogatus à Judice de illo, id negare, intelligendo intra se, *ita ut debeat*.

Quoties sive verè, sive fictè promittens matrimonium, immunis est ob aliquam causam ab implendi obligatione, potest is à Judice vocatus jurare, se non promississe, intelligendo, *ita ut teneatur implere*. Pag. 308. *Sanchez.*

Potest ab aliquo fieri compensatio occulta, quando Judex, qui teneretur opinionem probabiliorem circa jus sequi, proculdubio sententiam ferret in ejus favorem. Pag. 448. *Viva ex Lugo.*

DE REO.

REUS, qui à Judice legitimè interrogatus negavit veritatem, potest absolvi a Confessario, quin teneatur se offerre ad fatendam veritatem, sed satisfacit dolendo de præterita culpa: Etiam si fuerit convictus, & damnatus ad extremum supplicium, ad minimè teneretur, nisi in aliquo speciali casu, qui creditur rarissimus, imò moraliter impossibilis, notabile alicui tertio damnum sequeretur. Pag. 215. *Sanchez.*

Ob periculum vitæ, etiam nulla elucente spe evadendi, quod reus sincerè respondendo subit, potest Judici negare

ve-

veritatem cum æquívocatione : excepto casu hæresis , ne convictus de illa , cum scandalo pœnam subeat negativus hæreticus. *Pagg. 218. & 219. Busenbaum cum Sa, & Lesio. Tamburinus cum Lugo, Joan. Sanchez, Thom. Sanch. cum DD. 22.*

Ad gravia mala exilii v. g. amissionis bonorum trirremium , gravis infamiæ , & similibus , perinde ac ad mortem , jus naturæ nos armat , imo nos urget : unde non tenentur Rei sub culpa reatum suum candidè fateri : quin licitè possunt , suum crimen , etiam jurejurando occultare , sive restrictione sensibili , sive locutione purè materiali. Quin etiam malum leve vitandum eos fortassè excusat à mortali , quia de jure itidem naturæ videtur esse , ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam. *Pag. 221. Tamburinus, Viva, Casnedi.*

Potest Reus vincula effringere , & rumpere carcerem , saltè cum animo restituendi fractionis damnum : quod tamen damnum restitui , non est in usu. Potest quoquè , saltè in foro conscientiæ , custodes , prævisà vi & injuria , decipere , tradendo v. g. cibum , & potum ut soporentur , vel procurando ut absint. Et ad prædicta possunt alii adjuvare illum. *Pag. 222. Tamburinus cum Lesio, & Busenbaum cum Filliucio, Tannero, & aliis multis.*

Innocens , qui ad mortem capiendus est à satellitibus , scientibus ipsius innocentiam , aut volentibus capitalem pœnam , & sententiam Judicis in reum exequi , potest se defendere , etiam , si opus sit , occidendo satellites. Et similiter reus , præconis voce traductus , potest se defendere , & aggressorem occidere. *Pag. 335. Fabri cum Lugo, & Croix ex AA. ab ipso citatis.*

Non legitimè interrogatus de proprio delicto , quod fecit , potest respondere , se non fecisse illud , intelligendo intra se , vel eo modo quo Judex interrogat , nempe , *ut substat illi judicio, vel in alia die ab ea, in qua fecit, vel quodcumque aliud additum.* Item licebit respondere , se non occidisse Petrum , intelligendo , *alium ejusdem nominis, vel etiam eundem, intelligendo, antequam nasceretur.* *Pag. 35. & 306. Sanchez cum Toledo, Lesio, Valentia, & aliis.*

Quando reus injustè occultos socios detexit , aut testis in-

injustè crimen rei occultum coram Judice prodidit ; si non sit sufficiens aliundè informatio ad procedendum contra eos socios , aut illum reum , possunt reus , & testis ille se offerre coram Judice , & jurare , illos non fecisse id delictum , intelligendo , *ita ut tale delictum substet illi judicio : & falsum dixisse, intelligendo, quatenus falsum fuit, id delictum eos fecisse publicè, ita ut subesset illi judicio.*

Quoties factum exterius contra legem , excusatur à culpa ratione alicujus circumstantiæ , potest rogatus juridicè de illo facto , id negare , intelligendo , *de facto criminoso.*

Quando taxa alicujus rei est injusta , si pluris vendens , aut defraudans in pondere & mensura , ita ut sibi satisfaciat pro pretii injustitia , & reddat correspondentes merces pretio dato ; potest hic interrogatus à Judice , an pluris vendiderit , vel defecerit in pondere , aut mensura ? Id negare , & asserere , se pretio taxato vendidisse , & integrè pondus & mensuram tradidisse , intelligendo hæc , *ita ut pluris vendens, aut deficiens in mensura & pondere deliquerit.*

Quoties licitum est ad se tuendum uti aliqua æquívocatione , id quoquè erit licitum , etsi interrogans urgeat excludens illam æquívocationem. V. g. iniquus Judex interrogat testem , an sciat delictum , sive publicè , sive occultè ? Potest testis respondere , se nec publicè , nec occultè scire , intelligendo , *ita ut teneatur dicere.* Similiter Reus rogatus de delicto secreto urgetur ut dicat , sive fecerit publicè , sive occultè , sive ipse Judex juridicè roget , sive non ; adhuc potest respondere , se non fecisse , intelligendo , *non ut iniquitate tua rogas, sed ut teneris tamquam Judex rogare.* Et quantumcumquè reduplicet , ut juret , se nullà æquívocatione uti , & absque omni æquívocatione id intelligere : adhuc jurare potest id , intelligendo , *ita ut planè debeat loqui, & explicare, vel aliquid aliud mente concipiendo, quo verum id reddatur.* *Pagg. 307. 308. 309. & 310. & 321. Sanchez cum aliis, & Hurtado.*

Reus potest uti æquívocatione , quando extractus est ab Ecclesia , vel Judex interrogans est excommunicatus. *Pag. 307. Sanchez.*

DE FIDE.

A Ssensu fidei semel habito, præceptum ejus affirmativum per se directè amplius non obligat, ne semel quidem in singulis annis, sed nec in articulo mortis. *Pag. 209. Sporer, & Leander.*

Dùm Infidelis sibi persuasum habet, suam Sectam esse probabilem, quamvis contraria sit probabilior; nec in vita, nec in articulo mortis constitutus, tenetur veram Fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti. Quò fit, ut multæ puellæ usque ad vigesimum annum vix censei possint hæreticæ, nec desint plurimi in sua Secta valdè religiofi, qui juxta instructionem, quam habent, Deo servire sagant. Hi certè non sunt hæretici formales, habentque Fidem Catholicam in Baptismo acceptam. Ab hæresi enim incurrenda excusat quævis ignorantia, etiam affectata. Quin, fidelis rudis, & ignarus, casu quo ei per viros magnæ auctoritatis proponantur motiva credibilitatis, juxta ejus captum efficaciora pro fide hæretica, quam pro Catholica, pruden-ter, & meritorie Catholicam desereret, & hæreticam amplecteretur. *Pag. 172. Billius, Sanchez, Palaus, Terillus, Bussembaum, Stoks, & Platellus ex Tannero, & aliis.*

Christianus videns, Christum ab infidelibus contumeliis affici, vel imagines conculcari, & temendam fidem, nisi causam ejus publica fidei confessione tueretur; non tenetur ad id, si timeret, irrisores ex sua laudatione magis irritandos fore, & in blasphemias processuros. *Pag. 214. Palaus.*

In causa Religionis & fidei simulare, ac fingere licet profanæ Religionis ritus, ad speciem saltem, ac fucum exterius exercendo: quam simulationem gravioris periculi metus excusat, occultaque mens intentio coonestat. *Pagg. 324. ad 329. AA. apud Illust. Fernandez, & Em. Lucinum. Atque Antonius à Spiritu sancto.*

DE SYMBOLO.

Christus est Filius Trinitatis, Patris, & sui, & Spiritus sancti. *Pag. 227. & seqq. Suarez, Vazquez, Beccanus, Lessius, Grandamus, Rhodes, Raynaudus, Merazius, Mendoza, Arriaga, Toledo, & Maldonado.*

Aliud est Verbum, aliud est Filius Dei.

Verbum est secunda SS. Trinitatis Persona: Filius Dei est ipsa Christi humanitas per se, unita tamen hypostaticè Verbo.

Verbum erat apud Deum, non apud Patrem: quia in principio nondum Pater, sed post Incarnationem tantum.

Humanitas Christi sola est principium physicè productivum; & qui dicit Christum, dicit principium agendi completum; & merendi, & quidem absque Verbo.

Deus Christum per unionem cum Verbo fecit Deum.

Deus, ex quo Verbum unitum fuit humanitati Christi, coeptus est Pater appellari, sive Pater D. N. Jesu Christi.

Filii Dei appellatione in Evangelio intelligitur humanitas Christi, conjuncta cum Persona Verbi.

Verbum non est proprie æquale Patri.

Verbum non est individuum distinctum à Patre, licet sit suppositum distinctum.

Individuum assumptum à Verbo, habet Patrem se majorem: quia Pater, Deus est per suam naturam; illud autem, Deus est tantum per hypostaticam unionem cum Verbo, quæ facit quidem illud individuum æquale Deo.

Verbum est unitum humanæ naturæ individuo; quod factum est per illam unionem æquale Deo; quamvis simul subiectum Deo.

Spiritus sanctus, de quo in Evangelio, est donum ejus infusum in animos credentium; quod Paraclyti, & Spiritus sancti nomen habet per prosopopæjam, & appropriationem.

Signum visibile inhabitantis in Christo Spiritus divini, sive divinæ dilectionis erga ipsum, est Spiritus sanctus, qui descendisse dicitur corporali specie sicut columba in ipsum, dum baptizaretur in Jordane. *Pag. 243. & seqq. Harduinus.*

D E E O D E M S Y M B O L O .

Sanctum Jesu Christi Evangelium in principio erat Verbum.

In plenitudine temporum existit homo Deus, qui non erat.

Christi humanitas est objectum unicum, directum, primum, & perpetuum omnium, quæ de Christo dixerunt Evangelistæ.

Homo Deus existens in tempore præscindit à proprietatibus Personæ divinæ notionalibus, attributisque essentialibus.

In Evangelio non magis tribuitur Christo in cognoscendo, & agendo æterna, & infinita Verbi scientia, & potentia, quam Patris, & Spiritus sancti.

Jesus Christus ignorabat per scientiam infusam diem, & horam Judicii.

Prece tantum, & postulatione Jesus Christus dicitur miraculorum effector.

Unio hypostatica nihil omnino confert ad complementum naturæ humanæ Christi in ratione principii producentis, & actiones suas physicè, aut supernaturaliter agentis.

Jesu Christi oblatio, oratio, mediatio, non sunt operationes à Verbo elicite, sed operationes solius humanitatis ejus, in agendo & merendo completæ per concursum Dei naturalem, & supernaturalem.

Humanitas sola obedivit Patri, sola oravit, sola passa est, sola ornata fuit donis necessariis ad agendum libere, ac necessario.

Si ex uno Patre jam omnia existunt, tamquam ex causa efficiente; quomodo dicerentur facta per Filium, tamquam per causam efficientem? Nec Catholicis placeret, qui diceret, mundum à Deo per Verbum esse factum.

Omnia propter Christum, & ejus intuitu facta sunt à Deo.

Non repugnat Deo uni, & véro, in tribus Personis subsistenti, fieri in tempore, & esse Patrem filii naturalis, & veri.

Est ab æterno generatio Dei, ut Patris; est in tempore generatio Dei, ut unius.

Om-

Omnes, & singuli utriusque Testamenti textus, in quibus aliquid de Deo ut Christi Patre, aut de Christo ut Dei filio narratur, intelligendi sunt de Filio, factò in tempore secundum carnem Deo uni in tribus personis subsistenti.

Deus Pater, sive Persona prima, per appropriationem dicitur Pater Jesu Christi.

Christus Jesus pro triduo, quò corpus ab anima separatum jacuit in sepulcro, factus est incapax appellationis illius, *Filius Dei*.

Deus Christum hominem resuscitans, hominem Deum iteratò generat, dum facit resuscitando, ut Filius sit, qui moriendo Filius esse desierat.

Ad orationem Jesu Christi Pater mittit Spiritum sanctum, nec aliter mittitur in nomine Christi. *Pag. 247. & seqq. Berruyer.*

D E C H A R I T A T E .

Deus non tam amorem sui præcipit, quam odium vetat. Christus suo nos sanguine liberavit à necessitate serviendi Deo in amore. *Pagg. 278. & 279. Sirmondus.*

Famulus hominis tenetur majorem adhibere diligentiam, ne suo Domino inferat damnum, etiam materiale; quam Servus Dei, ut caveat peccatum materiale. *Pagg. 286. & 289. Croix cum Terillo.*

Ex vi præcepti charitatis tenetur homo per se quandoquè in vita sua elicere actum formalem amoris Dei super omnia. *Pag. 281. Sporer.*

Instante periculo mortis, si peccati mortalis conscius non es, non obligaris Deum super omnia diligere. *Pag. 283. Palaus ex Azor, Sanchez, & aliis.*

Blasphemiæ contra Deum; contra B. Virginem, & contra Sanctos, non differunt specie. *Pag. 520. Tamburinus. ex Azor apud Dianam.*

Licet moderatè comedere ac bibere, directè intendendo solum voluptatem. *Pag. 291. Viva cum Joan. Sanch. Escobar. Perez, Thom. Sanch.*

Quamvis desideria mortis propriæ, vel alienæ, ob bo-

d 2

num

num temporale, quod sit vitâ longè præstantius, uti est mors vitâ amarâ, non vacent sæpè veniali culpâ, præsertim si sint absoluta, & solùm implicitè conditionata; nihilominus si cum hac debita moderatione ponantur, possunt citra culpam mortalem exerceri. *Pag. 300. Viva.*

Injurîa affectus non tenetur aliquandò particularia dilectionis signa inimico exhibere: nec læsus tenetur sustinere injuriam, & illam remittere, quandò id necessarium videtur ad reprimendam inimici audaciam. *Pag. 301. Vidal.*

DE JURAMENTO.

SI per injuriam extorqueatur promissio jurata alicujus personæ dandæ, licet juranti uti hac æquivocatione: *jurō tibi numeraturum pecuniam*, intelligendo, ut ille casus *tibi* regatur à verbo *jurō*, ut sit sensus, *tibi jurō*. Similiter non esset plusquam veniale mendacium dicere *uro*, ablata *j*. Imò credo, nullum fore mendacium; si illud verbum *uro*, accipiatur *materialiter* ad nihil significandum.

Coactus aliquam accipere in sponsam, quam ducere non tenetur, potest jurare, se accepturum, intelligendo intra se, *si tenet*, vel, *si postea placuerit mihi*. Idem intelligo de muliere non cohabitante viro, quia conscia sit adulterii viri; nam jurare compulsa, se viro cohabitaturam, potest id jurare intelligendo intra se, *si ad id teneor*. Adultera rogata à marito, an adulterium admiserit, potest jurare, *se non fregisse matrimonium*, vel *non fecisse adulterium*, intelligendo, *ut tibi revelem*. Et quoties licitum est ad se tuendum uti æquivocatione, id quoque erit licitum, etsi interrogans urgeat excludens illam æquivocationem. *Pag. 309. Sanch.*

Si aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedat, nullam culpam committis, sic amphibologicè jurans, tamen etsi non rogatus jures, sed te offeras ad jurandum. Utens aliqua ex dictis amphibologiis debet scire saltem in genere, se posse absque mendacio veritatem regere. Non tamen opus est, in particulari cognoscere modum, quo debet regi. Quòcirca si intendat jurare eo sensu, quo vir doctus verum re-

pe-

periet, & sciat, verum reperiri posse, sufficiet ad excusationem. Nulla enim propositio ita amplè sumi potest, quin aliquam restrictionem habere possit in mente. *Pag. 310. Palaeus cum Toledo, Suarez, Valent. Lesio, Sanch. & Bonacina.*

Licet juranti accipere verba in alio sensu, quàm ea præferunt; ac ne veniale est sic jurare cum causa. Quandò verba nullò modò ex se patiuntur æquivocationem, seu mentis restrictionem, licet aliud intelligere solùm ex mea mera voluntate: V. g. *jurō me non dormivisse*, intelligendo *ME NON COMEDISSE*. *Pagg. 314. 315. & 318. Tamburinus cum plurimis, quos ipse, & Viva laudant.*

Si quis juret cum expresso hoc tertio animo, nullò modò promittendi, vel se obligandi, non est mortale. Item si juret cum animo solius promissionis humanæ.

Ex quibuscumque æquivocis juramentis, vel quoquo modo fictis, quæ in conscientia non sunt vera juramenta promissoria, non nascitur obligatio ex vi Religionis. *Pag. 316. Tamburinus ex Sanchez, & Bonacina.*

Si cesset ejusmodi præsumptio, & jurans clarè probet, se sine animo vero jurasse, potest, & debet Judex eum condemnare, non ex vi juramenti, sed ex legibus Castellæ, sic disponentibus in pœnam delicti dolosè jurantis; si vero talis lex alicubi non adsit, arbitrio Judicis tunc servatur decretum pœnæ. *Pag. 316. Tamburinus cum Sanchez, & Palaeo.*

Non requiritur moralis certitudo ad omne juramentum; ad quod sufficit audivisse à viro nobili, & fide digno. *Pag. 317. Croix cum Sanchez, Palaeo, aliisque apud Dianam.*

DE SANCTIFICATIONE FESTORUM.

Opinio, quæ dicit satisfieri huic præcepto, si successivè audiantur duæ medietates Missæ, adhuc est probabilis. Qui per longum tempus confitetur, Missam audit. Propter lucrum notabile potest omitti Missa. Si sis tenuis fortunæ, excusaris ob lucrum duorum ducatorum; si sis verè pauper, unius ducati. Si Missam negligas ut iter agas cum aliquo, qui faciet expensas itineris, aut multum sublevabit, excus-

d 3

sa-

faris. Imò sola derelictio sociorum itineris videtur esse causa sufficienter excusans. Aurigæ, qui per consuetudinem habent jus vehendi aliqua die festo, etiam habent jus omit- tendi Missam, si hac audita vehere non possunt: etiam si tu posses vecturam omittere sine notabili damno, potes cum illis uti privilegio consuetudinis. Qui die festo mandat sex famulis, ut singuli unâ horâ simul laborent, secluso scandalo, est veniale tantum. Imò durum videtur, mortalis dam- nare, si quis duas, aut tres horas impendat labori. *Pag. 490. Croix ex aliis, quos laudat.*

Si Confessarius pro pœnitentia præscriberet tres Missas audiendas; probabilissimum est, ut docent communius, posse pœnitentem eodem tempore omnes audire. *Pag. 489. Viva.*

DE JEJUNIO.

Dispensatus ad carnes edendas, liber est à jejuniò, etiam eo die, quo ex libito carnes non manducat, potestque simul comedere pisces, & quascumque carnes, tametsi sit dispensatus ad unum genus carniùm. Qui animadvertenter in die jejunii non contemnendam carniùm quantitatem for- tè comedit; si errorem postea advertat, non obligabitur jeju- nium servare. Segimen potest recipi in jejuniò. Licet bibe- re intra diem jejunii vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis, vel eodem vino distillatas, etiam de mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in frau- dem jejunii. Chocolata neutiquam jejuniùm violat. Quanti- tas jentaculi pertingens ad quartam partem solitæ cœnæ est parvitas materiæ, etsi octo unciis addatur una vel altera un- cia; sed in vigilia Natalis Domini, etiam si incidat in diem Sabbati, in quo celebretur jejuniùm quatuor temporum, po- test extendi ad uncias sexdecim.

De cibis communibus Quadragesimalibus accipi possunt, quæ cuilibet arrident, modo conflatum ex pane, & ex præ- dictis, non excedat uncias octo.

Pater, & Dominus ad compellendos filios, vel famulos, ut ii jejurent non obligantur. Inq̄ debent illis cibos, quam-
vis

vis sciãnt, eos non jejunatos, ministrare. Idem cauponi- bus, & vendentibus.

Qui sexagesimum annum attingit, licet non compleverit, & quamvis voverit singulis Sabbatis jejunare toto vitæ suæ tempore, addita etiam clausula *in perpetuum*: Qui noctu dor- mire per notabile tempus, aut caleferi non potest absque perfecta cœna: Omnes artifices, atque adeò sutores: si quis pedester ad venandum solùm ob voluptatem se conferat tem- pore non multum proximo diei, quo jejuniùm urget, vel pilâ ludat, vel hastiludio vacet; multo magis si cum pec- cato, ut si ad adulterandum, vel ad furandum dictum pe- dester iter arripiat: & si precibus, aliove modo posset con- jux remove alterum à petendo debitum; adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque posset non jejunare, & sic reddere: sicut & supradicti omnes excusantur à jejuniò. *Pag. 492. & seqq. Tamburinus.*

DE HOMICIDIO.

Justum & sine peccato est homicidium, si, etiam autho- ritate propria, fiat ob defensionem vitæ, honoris, bo- norum. Ut vitam meam defendam, potest à me occidi is, qui me injustè aggreditur, etiam intendendo ejus mortem; & etiam præveniendò mortem ejus, qui proximè, & in pro- cinctu parat, me injustè aggredi, vel ejus quoque, qui vel- uti remotè parat. *Pag. 333. Tamburinus cum ab eo citatis.*

Hinc licet occidere eum, qui apud Judicem falsa accu- satione, aut testimonio id agit, ut certò tibi constet, quod sis occidendus, vel mutilandus, vel etiam amissurus bona temporalia. *Pag. 334. Bussebaum cum Sanch. & aliis.*

Servatur autem moderatio inculpatæ tutelæ, etiam in fo- ro exteriori, quamvis arma capiantur adversus eos, qui armis carent, aut etiam sumantur validiora; sed quacumque via, & ratione. *Pagg. 332. & 382. Molina.*

Ex lege charitatis licet occidere vitæ proximi, & bono- rum ejus injustum invasorem, etiam si invasus cedat juri suo; & quidem proximi non tantum præsentis, ut in defen-
sio-

fione vitæ à Latrone, verum etiam absentis, ut si vicini tui absentis facultates injustè diripiendæ, domus incendienda, uxor violenter opprimenda sit, &c. Id nec aliter impedire potes, nisi occidendo inuasorem, OCCIDE IN NOMINE DOMINI. Pag. 371. *Escobar cum ab eo laudatis, & Sporer.*

Constat occidi posse inuasorem illum, imò aliquandò ad id datur obligatio, etiam in Ecclesiastico, in eo casu videlicet, in quo iste putaret se esse in peccato mortali, & non posse conteri, antequàm ab inuasore occidatur. Nequè obstat, quòd inuasor sit in mortali, & in æternum damnetur. Pag. 374. *Viva cum Filliucio, Molina, Azor apud Dianam.*

Licitum est, inuasorem, qui fuste, aut alapà minatur malum contra honorem, occidere, si alius non sit sufficiens modus defensionis. Quòd si quis post impactam alapam, non progreditur, aut fugæ se committit, vir nobilis, vel honoratus sic injuriatus potest illum repercutere, persequi, totque illi vulnera infligere, quot ad sui honoris recuperationem credit necessaria, vel etiam occidere. Pagg. 336. 337. & 370. *Vazquez, Lessius, Bussembaum, cum Lessio, Diana, Hurtado cum aliis duodecim, Tamburinus cum Suarez, Bonacina, Koning, & aliis. Salmant. Filliucius, Becanus, Henriquez, & Escobar.*

Licet contumeliosum, seu profantem, *mentiris*, honorato viro, internecare, atque contumeliis afficientem sive per verba, sive per signa, quandò aliter ea injuria arceri nequit, quamquàm ipse armis non invadat. Pagg. 338. & 370. *Lessius cum Petro Navar. Amicus, Escobar cum Baldele.*

Nec tenetur, etiam si possit, fugere cum suo dedecore, & declinare malum. Pagg. 373. 374. 378. & 379. *Viva, Casnedi, & Croix.*

Accusator injustus me calumniis efficit mortì addicì, licet eum ad certamen provocare, aut acceptare, vel occultè occidere. Pag. 371. *Escobar cum utroque suo Hurtado.*

Tenetur innocens non acceptare duellum, nec indicere; si potest occultè illum occidendo, id vitæ, honoris, rerum familiarium periculum evadere: aliter utrumque potest pro vita, honore, & pro rebus etiam tuendis. Pag. 346.

Sanct. Salmant. Diana, Lessius, Palus, Laymann, Filliucius, & Stadler.

Si aliud non suppetat remedium, licet directè procurare abortum foetus inanimis, ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis, saltèm quando mors prægnantis imminet ab intrinseco. Pag. 335. *Trullench cum ab eo laudatis, & Viva.*

Certum est tum jure naturæ, tum civili, licere occidere volentem mea bona alicujus momenti, nempe vel trium, quatuor, aut quinque ducatorum, vel non minoris valoris, quàm duorum aureorum, vel etiam unius, alteriusve, dum est magni momenti aut in sui æstimatione, aut ex aliquo damno consequente, si aliter ea defendere nequeam. Est enim valdè iniquum, ut pro pomo, vel etiam uno aureo servando, alicui vita auferatur. Si tamen tibi verteretur probro, nisi rem furto extorqueas, sisque homo honore dignus in populo, posses conari, & si opus esset, etiam occidere, etiam si deinde recuperare per Judicem posses. Pagg. 339. 344. 345. 346. & 374. *Vazquez, Molina, Lessius, Tamburinus, Viva.*

DE PECCATIS LUXURIAE.

Potest & foemina quæque, & mas, pro turpi corporis usu pretium accipere, & petere ab habente solidum rei datæ dominium; tantique potest vendi, quanti eam æstimat qui vendit, plusve, aut minus juxta qualitates, pulchritudinis, honestatis, & status. Pagg. 407. 408. & 435. *Sà, Gordonus, Lessius, Tamburinus cum ab ipso laudatis.*

In vi & metu infamiæ, mortisque non peccat puella, si non adhibeat omnia omninò media ad repellendum stupratorem, v. g. si non, ut potest, clamet, manibus, totisque viribus ei reluctetur, & resistat; sed permittat illi suam explere libidinem, non consentiendo, vel cooperando, sed permittendo, & negativè se habendo. Pag. 410. & seqq. *A Lapide, Dicastillus, Tirinus, & Croix ex Bussembaum cum Taberna.*

Polygamia potest permitti ob periculum incontinentiæ, terra marique quàm longè disitis confortibus. *Pag. 414. Grelon cum aliis ab eo citatis.*

Simplex fornicatio determinati viri cum determinatâ fœmina non est contra jus naturæ; & quamvis sit re ipsa, ratio à priori id certò probans nondùm clarè est comperta, nec peccatum mortale dicenda est. *Pagg. 405. & 415. Magistris, Durandus, Caramuel, Tamburinus, Escobar ex aliis.*

Peccata luxuriæ contra naturam, ex genere suo minora sunt quàm peccata furti. *Pag. 400. Vazquez.*

In genere luxuriæ dantur peccata levia ratione materiæ. *Pag. 402. & seqq. Sanchez, Lessius, Araujo, & alii.*

Sciens, ex verbis amatoriis secuturam pollutionem, vel ex curioso fœminæ aspectu, vel ex nimia comestione, aut ebrietate, non peccat mortaliter, etsi pollutio sit prævisa.

Scit mulier, in choreis se ab aliquo tangi intentione prava, non peccat ejusmodi tactus admittendo.

Qui fœminam sollicitaret sine intentione executionis ob solam ostentationem amoris, si sciat certò, illam minimè ad assensum alliciendam, peccat planè; sed non delinquit mortaliter, si tam effrænatae libidinis sit qui sollicitat, tantàque jam infamiâ laboret, ut nullatenùs fœmina ad scandalum afferenda sit. *Pag. 405. Escobar cum Vazquez.*

Petrus solutus potest delectari de concubitu cum Berta, si esset uxor sua. *Pag. 409. Sanchez.*

Conjugatus non peccat mortaliter, si voluntariè delectetur commotione sensitiva, ac venerea, orta ex conjugis absentis apprehensione. *Pag. 417. Laymann.*

Adstantes, & assistentes Comœdiis notabiliter turpibus, & provocantibus ad venerem, ob solam animi recreationem, & curiositatem, non sunt condemnandi tamquam rei lethalis culpæ. *Pag. 541. Vidal ex Sanb. Filiucio, Reginaldo, Diana, Bonacina, aliisque.*

Difficilimum foret Confessario, statim damnare peccati mortalis juvenes, & procos, passim aliquibus tactibus, osculis, amplexibus urentes erga puellas honestè amaras, etsi voluptatem aliquam sensibilem captent, dummodò absit pe-

riculum consensus in venerea: & longè difficilium foret talibus, si similibus abstinere nollent, denegare absolutionem. Imò non potest à Confessario negari. *Pag. 418. Sporer cum Gobato.*

Actiones leviter influxivæ ad commotionem spirituum, & pollutionem, ut nonnulli aspectus, nonnullæ Comœdiæ, & lectiones librorum obscœnorum, nonnulla verba amatoria, v. g. dicendo, *cor meum, anima mea*, ob solam vanitatem, & ad conciliandum vanum amorem, non excedunt culpam venialem, quamvis in iis prævideatur etiam pollutio secutura, dummodò absit periculum consensus, aut grave scandalum. At si tactus, aspectus, verba amatoria, lectio librorum, oscula, & similes actiones de se sint graviter influxivæ ad spirituum commotionem, & ad pollutionem, non vacant culpâ mortali in genere luxuriæ, secùs si per accidens sint influxivæ, & adsit necessitas urgens eas exercendi. Imò non solum actiones leviter influxivæ in pollutionem, atque adeo in genere luxuriæ leves, carent culpâ mortali, si prævideatur pollutio, & non intendatur, nec subsit periculum consensus; sed etiam actiones mortaliter malæ, non tamen in genere luxuriæ, ut sunt crapulæ, nimius potus, non contrahunt malitiam gravem, spectantem ad luxuriam, si prævideatur ex iis pollutio secutura citra periculum consensus. *Pag. 418. Viva cum Salas, Lessio, Bonacina, & aliis apud Dianam & Tamburinum, & post istos Benzi.*

Possunt famuli tutâ conscientia, meretricis, aut pellicis mensæ ministrare, cibos non solum communes, sed & calidos, & provocantes ad venerem condire, & lectum privatum sternere Domino, & Amasiæ, aliàs rem habituris, aut lectum procurare hospitio, aut parare meliorem solito, aut floribus fulciri. Non est peccatum conducere pellicem in domum tui Domini, tamen si eam peccaturam prævideas. *Pagg. 415. 416. & 575. Tamburinus cum ab eo laudatis, & A Conceptione.*

Si Concubinarius nequeat dimittere suam concubinam sine jactura centum aureorum, seu ducatorum, poterit Confessarius pro re nata amplecti sententiam vel *Joan. Sanchez,*

vel *Oviedi*, & absolvere retinere volentem. Similiter si ipsa sit ita effrons, ut dimissa, prolatura sit occultum concubinatum, sicut & si ipsa sit ejus ancilla, & nequeat aliam adipisci absque pari periculo, cum tamen non possit ullo modo carere ancilla omni. *Pag. 576. Gobat cum citatis ab eo.*

DE FURTO.

Non solum in extrema, sed etiam in valde gravi, seu urgente necessitate morbi, famis, nuditatis, erubescentiæ mendicandi, potes tu clanculum furripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas. *Pag. 428. Lessius, Escobar, Tamburinus cum Palao, Lessio, Vazquez, Lugo, & Dicastillo. Viva cum Lessio, Koning, Tamburino, & aliis. Croix cum Lugo, Lessio. Haun. Sporer, & Cardenas.*

Furatus es decem aureos nudistertius, utique cum peccato: verum hodie existens in gravi necessitate, puta in gravi morbo, sine ulla spe habendi pecuniam, illos ad vitam conservandam expendis, non obligaberis ei, ad meliorem fortunam rediens, ad restitutionem. *Pag. 431.*

Qui non habet necessaria ad congruam sustentationem, non obligatur ad solvendas decimas cum tanto rigore, tamen si postea ad pinguiorem fortunam venerit, tenetur ad eas integras restituendas. *Ibi. Filiucius cum Suarez.*

Qui damnum nullum dedit, rem alienam accipiens, quia eam Dominus non utebatur, non tenetur restituere, si Domino est nulli usui futura.

Quoad ea bona, quæ post cessionem acquirit deficiens commercio, de quibus is, qui debitor est etiam ex delicto, potest retinere, quantum necessarium est, ut pro sua conditione non indecore vivat; leges id permittunt de bonis, quæ tempore instantis cessionis habebat. Imò tutam conscientiam id fieri potest, licet debita, pro quibus fit cessio bonorum, contracta sint ex injustitia, & delicto notorio: quamvis tunc tantum retineri non possit, quantum alias. *Pag. 431. Sa.*

Potest etiam uxor, invito virò, ludere, & pecuniam accipere ad ludendum, dandumque pauperibus, intra limitem,
&

& decentiam status. Filiusfamilias serviens Patri potest clam accipere quantum pro eo servitio, extraneo cuidam esset impendendum. Omnia rerum minimarum furta, etiamsi notabilem constituent quantitatem, non sunt mortalia, nec sub mortali obligantia ad restitutionem. Furta esculentorum, & poculentorum, quæ committuntur à famulis, & ancillis, etiamsi sensim perveniant ad notabilem quantitatem, non sunt mortalia, si furentur ea, ut ipsi consumant. *Pag. 431. Escobar ex aliis.*

Aliquis ludendo falsis aleis, lucratus est pecunias, earumque partem socio suo donavit, quamvis scienti, tamen non cooperanti ad fraudem committendam; socius ad nullam restitutionem obligatur, si lusor pecunias ludò iniquo acceptas cum propriis miscuerit. Quin, si non inducis illum ad donandum, vel ad alienandum, sed ipse sponte tibi donat, vel vendit, aut emit, non teneris ad restitutionem in foro conscientiæ, etiamsi scias, ipsum per hoc fieri impotentem ad solvendum. *Pag. 432. Laymann, & Lessius cum Molina, & aliis.*

Potest venditor, qui vinum vel triticum venale habet optimum, tantum aquæ in vino, & filiginis in tritico miscere, quantum satis est ad reducendum vinum, vel triticum ad eam qualitatem, cujus est aliud vinum, vel triticum, quod eodem pretio venditur. *Pag. 433. Amicus, & Escobar ex Lessio.*

Si Astrologus, vel divinator operam suam apposuit, & arte Diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere. *Pag. 435. Sanchez.*

DE COMPENSATIONE.

Qui per occultam acceptionem compensat id, quod sibi debetur humano modo, probabiliter, vel probabilius; non est in conscientia fur, nec peccat, nec in excommunicationem incidit, & potest jurare etiam coram Judice, se nihil accepisse, intelligendo, quod sibi non deberetur; etiam si res, quam usurpat, fuerit ipsi in depositum à debitore
con-

consignata, & recuperari potuerit per auctoritatem publicam, sed cum difficultate. *Pag. 437. Tamburinus, Croix, Salamanticenses, & alii.*

Compenfatio est licita, quamvis debitum actu non debeat. Potest enim aliquando creditor pravenire, & compenfare sibi nunc pro eo, quod debitor nondum debet, si timet, tempore solutionis debitum non sibi solvendum. *Pag. 438. Diana cum Lugo, & Machado: Croix cum Tannero, & Sporer.*

Si debitor rem suam tibi commodarit, aut apud te deposuerit, retineri potest pro foro conscientiae per compenfationem. *Pag. 439. Tamburinus ex Navar. Sa, Tannero, Lesio, Dicastillo, & Sporer.*

Quodsi Petrus, tuus nempe debitor, haberet in deposito apud Antonium vas argenteum, vestem, vel quid simile, quod totum quoad proprietatem, usum, & administrationem esset Petri, tunc sane etiam posses, si alium modum compenfandi non habes, sumere licite, quamvis ejus carentia graviter debitorem aliunde damnificet. Pari modo si tu, dum occulte tibi compensas debitum, praevideas, alicui tertio id, tamquam furtum ab ipso commissum fuisset, fore imputandum, non obligaris id praecavere, nisi facile possis, & tunc solum ex charitate. *Pag. 439. Tamburinus cum Molina, Lugo, & Croix cum Sporer.*

Si Cajus non possit debitum à Principe obtinere, potest illud sibi compenfare, v. g. defraudando gabellas, licet has conduxerit, vel emerit Titius. *Pagg. 440. & 447. Croix cum ab eo laudatis, & Tamburinus cum aliis.*

Qui ex testamento minus solemnni, habere debet legatum, potest sibi illud retinere, vel compenfationem facere. Potest haeres ab intestato uti compenfatione occulta contra eum, qui bona defuncti possidet ex testamento minus solemnni. *Pag. 441. Viva.*

Si Domini fervorum famam denigrent contumeliosis verbis, isti tantum surripere possunt Domini pecuniae, quantum sat est suae famae redintegrandae. *Pag. 443. Croix.*

Possunt famuli occulte sibi aliquid compenfare; usque ad

ad pretium justum medium, quando necessitate aut vi adiguntur ad intervendum; sed si à propria miseria, usque ad pretium justum infimum. *Pag. 447. Viva cum ab eo laudatis.*

DE USURA.

UT aliquid anticipato sumi possit, fiant duo contractus, alter mutuacionis, alter venditionis: & sic poterit mutuans sumere nunc decem, vel saltem octo, vel sex. Explico: mutuans nunc mutuat centum aureos cum spe, ut recipiat hinc ad annum ex lucro licito, praeter forrem, alia decem. Vendat nunc anticipato hanc spem denarii lucri ipsi mutuatorio, quae spes valebit v. g. omnibus ab experto viro expensis, sex: vel octo aureos, nam statim nunc poterit sine labe usurae hos sex, vel octo aureos sumere, non quidem ex vi mutui, sed ex vi venditionis sperati à se lucri, & venditi mutuatorio. Vel aliter: Mutuet quis tibi centum, ita ut mutuet cum interesse solum 91. & 9. sine interesse. Nam mox haec novem reddere mutuanti potest sine ulla ipsius injustitia pro interesse debito illis 91. Tunc enim tu mutuarius non solves lucrum ex ipsa summa mutuata cum interesse, sed ex alia, quo pacto plus aequo non gravaberis. Dices: gravabor ex eo, quod anticipato solvo, quod nondum debeo. Responderem sic: at certo debebis, & ex alia parte molestia dandi nunc, quod debebis postea, compensari sufficienter videtur ex eo, quod mutuans gratis mutuat tibi, & sine interesse illa novem. *Pag. 449. Tamburinus ex Caramuele, & Lesio.*

Venditiones, & emptiones reciprocae ejusdem rei diverso pretio, sunt licitae, etiam si redimat ipse venditor, modo intra limites justii consistat, ita ut quando vendit creditore, non excedat pretium rigorosum, & quando redimit numerato, non descendat infra justum minimum. Nec refert, quod haec revenditio fiat pretio infimo: nec quod idem sit emptor, qui ante erat venditor. Non tamen potest illum ad hoc cogere, sed debet omnino liberum relinquere. Quamvis hic modus contrahendi saepe non caret culpa in mer-

mercatore, qui ex composito ita vendit, ut pretio infimo redimat. *Pag. 450. Lessius cum Navarro, Navarra, & aliis RR. quos citat.*

Neque redditur injustus hic contractus mohatræ ex natura rei per hoc, quod venditor suam intentionem manifestet emptori, dicendo: *Ego liberè tibi creditò vendo has merces, si tamen volueris eas postea viliori pretio vendere ad habendam pecuniam presentem, ego paratus sum ad eas emendas.* Dùm tamen aliquod pactum implicitum sub hac manifestatione non includatur. *Pag. 452. Lugo.*

Satis est, ut mutuator destinaverit pecuniam negotiationi, licet ob defectum occasionum, actu, vel proximè presentium, de facto pecuniam non exponat, ad justum lucri cessantis titulum. *Pag. 456. Lessius, Azor, Filliucius, Molina, Sà, Tamburinus, Dicastillus, Valentia, laudati à Lugo, & Bonacina.*

Si tantùm dicas: *vellem negotiari, nisi multi mutuum peterent.* Quidam doctissimi viri putant, etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri cessantis. *Pag. 457. Lessius.*

DE SIMONIA.

Verè, & propriè simonia non est, nisi quandò temporale accipitur tamquàm pretium rei spiritualis, vel contra: sed, quandò datur spirituale propter temporale, vel contra, solùm tamquàm propter motivum, aut solùm ex gratitudine, & per aliquam compensationem gratuitam, non accidit simonia, saltèm in foro conscientiæ; tametsi temporale sit principale motivum dandi spirituale. Imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimeret, quàm res spiritualis. *Pag. 461. & seqq. Valentia, & Tannerus.*

Dare pecuniam, non pro intercessione, sed pro labore in eundo, & redeundo ad collatorem Beneficii, aut pro dispendio temporis, quod ad intercedendum consumitur, & in quo negligitur utilitas alioquin obventura, non est simonia, *Pag. 467. Croix cum communi apud Dianam, & Mazotta.*

DE

DE MENDACIO.

Quoties verba sunt significatione sua ambigua, pluresque sensus admittentia, nullum est mendacium ea proferre in sensu, quem proferens ex illis vult, & concipit, etsi audientes, aut is, cui juratur, in alio sensu accipiat: etsi nullà justà causà ducatur proferens. Possunt quoquè absque mendacio ea verba usurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant. ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed tantùm verum sensum reddant ex aliquo addito, mente proferentis retento, quodcumque illud sit. *Pag. 305. Sanch. cum Navar. Valent. Salon, Toletò, Suarez, Lessio, aliisque.*

Si aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedat, qualis esset, si ad tuam, tuorumque salutem, honorem, rem familiarem tuendam conveniret occultatio veritatis, aut si conveniret ne annueris interroganti; nullam culpam committis sic amphibologicè jurans. At debes scire, saltem in genere, te posse absque mendacio veritatem tegere. Non tamen opus est, in particulari cognoscere modum, quo debet tegi. Quocirca si intendas eum sensum, quo vir doctus verum reperiet, & scias verum reperiri posse, sufficiet ad excusationem. *Pag. 311. Palaus cum Toletò, Suarez, Valentia, Less. Navar. Sanchez, & Bonacina.*

Uti amphibologia absque rationabili causa non est mendacium, neque perjurium, si confirmetur juramento. Ejusmodi restrictio, quæ mente concipitur, non debet esse ad libitum, sed proportionata verbis, & materiæ. Talem esse ait *Suarez* illam *non comedi*, intelligendo *hodie*, cum interrogans putet, alioquin numquàm comedissem rem illam. Item illam: *Petrus non est domi*, cum tamen revera sit; verbum enim *est* sumitur à dicente pro *comedit*. Idemque dici potest de aliis similibus. Pro personis judicio prædicitur est duplex modus utendi cautè amphibologia. Primus est habere intentionem proferendi verba materialiter. Ad majorem securitatem, cum incipit v. g. dicere *juro*, debet interponere submissè restrictionem mentalem, ut *hodie*: & deindè addere alta voce,

e

1101

non comedisse rem illam. Vel, juro, & interponere, me dicere: tùm absolutè, alta item voce: *quòd non feci hoc, vel illud.* Sic enim verissima est mea oratio. Secundus, habere intentionem non absolvendi orationem tantùm per verba externa, sed simul cum restrictione mentali. Pro rudibus, qui nesciunt in particulari concipere amphibologiam, satis est, si habeant intentionem affirmandi, vel negandi in sentiu, qui contineat veritatem, & quò in univertium saltèm sciat, se posse negare. *Pag. 312. Filliucius.*

Quando non occurrit commoda æquivocatio, aut restrictio externa; rustici possunt usu duplicis scientiæ, facillè obvio, veritatem occultare. *Pag. 319. Viva.*

Qui scripturam publicam amisit, potest aliam similem falsare. *Pag. 395. Moya cum Sa, & Diana.*

DE DETRACTIONE.

SI quis te infamet, nec possis infamiam alia ratione avertere, potes aliquos defectus illius occultos aperire, ne fides ipsi adhibeatur. Si tu alium injustè infamasti, qui te antea infamaverat, non teneris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit, sed potes uti compensatione. Si quis injustè lædit famam tuam; nec potes eam tueri aliâ viâ, nec recuperare, quàm imminuendo quoquè famam illius; id licet, dummodò falsa non dicas, nec excedas, collatâ tuâ, & alterius persona. *Pag. 389. Lessius, & Busenbaum cum aliis.*

Si crimen sit verum, licet alium infamare ad tormenta gravia vitanda. *Pag. 390. & 392. Busenbaum, & Tamburinus.*

Si reus legitime interrogatus neget verum crimen, & ideò infamia redundet in accusatorem, huic non facit injuriam. *Ibi. Croix ex Fabro. Diana, Lugo, Dicastillo, Haunold, & Sporer.*

Potest reus ad onerandam falsorum testium auctoritatem, eorum occulta crimina revelare, si alia via non datur, qua commodè testimonium infirmet, sive spontè, sive compulsè à Judice, testati fuerint. Ille, qui accusatur de crimine, quod juridicè ab accusatore probari nequit, non solùm potest ne-

gare crimen, sed etiam dicere accusatorem calumniari, & mentiri. *Pag. 392. Tambur. cum Lessio, & Navarra.*

DE CALUMNIA.

Qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, non peccat mortaliter. Non nisi peccatum veniale est, auctoritatem magnam falso crimine elidere. Calumniator non habet jus ad suam famam, quando alteri præjudicavit. *Pag. 390. & seqq. Pirrot, Dicastillus, & Moya cum Caramuele, viginti & pluribus AA. ex quibus Escobar.*

Si aliò modò te ab injusto teste tueri nequeas, licitè falsa crimina illi potes objicere, quanta sufficiunt ad tuam justam defensionem, quin pecces contra justitiam; unde nec obligaris ad restitutionem. Ad summum per se loquendo, & seclusis aliis circumstantiis, erit solùm peccatum veniale mendacii. *Pag. 392. Tamburinus cum Lugo.*

Non est mortale ad vitanda gravia tormenta, falsum crimen sibi imponere, ex quo etiam mors sequatur. *Pag. 397. Busenbaum ex Lessio, & Filliucio. Vindex Tamburini ex Joann. Sanchez. Croix ex Azor, Valentia, Laymann, Lugo, Dicastillo, & aliis.*

Quandò ex suo falso dicto inferenda est alteri mors, seu mutilatio, etiamsi testi se retractanti resulter simile damnum, si non peccaverit mortaliter dicendo illam falsitatem, non tenetur cum tanto suo incommodo, cognita veritate, dictum retractare. *Pag. 397. Dicastillus.*

Ut quis patientiâ, & tempore faciat, & trahat in sua vulgus, non aliud requiritur, quàm scire calumniari cum dexteritate, & cum constantia repetere easdem calumnias. *Pag. 399. Berruyer.*

DE IGNORANTIA SYMBOLI, ET DECALOGI.

IN praxi numquàm, & rarissimè deneganda est absolutio ob Doctrinæ Christianæ ignorantiam: quia rustici igno-

rantes non habent commodè Doctorem, & Confessor potest illos instruere, nec ipsi majorem addiscendi capacitatem habent. Imò in rigore, etsi pœnitens bona valitudine utatur, non tenetur Confessarius eum instruere procurando, ut tunc addiscat, nec id est necessarium ad eum absolvendum: sed satisfaciet proponendo illi, & explicando myſteria Trinitatis, & Incarnationis, ut ea explicitè credat, & inducendo ad negligentiae dolorem, & emendae propositum, etiam si semel, vel iterum admonitus sit, & discere potuerit.

Quamvis ignorantia illa sit circa jus divinum, & naturale, si probabiliter credat Confessarius, consilium non profuturum, tenetur non admonere, quando ea ignorantia invincibilis est. Idem dicendum, quamvis peccatum illud per ignorantiam invincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi. *Pagg. 224. & 544. Sanch. ex Azor. Suarez, Laymann, & Escobar.*

Potest ignorari invincibiliter pravitas furti, mendacii levis, lucri ex mutuo, ultionis injuriarum, & pollutionis. *Pag. 545. Viva.*

Si praevideat Confessor, pœnitentem non restitutum, si illi detegatur nullitas tituli, quem pro se adesse pœnitens putat, non erit talis nullitas illi à Confessore non interrogato patefacienda, quamvis sit in praejudicium tertii, qui suo carebit: Imò etiam si Confessor advertat, id esse in damnum publicum. Certè talis admonitio erit nocens ipsi admonito, & bono publico nequaquam favens. *Pag. 545. Tamburinus cum Sanchez.*

Quando pœnitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeò difficile, ut non credatur tunc æquo animo recepturus, & alia vice melius suscepturus esse judicetur; poterit tunc prudens Confessor relinquere illum in sua bona fide, & monitionem in tempus opportunius differre. Hoc notetur permaximè pro Confessariis Mercatorum, & Principum. *Pag. 546. Tamburinus cum Lugo, & ab ipso citatis Suarez, & Sanch.*

Quando Confessarius nescit, vel dubitat, an sua admonitio profutura sit pœnitenti, an damnum allatura; compar-

randa est utilitas, quæ sub dubio speratur, & damnum, quod sub dubio timetur, atque illud sine scrupulo fiat, quod magis præponderare, in Domino judicabitur. *Pag. 547. Tamburinus.*

DE ADVERTENTIA PECCATI.

Non contrahitur, adeòque confitenda non est, malitia circumstantiae mutantis speciem, nisi pœnitens, quando peccatum committebat, saltem dubitarit, an non adesset circumstantia talis, & an non contraheretur propter illam peculiare peccatum. Utere mi bone vir frequenter hac regula, præsertim in excipiendis confessionibus rudium, & nominatum, quando malitia circumstantiae est nota soli Doctorum vulgo. *Pagg. 522. & 525. Gobat.*

Nisi quis advertat malitiam moralem operis in universum, vel periculum aliquod illius: vel de illo dubitet, non potest esse peccatum mortale. *Pag. 524. Vazquez, & Rhodes.*

Si quis hic & nunc absolute, atramen vincibiliter ignoret malitiam mendacii, peccat quidem mentiando, non tamen contrahit malitiam specialem mendacii, sed tantum negligentiae in cognoscenda, vel advertenda illa malitia. Si quis etiam per totum diem sentiat in corpore inordinatam delectationem, sed non advertat ad ejus malitiam; vel si advertat malitiam, eam delectationem invitus habeat, nullò modò peccat. *Pag. 524. Croix.*

DE CONFESIONE PECCATI.

Sufficit confiteri morosam delectationem de objecto turpi, sine obligatione declarandi personas, circa quas ejusmodi morosa delectatio versata est. Idem dicendum de aspectibus, quando quis respicit mulieres affectu venereo. Non sic si quis delectaretur de concubitu conjugatae formaliter ut conjugata est, seu ut sacra est. Nec conjugatus, si similiter morosè delectatur, obstringitur in confessione explicare, se esse conjugatum. *Pag. 520. Tamburinus ex Vazquez,*

Palao, aliisque non paucis, & ex Hurtado.

Qui fecit votum v. g. servandi sextum præceptum Decalogi, potest separatim in eadem confessione dicere, se fornicatum fuisse, & subinde in decursu fateri, se fregisse votum in re gravi. *Pag. 521. Dicastillus.*

Qui sine ullo desiderio personam venereè aspicit, non tenetur dicere, qualis persona fuerit: si venereè attigit puellam, satisfacit dicendo, se toties attigisse turpiter, nihil dicendo de partibus, in quibus attigit, etiamsi partem turpem attigerit. *Pag. 518. Croix ex Diana, & aliis.*

Satis est in confessione dicere, toties morosè delectatus sum de copula illicita, non explicando, an cum nupta, vel Moniali, consanguinea, &c. Vel toties morosè delectatus sum de occisione hominum, non explicando, an sit circa Patrem, vel Sacerdotem, vel inimicum, aut alterius conditionis. Si quis alium sollicitavit, & peccatum non est secutum, debet in confessione explicare; si tamen peccatum est secutum, explicandum non est. *Pag. 521. Viva cum Lugo, Tamburino, & Bonacina.*

Quando copula in Ecclesia est occulta; & oscula, tactus, & locutiones turpes sine effusione seminis in Ecclesia publice facta, non sunt ex hoc capite sacrilega, atque adeò in confessione non est aperiendus in totum Sacer locus. *Pag. 415. & 521. Caramuel, Tamburinus cum Vazquez, Ponce, & Azor.*

DE DOLORE, ET PROPOSITO NON PECCANDI.

Qui peccata execraretur propter timorem infamiæ, carceris, ægritudinis, & similibus, quæ propter peccata incurri solent, legitimum dolorem pro Sacramento Confessionis affert, si hujusmodi mala temporalia timeantur, ut à Deo inflicta, seu infligenda.

Satis est propositum implicitum de cætero non peccandi, hoc est, illud, quod involvitur in ipso actu detestationis, seu displicentiæ. *Pag. 512. Tamburinus, & Viva.*

Quando advertit Confessarius, poenitentem suum valde alicui crimini addictum, non inculcet doloris actum circa illud

illud peculiare peccatum. Periculum enim suberit, ne illud ex animo detestetur, dum ejus specialis memoria refricatur; quòd in universum, simul cum aliis detestandi difficultatem vel nullam sentiet, vel exiguam. *Pag. 513. Tamburinus.*

Pro absolutione à mortalibus non requiritur propositum universale imposterum cavendi omnia peccata mortalia; sed sufficit propositum particulare de non iterandis peccatis commissis. *Pag. 513. Aversa, Hurtado, Platelius, Dicastillus, & Croix.*

DE OCCASIONE, RELAPSU, ET CONSUETUDINE peccandi.

Confessarius absolutionem à peccatis diviti non facile negare debet, quòd communes pauperum miseras per elemosynam sublevare, monitus recuset. Undè possunt absolvi adolescentes, qui versantur cum foeminis laborando, vel conversando cum iis, quæ in eadem domo non habitant: quia licèt aliquandò in tali occasione mortaliter peccent consensu, tactu, & etiam copula: ea tamen occasio censetur de se remota, quandoquidem non solent homines ex tali occasione semper, aut ferè semper peccare mortaliter. *Pag. 537. Laymann, & Viva cum Perez, Leandro, Lugo, aliisque.*

Habens occasionem proximam absolvi potest, etiamsi prius non reliquerit, ejusque proposito fidendum est. *Pag. 537. Moya cum Suarez, Joan. Sanchez, & Tabiena.*

Si occasio proxima peccandi mortaliter, sine gravi incommodo corporis, famæ, vel fortunarum tolli non possit; tunc consilium quidem est non absolvere, sed non præceptum. Quare absolvendi sunt, qui officio, negotiatione, domo, in qua periculum propinquè imminet, discedere nolunt quia sine maxima difficultate non possunt. Nam occasio peccandi, in se peccatum non est, nec infert necessitatem. Quare cum ea consistere potest peccatorum detestatio in paratis adhibere remedia peccatorum, præsertim ea, quæ à Confessario ipsis præscribuntur, quamvis interim adjunctus

fit timor, aut existimatio, voluntatem aliquando immutatum iri. Qui est recidivus, si affert aliquod signum emendationis, est semper absolvendus. Signa autem sunt, vel rarius peccare, vel aliquis major dolor ex vero animo conceptus, vel ipsum spontè confiteri in iis, qui non urgentur à Præceptore. *Pagg. 537. & 573. Laymann, & Tamburinus.*

Qui sæpius absolutus propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, eodem tamen modò relabitur semper, nec in eo ulla correctio reperitur, non est cogendus subire illud detrimentum, & relinquere occasionem illam proximam. *Pag. 538. Lugo cum Vivaldo, Joan. Sanchez, & alii.*

Si pœnitens dicat: *omniò quidem doleo, ac firmiter propono imposterum abstinere, interim tamen scio, iterum faciam, iterum labar*: is, tamquam bene dispositus absolvendus est. Quia redire cum iisdem peccatis, de se non est signum deesse verum dolorem & propositum emendationis; certè non magis, quam si rediret cum aliis novis diversis peccatis. *Pag. 538. Sporer.*

Quando occasio proxima tolli non potest propter scandalum, aut grave detrimentum, non potest Confessarius differre absolutionem per aliquod tempus, sed teneri absolvere statim illum, si habeat verum dolorem & propositum. Potest absolvi hospita sine proposito non recipiendi hospitium, quòcum pluries peccavit, quando absque magno scandalo aut detrimento non posset eum ab hospitio suo prohibere, dummodo promittat, numquam se solam cum eo solo in aliquo cubiculo separato versaturam, & dicat, se præteriti ex animo pœnitere, etiam confessam fuisse, proposuisseque, numquam se amplius cum eo peccaturam. Ars histrionica secundum se non est illicita, sicut nec tabellionatus, & aliæ similes, in quibus difficilè quis evadit peccatum, & tamen non tenentur eam dimittere, antequam absolvantur; sed si habeant propositum non peccandi, & dolorem de præteritis, possunt *septuagies septies* absolvi. *Pag. 540. Leander cum Joan. Sanchez, Hurtado, & alii.*

Non est differenda absolutio, modò pœnitens (qui habet
con-

consuetudinem peccati, nihil curæ apposuit ad emendam, admonitusque est sæpè in aliis confessionibus) ore proferat se dolere, & proponere emendationem, dummodò ita dicat, ut sibi non contradicat, nolens deserere occasionem proximam voluntariam, aut alia facere, quæ debet. *Pag. 563. & seqq. Francolinus & Croix, & Sanchez.*

Si pœnitens non multum ægrè ferat, & speretur non retrahendum à confessione, sed potius fore medicinam, erit consilium differre absolutionem, majori suavitate possibili adhibita. Si autem oppositum speretur, non erit consilium, nisi quandò ille iis blasphemii ingens præberet scandalum, & ita Confessarius judicaret, postponendum privatum illius solatium, & ad gloriam divinam expedire illum non absolvi, donec scandalo publico satisfaciatur, nitendo vitæ emendam. *Pag. 571. Sanchez.*

DE INDULGENTIA PLENARIA.

Excusatur tunc Confessarius, ut nullam, vel levissimam pœnitentiam injungat. Quandò quis lucratur Indulgentiam Plenariam, potest dimitti sine ulla alia minuta pœnitentia; cum per illam Indulgentiam satisfiat debito pœnæ. Etsi id autem rarò pro certo constet, sufficit, quòd probabiliter credatur. *Pag. 531. Sporer.*

Tempore Jubilæi potest Confessarius leviores pœnitentias imponere, obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Jubilæum. *Ibi. Lugo.*

Qui virtute Jubilæi obtinuit absolutionem à reservatis, & subindè non implet opera injuncta, dumtaxat peccat venialiter. *Pag. 533. Viva ex Lugo, Sanchez, Henriquez, & aliis apud Dianam.*

Per has Indulgentias remittuntur pœnitentiæ impositæ, ut satisfactivæ sunt, non ut medicinales. *Pag. 532. Suarez, Vazquez, Filliucius, & Viva.*

Pœnitens non tenetur tempore Indulgentiæ Plenariæ, quam lucrare decrevit, ullam etiam medicinalem pœnitentiam admittere. *Pag. 534. Gobat ex Lugo, & Viva.*

Si

Si esset pœnitens, qui nollet acceptare pœnitentiam, paratus in Purgatorio solvere, non esset ex hoc præcisè censendus indispositus, nec propter hoc solum esset sine absolutione dimittendus; quia sequitur opinionem, quam doctissimi Viri sequuntur, quorum propterea opinionem non videtur *Tridentinum* damnare voluisse. *Ibi. Tamburinus.*

DE SCIENTIA CONFESSARII.

AD Confessarii munus satis docti sunt illi, qui integram summam casuum diligenter legerint, vel attentè audierint explicari. *Pag. 450. Croix ex Llamas, Stoz.*

Confessarius debet scire sententias plures, quæ verè probabiles sunt circa materias morales; eò, quòd sæpè, ubi non agitur de valore Sacramenti, non possint, nec expediat pœnitentes dirigere secundum unicam doctrinam. *Pag. 550. Croix cum Gobat.*

Quòd si sæpè videar, me laxioribus opinionibus adhærescere; id certè non est definire, quid sentio; sed exponere, quid sine conscientiae læsione Docti poterunt, cum eis visum fuerit expedire, ad sedandos pœnitentium animos, ad praxim adducere. *Pag. 551. Escobar.*

Si Confessarius contractum esse usurarium judicet, at pœnitens probabiliter esse licitum, & vult illum inire: Imò quamvis Confessarius falsam esse opinionem pœnitentis existimaret; si probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis, adhuc non deficit debita dispositio pœnitenti, ut absolvatur. *Pag. 551. Sanchez.*

Si pœnitens in praxi bona fide sequatur sententiam, quæ à quibusdam Doctoribus tamquam probabilis, ac tuta defenditur, Confessarius eandem speculativè improbabilem censeat; non obstantè sua persuasione, tenetur absolutionem conferre. *Pag. 552. Laymann.*

R.^{MO} P. LUDOVICO MASIO,ORDINIS PRÆDICATORUM, SAC. THEOLOG. MAGIST.
& Professori Valentino,

NOVÆ HUIUS EDITIONIS, PARTÆQUE VICTORIÆ CAUSÆ;

D. D. FRANCISCUS ANTONIUS CAMPILLO ET TARINUS,
Canonicus Turolensis, Apostolicus Valentie Quasitor,
Regisque à Consiliis,

S. F. P.

ILle Tui me priscus amor, celebrande Magister,
Ad Tua nunc iterum Scripta canenda movet.
Quamvis innumeris Te Laudibus efferat Orbis,
Atque Sophi hac cupiant editione frui.
Lingua Tuum ad Proceres en detulit invida nomen,
Te expertem ut faceret nominis inde boni.
Tu tamen arreptis armis, Tua jura tuendo,
Mox labem abstergis, quò Tibi constet honos.
O mentes hominum! O mundi Rectoris Asylum,
Qui, ut fraudes noscant, lumine corda replet!
Causa Dei ex animo cunctis in rebus agenda;
Et veneranda ejus mystica judicia!
Hæc, manus Excelsi subito cumulasse videtur,
Queis Opus uberius fundere capit Opes.
Fama viger, gliscens animis hominumque, virumque;
Et contra, variis it, quatiturque modis.
Murmure nam Socio résonat querimonia vana,
Dùm bona materies undique ritè sonat.
Re tamen inspectâ, statuit Sacer ille Senatus,
Ut liber excurrat, victor & exiliat;
Qui, benè de Regum vitâ meritis, mereatur
Laudibus extolli, quo geminetur honor.
Arguto punctum calamo scripsisse disertè,
Ac vicisse, Tibi gloria major erit.

Con-

Concilium Generale (1) cui faver, esse resolvens:
 Oppositum noxam, crimen & hæreseos:
 Id quoque perpetuo pro Religione tenendum,
 Præcipit in quovis Principis Imperio.
 Moribus & præcis hoc stat firmumque, ratumque,
 Cœlico ut exhibitum munere Principibus.
 Quæ consulta Patres memorant, statuuntque Senatus, (2)
 Principe digna quidem, conciliantque decus.
 Extemplo resonant, sapienti condita ductus;
 Vita ut sic Regum tutior esse queat.
 Volvitur incertum Vulgus, plebs infima Gentis;
 Ast alibi haud visus ordo secutus ibi.
 Magnatum, Patriæ Patrum, Procerumque, Virumque
 Mobilitate rapit pectora Regis amor.
 Quæ Sibi cura fuit, cuneos quoad ipse tumultus
 Coram se pacat, robore stante palam!
 Incidit hincque recens, ea tot dum nuntia durant;
 Exitus at felix, paxque secunda viget.
 Sacra est Majestas, Domini & Rex ipse Minister: (3)
 Cui struere insidias quis sine labe potest? (4)
 Christus is est Domini: nemo in terra altior illo,
 Qui sine noxâ ipsum sternere cæde queat. (5)
 Hinc ejus nulli substat suprema Potestas; (6)
 Debeturque sibi summus in Orbe locus.
 Rex observandus bonus est, malus, atque Tyrannus;

De-

(1) Constantiense Scilicet anni 1415. ubi de Tyrannicidii doctrinâ, quam Sess. 15. die 6. Julii hæreticam, hæreseosque criminis reos, ejus assertores declarat. Eadem adferunt verba Jover. Sanct. Eccles. pag. 130. Petr. Greg. de Repub. lib. 26. c. 7. n. 11. aliisque.

(2) Legenda in calce Operis, pag. 593. cum sequentibus.

(3) D. Paul. ad Rom. c. 13. v. 4.

(4) 1. Reg. c. 26. 9. *QUIS EXTENDET MANUM SUAM IN CHRI-*

STUM DOMINI, ET INNOCENS ERIT? 2. Reg. c. 1. 16.

(5) 1. Reg. 24. v. 10. & 11. & 2. Reg. 1. 16. *SANGUIS TUUS SUPER CAPUT TUUM; OS ENIM TUUM LOCUTUM EST ADVERSUM TE DICENS: EGO INTERFECI CHRISTUM DOMINI.*

(6) D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3: *REX NON HABET HOMINEM QUI SUA FACTA DIJUDICET.*

Desuper est gladius nam sibi sorte datus. (7)
 Quò populos in pace regat, Regnumque gubernet,
 Præmia dans justis, suppliciumque malis.
 Si bonus est Rex, aut fortassis discolor; ejus
 Justa tamen purâ perficienda fide. (8)
 More Tyrannorum vel si quandoque ferocit,
 Ulli qui substat, quive supremus erit;
 Ipse foret Sævum Princeps adeundus in illum; (9)
 Orandusque potens cor superare ferox.
 Intereaquè sciant, fore sanctâ in pace laturos,
 Se Regi fidus, quæ mala sustineant. (10)
 Hoc venit in terras altâ de Sede Tonantis;
 Unde duo & gladii pignora cara manus. (11)
 Idque Dei credenda docent oracula multa, (12)
 Traditio, ac Patrum sacra Catena simul.
 Historiæ id veteres produnt, pariterque recentes;
 Gestaque Christiadam, talia fando probant. (13)
 Illa & ARANDA catus, jugi pro fœdere Regni,
 Colligit, exercens munus ubique suum.
 Finibus è nostris abeant DE CÆDE TYRANNI,
 Quæ spargebantur perfida consilia. (14)

CA-

(7) Rom. 13. & ad Tit. 3. D. Thom. de Regim. Princip. l. 1. c. 6.

(8) 1. Petr. 2. 18. *SUBDITI ESTOTE IN OMNI TIMORE DOMINIS, NON TANTUM BONIS, ET MODESTIS, SED ETIAM DISCOLIS. Et ibid. v. 13. SUBJECTI ESTOTE OMNI HUMANÆ CREATURÆ PROPTER DEUM, SIVE REGI, QUASI PRÆCELLENTI, SIVE DUCIBUS,* D. Thom. in hunc locum.

(9) D. Th. de Reg. Princ. c. 6.

(10) Tertul. in Apolog. c. 30. aliisque, & in locis.

(11) Vidend. D. Perez de Prado in Defens. Can. pag. 348.

(12) D. Aug. de Civit. Dei lib. 5. cap. 19. *Aperta hac de re vox divina est, loquente Dei Sapientia: PER ME REGES REGNANT, ET TY-*

RANNI PER ME TENENT TERRAM. Sacri Textus alii, & DD. allegati.

(13) D. Aug. in Psalm. 124. n. 7. D. Thom. ubi prox. Petr. Greg. de Rep. c. 7. n. 10. Rmus. P. G. Molina in Encycl. 8. Aug. 1767. à n. 19.

(14) Culpam privati homicidii indicat poena: Matth. 26. 52. & Apocalyp. 13. 10: *QUI IN GLADIO OCCIDERIT, OPORTET EUM GLADIO PERIRE.* D. Aug. de Civit. Dei lib. 1. cap. 21. His, inquit, exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.

Si autem quemlibet occidere privata auctoritate non licet, Regem licebit?

CAROLUS Hesperiae dum Regia Sceptra tenebit,
 Pax erit in populis, fidaque Regna Sibi.
 I Liber, i properans, & circumque triumphas;
 Hostis victor ova, victor ubique docens.
 Rumpe moras, i, i cum Majestatis honore;
 Nemo valet tanto rodere praesidio.
 Moxque pares studiis, sintque Tyrannidis hostes,
 Regis & imperio, rursus ubique Scholae.
 Quam bene, mi MASI, doctrinam Monstra refellis!
 Quam methodo nectis tanta, brevique legis!
 Eminent haec inter Tuus erga dogmata Zelus,
 Quo bene scripta foves, & male nixa feris.
 Angelico haec Duce agis, cujus Tu lumine abundas;
 Inde nitescit Opus, quo Schola Sole micat.
 Tu merito, ut THOMAE vindex acerrimus adites;
 Assecla nam cunctos fidus ad arma cies.
 Accumulantque citae victricia tela Phalanges.
 Et simul instructae fervida bella gerunt.
 Robur AQUINATIS quoties certamina tentet,
 Mox adversa dabunt agmina victa manus.
 Haec Tua nunc, MASI, illustris victoria prodit
 Te bene de THOMA, dum pugil es, meritum.
 Hocce tuum immortale decus, laudesque manebunt
 Jugiter: his liceat tempus in omne frui.
 Sint Tibi, sint Operi jam plausus Urbis, & Orbis,
 Quorum Te paci consuluisse pater.
 Vive diu felix, Hispanae gloria Gentis;
 Doctrinae & sanae cultor, honosque, vale.


Ex Museo nostro Valentino 24. Decembris 1767.

DISTRIBUTIO OPERIS.

- D**ISSERTATIO I. *De natura, & dotibus Probabilismi*, pag. 2.
 Articulus I. *Probabilismi cognitio, nexusque cum laxismo*, ibi.
 Art. II. *Imago Probabilismi*, p. 6.
 Art. III. *Probabilismi auctoritas*, p. 19.
 Art. IV. *Probabilismi reflexivus*, p. 36.
 Art. V. *Probabilismi indoles*, p. 52.
 Art. VI. *Artes probabilisticae*, p. 58.
 DISSERT. II. *De bello Probabilistico*, p. 64.
 Art. I. *Varii eventus belli*, ibi.
 Art. II. *Probabilismo sub Alexandro VII. plaga imposita*, p. 76.
 Art. III. *Probabilismus sub Innocentio XI. semivivus relictus*, p. 90.
 Art. IV. *Probabilismus sub SS. D. N. Clemente XIII. jacet examinatus*, p. 108.
 DISSERT. III. *De Probabilistici belli triumphalibus Ducibus*, p. 115.
 Art. I. *Decreta Alex. VII. & Innoc. XI. fecere victoriam*, ibi.
 Art. II. *Perit fuga à Probabilismo*, p. 120.
 QUÆSTIO I. *De Probabilibus*, p. 139.
 Art. I. *Probabilitas in Judice*, ibi.
 Art. II. *Probabilitas ex uno Au-*
thore, p. 148.
 Art. III. *Probabilitas in Sacramentis*, p. 159.
 Art. IV. *Probabilitas tenuis*, p. 167.
 Art. V. *Probabilitas in Infidelibus*, p. 171.
 QUÆST. II. *De Legibus*, p. 177.
 Art. I. *Populus Legem non acceptans*, ibi.
 Art. II. *Dubia legalia*, p. 186.
 Art. III. *Legalia tributa*, p. 190.
 Art. IV. *Pœnae legales*, p. 193.
 Art. V. *Potestas Principum, atque firmitas*, p. 194.
 Art. VI. *Prohibitio Librorum*, p. 202.
 QUÆST. III. *De Fide*, p. 206.
 Art. I. *Fidei præceptum*, ibi.
 Art. II. *Fidei actus*, p. 209.
 Art. III. *Confessio Fidei*, p. 213.
 Appendix *de judiciaria proprii sceleris confessione*, p. 215.
 Art. IV. *Ignorantia Mysteriorum Fidei*, p. 223.
 Art. V. *Fides SS. Trinitatis, & incarnati Verbi*, p. 226.
 QUÆST. IV. *De Charitate*, p. 276.
 Art. I. *Charitas erga Deum*, ibi.
 Art. II. *Charitas erga Proximum*, p. 286.
 Art. III. *Charitas erga se ipsum*, p. 290.
 Art. IV. *Charitati contraria*, p. 292.

QUÆST.

- QUÆST. V. De Simulatione, p. 303.
 Art. I. Simulantia verba, ibi.
 Art. II. Opera simulantia, p. 323.
 QUÆST. VI. De Homicidio, p. 330.
 Art. I. Homicidium ad vitæ propriæ securitatem, ibi.
 Art. II. Homicidium ob defensionem bonoris, p. 336.
 Art. III. Homicidium propter rerum familiarium tuitionem, p. 342.
 Art. IV. Duellum, p. 346.
 Art. V. Tyrannicidium, & Regicidium, p. 350.
 Art. VI. Sanguinaria doctrina epilogus, p. 369.
 QUÆST. VII. De injustis accusationibus, p. 388.
 Art. unic. Detractio, sive calumnia, ibi.
 QUÆST. VIII. De Luxuria, p. 400.
 Art. I. Parvitas materie, ibi.
 Art. II. Forum, p. 407.
 Art. III. Segnitias, p. 410.
 Art. IV. Effusio, p. 413.
 QUÆST. IX. De furto, & restitutione, p. 427.
 Art. I. Urgens in rebus egestas, ibi.
 Art. II. Compensatio, p. 436.
 Art. III. Mutuum, & usura, p. 448.
 QUÆST. X. De Simonia, p. 459.
 Art. I. Temporale pro Beneficiis Ecclesiasticis collatum, vel acceptum, ibi.
 Art. II. Ad Beneficia eligendi, p. 469.
 QUÆST. XI. De Præceptis Ecclesie, p. 473.
 Art. I. Officium Canonicum, ibi.
 Art. II. Auditio sacri, & observantia Festorum, p. 488.
 Art. III. Jejunium, p. 491.
 QUÆST. XII. De Missa, & Communione p. 500.
 Art. I. Auditio, & celebratio Missæ, ibi.
 Art. II. Missæ stipendium, p. 505.
 Art. III. Paschalis, & frequens Communio, p. 509.
 QUÆST. XIII. De Partibus Sacramenti Pœnitentiæ p. 511.
 Art. I. Contritio, ibi.
 Art. II. Confessio, p. 518.
 Art. III. Satisfactio, p. 530.
 Art. IV. Absolutio, p. 537.
 QUÆST. XIV. De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, p. 549.
 Art. I. Doctrina, ibi.
 Art. II. Jurisdictio, p. 555.
 QUÆST. XV. De Subjecto Sacramenti Pœnitentiæ, p. 563.
 Art. I. Consuetudinarius, ibi.
 Art. II. Concubinarius, p. 574.
 Art. III. Hæreticus, sollicitarius, & calumniarius, p. 578.
 Art. IV. Complexus, p. 582.



INCOMMODA PROBABILISMI.

PROLEGOMENA.

PRIUSQUAM Probabilismi incommoda quasi in specie adoriatur, de iisdem quasi in genere differamus oportet, ut præoccupemus faciem Lectorum in confessione, Probabilismum trunca manu pinum regere proscriptarum ab Alexandro VII. & Innocentio XI. Romanis Pontificibus thesum; quibus præscissis tamquam obviantibus ramis, nudus apparuit, visuque horrendus. Verùm ne plus iusto in limine hæreamus, ad rem accedendum est.

DISSERTATIO I.

DE NATURA, ET DOTIBUS
Probabilismi.

ARTICULUS I.

*Probabilismi cognatio, nexisque
cum Laxismo.*

2 **F** Amosus Probabilista *Johannes Caramuel* confessus est, & non negavit (a): *Multa inconvenientia suboriuntur ex restrictionibus mentalibus: multa ex occultis compensationibus: multa ex licentia occidendi injustum Judicem, aut testem, quam nonnulli concedunt: multa ex illa opinione, quæ dicit, de occultis non judicare Ecclesiam: multa ex aliis. Quid? Quibus tamen, subdit, non obstantibus inconvenientibus, illæ sententiæ IN TERMINIS, QUIBUS HODIE TRADUNTUR in Scholis, sunt UT MINIMUM PROBABILISSIMÆ, ET A NEMINE damnari possunt. Certè Caramuel ex incommodis, quorum meminit, quæque proficiscuntur ab hujuscemodi sententiis, inferret potius, eas credi non posse licitas, sed dignas communis reprobationis, & execrationis, si*

non obstaret probabilisticum systema. Hoc posito, sat illi non fuit, eas dicere *probabiles*, verùm etiam *probabilissimas*, & quidem *ut minimum*; eò quòd tot sint Casuistæ earundem patroni, ut horum principiis positis, tales nominarentur, & essent re ipsa. Quin etiam adjecit: *à nemine damnari possunt*; quasi non sit Tribunal super faciem universæ terræ, quod illas audeat condemnare, sed stare super pedes suos debere unà cum gravissimis, quæ pariunt, incommodis; quæ tamen satis non sunt *Caramueli*, atque Probabilistis ad falsitatem, vanitatemque systematis ejusmodi, quod humano generi adeo est perniciosum, ut præfatæ sententiæ illæ remaneant *ut minimum probabilissima*, ac *indamnabiles*. Porro ad praxim eas reducere auderet nemo, nisi qui eas judicaret veras. Hi profectò satis pauci essent. *At animata anima illa, expedita sunt ad praxim, etiam apud illos, qui*

JU-

JUDICANT ESSE FALSAS: *quandoquidem eas SALTEM PROBABILES vident; & omne SIC PROBABILE, esse USU LICITUM audiunt; ut appositè dixit P. Egidius Estrix.*

3 Fateor planè, nullusque dubito, aliquot reperiri morum sententias, quas prorsus rejiciat Probabilistarum pars una, ovanter suscipiat & altera. Hòc autem numquam evincit, Probabilismum nullam cognationem habere, nulloque nexu contineri cum sententiis directis, sive laxæ sint, sive non laxæ; sed tantam intercedere, quantam constat inveniri inter argumentationem ex causa, & rem argumentatione conclusam, sive definitionem inter, ac definitum, nisi funditus convellere velint Probabilismi canonem, à P. Dominico Viva promulgatum (a): *Admitti potest ut PROBABILIS, non solum plurium, sed etiam unius Authoris opinio, etiamsi adversus communem aliorum sentiat, quoties Author est omni exceptione major. Ecce tibi vinculum cognationis Probabilismum inter, omnesque inanes, ac immanes sententias, quæ in unaquaque*

controversia ab uno, pluribusve Probabilistis defensantur; illudque nequaquam rumpes, nisi Probabilismo, Probabilistarumque ratiunculis injicias securim, aut exceptionem *Doctorem & Piorum* eis imponas. Quare à R. Tyrso Gonzalez memoriæ traditum est (b): *Benignam sententiam de usu opinionum probabilium, pravam omninò esse, & laxarum omnium opinionum ANIMAM, adeoque unam omnium MAXIMÈ PERNICIOSAM; quippe quæ promptum OMNI FERMÈ LICENTIÆ præstet patrocinium.*

4 Jure itaque merito Conventus Cleri Gallicani an. 1700. proclamat: *Incredibile dictu est, ex pessimis principiis, tota licet Ecclesia reluctante, quanta malorum incrementa provenerint, subtilioribus ingeniis in id unum intentis, ut eò quisque se vel maximè Theologum videri velit, quò plura ejusmodi inventa in PROBABILITATIS auctoritatem adduxerit. Verùm hæc constabilire, aut per eam speciem mentes infirmorum in falsam, & noxiam securitatem inducere, nihil est aliud, quàm animas perdere, ac doctrinas, & mandata*

A 2

Ho-

(a) In Prop. 27. damn. ab Alex. VII. n. 7. (b) Ita PP. Assistentes R. Generali, in libello supplici R. Mag. Apost. Palatii exhibitò die 7. Septem. 1693. videndo apud *Euseb. Eraniste, Epist. tom. I. pag. 356. n. 24.*

(a) Theol. fund. pag. 549.

Hominum, vanasque Traditiones exemplò Pharisaorum, divini mandati loco obtrudere. Quare tot errorum experienciã victi, necesse habuimus malorum radicem excindere, eam scilicet opinandi rationem, quæ ignota SS. Patribus, tanta de rebus maximis dissidia peperit. Dehinc, præmissis censuris adversus laxarum Propositionum numerum benè multum, Probabilissimum rursus appellant initium malorum; atque omnium antedictarum corruptelarum caput.

5 Concinit primorum Hispaniæ Pastorum laudabilis numerus, & ipse gemens coram Apostolica Sede ab anno 1717. *Ad mores sollicitudo nostra, inquit (a), anxie convertitur, & opinandi licentiam adeò percrebuisse conspicit, ut laxitate per omnes materias grassante, cunctaque transcendente, vix sanitas in doctrina morum HODIE inveniatur (b). HODIE in praxi, ut dolenter experimur, sufficit quòd ab Auctore GRAVI, præcipue PROBO doctrina quævis, etsi recens, doceatur, ut pro REGULA CERTA morum amplecti non dubitetur (c). PROBABILISMUM equidem, ut bodie ad praxim ploramus redactum (hac nostra*

tempestate, in qua dividitur moderatus, atque restrictus intra rationis confinia) Causam per se tot malorum certo certius esse fatemur. Unde banc esse fecundissimam radicem, ex qua tot virulenta germina immediate procedunt, proculdubio existimamus (d). Quis non videat, quàm numerosa sint animæ, que turmatim aufugio HUIUS PROBABILISMI laxissimè vivunt? Nota verba, & signa sequentia. Heu nobis miseris! Leges divinas, & ecclesiasticas, CONFUGIO HUIUS PRACTICI PROBABILISMI HODIE VIGENTIS, passim violari: Auctoritatem Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum novis opinamentis continuo minui: Decreta Apostolica, & Constitutiones, sive ad fidem, sive ad mores, sive ad gubernium Ecclesiæ pertinentes, totumque insuper Jus Canonicum, imò & sanctissima Sacrosanctæ Tridentinæ Synodi Decreta liberis interpretationibus, quas PROBABLES vocant, temerè illudi: Sacramenta ipsa, etiam quæ necessaria ad salutem sunt, periculo nullitatis MULTIS PROBABILIBUS, ut vocant, passim exponi: Leges Civiles pro minimo jam haberi, & à tributis non solvendis, etsi justis, sine ullo

re-

(a) In Libello suppl. pag. 1. (b) §. 1. n. 3. (c) Ibi, pag. 106. n. 5.

Ibi, pag. 9. §. 9. (d) Ibi, pag. 105

remorsu, quia MULTA PROBABILIA circa hæc inveniuntur, quamplurimos se excusare: Episcoporum edictis, & mandatis, etsi sub præcepto formali obedientiæ, quinimò adhuc sub pœna censura lata editis, publicè, & palam EODEM CONFUGIO PROBABILISMI non obediri; Prælatisque inferioribus, etsi Regularibus, suo modo idem accidere: Censuras Ecclesiasticas, etiam Pontificias, etsi Sanctæ Sedi reservatas, PROBABILIBUS PRÆTEXTU non timeri: nominatim excommunicatos, OPINIONEM, quam vocant PROBABLEM, pro se habentes, suam declarationem irridere: in nullo genere contractuum, & negotiationum, emptionibusque, & venditionibus, utcumque fiant, HISCE PROBABILIBUS ferè nullam læsionem inveniri, neque obligationem restituendi agnosci: Contractum nullum, ut usurarium, MUTATIS NOMINIBUS (ut accidit in contractu trimo, satis HODIE pro certa regula vigente) jam haberi: Et alia id genus.

Hic est, pergunt (a), præsens Reipublicæ christiana Status. Hæc, & alia innumera, & quidem majora, quæ HODIE patitur. Hæc, quæ in eo pollent. Hoc, de quo omnes, qui in Politico, & Ecclesiastico clavum tenent,

meritò conqueruntur; quòd PROBABILISMO, UT HODIE IN PRAXI EST, STANTE, nullis Legibus populos gubernare valeat. Hi uberes, sed exitiosi fructus, quos arbor hujus NOVI PRACTICI PROBABILISMI producit, & nutrit. Hæc utilitates, quæ Populo Dei ex illa eveniunt, ut FACILIS VIA, ut inquit, quæ DUCIT AD VITAM, eis ostendatur. Et hæc omnia adeò certa, sicut & quòd ut plurimum EX PROBABILISMO, UT IN USU EST, procedunt, quòd nullus sit, qui de eo ambigat, qui negare id meritò queat: cum tot fideles testes in Propositionibus delatis, EX ILLO tamquam germinibus PROCEDENTIBUS, habeamus. Unde meritò de arbore tam exitiosa dicere valemus, quod de spuris filiis in metaphora adulterina, venenata, luxuriantisque arboris, Sapientiæ cap. 4. legimus: „ Spuria vitulamina „ non dabunt radices altas, „ nec stabile firmamentum col- „ locabunt; confringentur „ enim rami inconsummati, „ & fructus illorum inutiles, „ & acerbi ad manducandum, „ & ad nihilum apti. „

6 Tantam ergo habentes lucidam nubem testium, in idipsum contestantium nomine præcipuorum Ecclesiæ Regno-

(a) Ibidem n. 6.

rum; quæ mens bene disposita non attendet, ut confiteatur, non doctas fabulas secutos Antiprobabilistas, non larvas, non chimæras, sive insubistentes exaggerationes, dum formulis suis pandunt damna funestissima, quæ infert Probabilismus, non solum in genere, sed & prout hodie in praxi est, hoc est, is ipse, qui modò decantatur à Probabilistis moderatus, restrictus, vel justis terminis definitus ad normam Decretorum Ecclesiæ Sanctæ Dei? Numquid Probabilistæ exceptionem eam, quam subtilibus responsionibus passim adhibent effatis, sensibusque Antiprobabilistarum, refri-cando audebunt renovare (subterfugium aliud non video) adversum Venerabiles Patres, doctissimosque utriusque cœtus, omni exceptione majores? Quis crediderit? ego autem non credam.

ARTICULUS II.

Imago Probabilismi.

§. I.

7 **C**ontrariorum ratione Probabiliorismus (cujus signum, & est lucidum totum, levaverunt in nationes

Theologi, ex eo Probabilioristæ, seu Antiprobabilistæ nuncupati) sancti nominis Dei timorem pariter & amorem intendit nos habere perpetuum. Aliud quippè re ipsa non est, quàm sententia ea, quâ in praxi usi sunt semper, quin rei controversæ studio incumbere umquam, Personæ piæ, timorata, ac de sua salute æterna benè sollicita. Quæ nimirum, dum ipsis occurrit exercitium, vel omisio hujus aut illius actionis, de cujus dubitant licitudine, ante omnia veritatem indagare diligenter satagunt corde, & animo à præjudiciis, passionibusque mundo, maturè considerando momenta rationum pro utraque parte, atque humiliter consulendo, si opus est, viros doctos, in materiaque peritos, & habentes ze-lum Legis.

His peractis, si fundamenta pro parte negante obligationem legis appareant eis solidiora, & satis urgentiora, ita ut ab ipsorum mente omnem removeant prudentem timorem de falsitate, sed inducant in certitudinem de veritate moralem; ad istam securi accedunt, reposita spe in Domino, quem credunt nihil am-

plius

plius à suis exigere, neque astringere ad sequelam contrariæ sententiæ; quam, tamen tutiorem, prudenter tamen judicant, esse omninò falsam.

Quodsi post serium examen vident, motiva esse ponderis æqualis pro utraque contradictoria opinione, potissimum si quæ obligationem suadent, majoris sibi appareant momenti; tunc suspenduntur, & teneri sese credunt parte tuta, præstando videlicet obedientiam legi, & ab operatione cessando, abstinendoque. Hæc fuit semper, & est illorum praxis, qui novis principiis exteris nullatenus præoccupati, confidenter ambulant in simplicitate cordis, & veritate spiritus viam salutis. Felices ii; qui de thesauris cœlestibus proferunt Imaginem Regis gloriæ! Hanc, paucis verbis expositam sententiam, esse eandem, quam docent, atque defendunt Catholici Probabilioristæ, seu Antiprobabilistæ, res est adeò indubitabilis, ut & ipsi Adversarii fatentur compulsi sint.

Ita in confesso est apud P. Paulam Señeri (a): Infinita, inquit, Persona se abstinere à

talibus doctrinis (probabilistis) quia audiunt dici, quòd sunt minus probabiles, quàm oppositæ. Ecce signum magnum falsitatis sententiæ faventis appetitui nostro: sensus quasi communis ab ea abstinendi, assentiendique contradicenti. Quare P. Bianchi (b) monet: Adverte, quòd experientiâ didici, Indoctorum scilicet, eorumque omnium, qui minus in re morali versati sunt, proprium esse, in quolibet dubio confugere ad tutiorem. SOLUM QUIPPE LUMEN RATIONIS ostendit, quòd tutius est.

8 Hinc Probabilioristas turbida terret Imago Probabilismi. Profectò peniculo, coloribusque ipsis celebratorum Probabilistarum expressa, simplex erit, ac naturalis pictura, atque vera effigies. Quum quaecumque agitur negotium, sive publicum, sive privatum, ex utraque contradictoria parte tuæ obviam menti veniunt auctoritatis, rationumque pondera æqualia: res est per se nota, inquit Probabilioristæ, re suspendere tunc debere judicium, quousque non invenis motiva graviora, fortioraque, quæ uni præ parte altera te inclinent, ac determi-

A 4

nent;

(a) Lett. 1. n. 23. (b) Dissert. 4. cap. 2.

nent; aliter imprudenter & insipienter egisti. At non sic *no- vi systematis Defensores*, non sic: nam voce confitentur unanimes, quemquam posse in binis opinionibus contradictoriis circa operationis honestatem, conflictuque fundamentorum parium, ad eam declinare partem, quæ ipsi plus placeat, & quidem non tantum absque peccato, sed & cum merito coram Deo: *Ut quaecumque*, ait P. Antonius Escobar (a), *duarum viarum primò diversarum homines inierint, rectà tendant ad Superos.* Quò nempe Caramuel remisit (b) Atheos ipsos. Quin & P. Claudius La-Croix (c) vult: *Licetum esse operari secundum PROBABLEM, licet evidens sit, oppositam esse PROBABILOREM, uti habet (subdit) Communis.* Probabilistarum utique: qui sanè vim eam tribuunt probabiliori sententiæ, quòd liceat contrariam sequi. Quis hæc audiens, non perhorrescit! Res est exemplis manifesta.

9 Ex quæstionibus controversis, de quibus diversa est decisio inter RR. Casuistas, altera est: utrùm privatus homo licitè valeat tollere de hoc

mundo, sive ferro, sive veneno eum, qui vel illius vitæ, vel æstimationi, vel substantiæ insidiatur? Ponamus itaque, quòd post hujus controversiæ examen quis cognoscat, & judicet, non modò esse *probabile* quomodocumque, sed *evidenter magis probabile*, sibi non licere vitam insidiatori illi adimere: is ipse nihilominus potest contrariam amplecti sententiam, illumque occidere absque peccati scrupulo.

Præter hanc consequentiam, quæ satis est etiam communis Probabilistarum, P. La-Croixius alteram deducit, nimirum: *Secundò, licetum esse cuivis, consulere plures homines, qui habentur communiter PROBI, & DOCTI, inquirendo, an fortè inventurus sit aliquem PROBABILITER excusantem v. g. ab obligatione restitutionis.* Id ipsum extendit itidem ad reliquos casus, erga quos quisvis, postquam plures invenit Theologos suæ pascioni & genio contradicentes, unum tandem reperit practicum in Casuistarum libris, opinionibusque probabilibus, qui *probabiliter* indulget tamquam licitos & honestos. In proposito itaque casu

in-

inveniet absdubio nonnullum, qui judicet, esse *probabiliter* licitum homicidium propter sui honoris, ac reputationis custodiam, sicque in verbo illius poterit liberè, ac sine ullo scrupulo homicidium executioni mandare.

10 Sed en aliam quoque consecutionem generalis doctrinæ Probabilisimi, ab eodem adductam La-Croixio (a), videlicet, quemlibet posse varium esse, atque mutabilem optione contrariarum opinionum probabilem. V. g. si PROBABLE sit (inquit) *vectigal esse injustè impositum, & etiam PROBABLE, quòd sit justè impositum; si simul sis & exactor vectigalium, & mercator, dicunt (Probabilistæ) te posse hoc vectigal ab aliis exigere, veluti justè impositum; & tamen te ipsummet non teneri solvere, tamquam injustè impositum.*

11 Id P. Thomas Tamburinus inquirens (b), an liceat modò unam, modò alteram sententiam in eadem materia sequi? declarat binis hisce exemplis. *Primò: PROBABLE EST, illatam infamiam posse pecuniâ compensari. Potest infamatus, hodie velle, & exigere ab infamatore compensationem in pecu-*

niis; atque *cras*, aut etiam *hodie*, ipse infamatus, qui alium traduxit, recusare compensationem famæ, quam abstulit, in pecunia? *Secundò: PROBABLE EST, quòd causâ jam semiplenè probatâ in judicio, liceat reo respondere Judici æquivocè, & cum restrictione, & sic eludere interrogatorium: est item modò probabile, id non esse licitum. Potest reus (ait) hodie uti æquivoco, & restrictione; atque manè, creatus fortè Judex, suum adstringere reum ad sibi non respondendum æquivocè, ac restrictè, sed exactè, ac simpliciter confitendum veritatem? Hæc, subdit, & innumerabilia ejusdem generis hic in controversiam vocantur.*

Et quid resolvit? posse nimirum fieri ad placitum ejusmodi mutationem sub aliquibus, quas assignat, & non mutant quæstionis statum, conditionibus: quia, inquit, *in nostra libertate est sequi quaecumque opinionem practicè probabilem; quam sequendo, semper agitur prudenter. Cui hæc non videbitur opinandi modus omnium irrationabilissimus?*

12 Et quid si permetteret quoque sequelam opinionis, quam

(a) Tom. I. Theol. Mor. in Prologo. (b) In Apolog. cont. Fagnanum. (c) Lib. de Conf. n. 301.

(a) Ibi, n. 371. (b) Lib. I. in Decal. cap. 3. §. 5.

quam quisque judicat esse falsam, falsamque ipsi repræsentant urgentiora motiva? Ita sanè; modumque suggerit P. La-Croixius (a) formandi tunc dictamen conscientia, prudenterque operandi, & sine peccato. En ejus verba: *Judico quidem, opinionem illorum esse falsam, quia tamen hoc mihi incertum est, & Authores me sapientiores, qui opinionem possunt reddere CERTO PROBABLEM, dicunt, illam esse veram: ego quoad hanc opinionem me accommodabo illis, & interea præscindam à directa opinione mea. Ita absolutè tenent Azorius, Vazquez, Lessius, Valentia, Salas... aliique plurimi, & gravissimi AA. Quare quantumvis quisque persuasus sit falsitatis opinionis supradictæ, quæ licentiam, nullo modo constrictam, dat occidendi aut honoris, aut bonorum insidiandi; poterit nihilofeciùs, prædictum efformando judicium, licitè ad praxim reducere.*

13 Porro Summi Pontificis Innoc. XI. decretum intimatum fuit R. P. Joanni Paulo Olivæ, tunc Generali Societatis, ubi legitur (b): *Sanctitas sua... mandavit, ut ipse (Tyr-*

sus) liberè & intrepidè prædicet, doceat, & calamo defendat opinionem MAGIS PROBABLEM, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quòd in occurso MINUS PROBABILIS opinionis cum PROBABILIORI SIC COGNITA ET JUDICATA, licitum sit sequi MINUS PROBABLEM. Quid tò cognita, & judicata significant aliud, quàm eam appositè cognitionem & judicium proprium operantis, sive sit Probabiliorismus subjectivus, qui supponit objectivum, resultantem non modò ex autoritate Doctorum, verùm etiam ex ratione? homo enim in iis, quæ pertinent ad propriam personam, debet formare conscientiam ex propria scientia, acquisita vel ratione vel autoritate, ut doctrina est certissima.

14 Profectò, ut optimè R. Tyrsum in toties laudata, & laudanda supplicatione ad Sanctissimum, inquit (c): *Quamvis à peccato excusentur illi Authores, qui bona fide judicarunt, Probabilistarum sententiam esse veram, ideoque inculpabiliter illam secuti sunt SPECULATIVE; nemo tamen, nisi probetur, censendus est adhibuisse talem doctrinam in praxi ad dirigendam*

con-

conscientiam suam, aut alienam: quia semper, & ubique fuit, est, & erit formalissimum peccatum, talem doctrinam praticare. Ratio est facilis: quia falsitas sententiæ reflexæ Probabilis in eo consistit, quòd dicat, NON DARI PECCATUM, UBI DATUR PECCATUM; quòd dicat, FIERI BONA FIDE ID, QUOD RE IPSA NON FIT BONA FIDE; quòd dicat, FIERI CUM BONA CONSCIENTIA ID, QUOD RE IPSA FIT VEL SINE ULLA CONSCIENTIA BONA, VEL CONTRA PROPRIAM CONSCIENTIAM. Unde totum pondus autoritatis, & rationis, quod efficacissimè probat, sententiam illam esse falsam, pariter probat, non excusari à peccato formali eum, qui operatur juxta illam, cum in hoc consistat ejus falsitas. Est ergo sententia illa occasio innumerabilium peccatorum, & damnationis animarum; omnes enim, qui tali sententiâ confisi operantur in materia capaci malitiæ gravis, graviter peccant, & leviter in materia levi. Sic aliqui ante Decretum Innocentii XI. inculpate docuerunt speculativè, PRUDENTER OPERARI eum, qui operaretur confisus PROBABILITATE TENUI; & tamen certum est, sic operantem numquam potuisse operari prudenter: in hoc enim con-

sistit falsitas illius sententiæ, damnata in Propositione 3. quòd diceret, NON DARI IMPRUDENTIAM, ET PECCATUM, UBI DABATUR, ET SEMPER DABITUR IMPRUDENTIA ET PECCATUM; quòd diceret, DARI EXCUSATIONEM A PECCATO, UBI PECCATUM ERAT INEXCUSABILE.

§. II.

15 **S**ed quia P. La-Croixius meminit P. Thome Sanchezii, hujus verba transcribere non pigebit. Sanchezius, postquam definivit (a), opinionem probabilem eam esse, quæ ratione alicujus momenti nititur, ita tamen, ut pro opposita parte nihil convincens sit, subdit cum P. Gregorio Valentia: *licet quis rationem peculiarem habeat contra oppositam sententiam, quam ipse solvere nequit, & sibi solvi non posse videatur; non ideo censere debet oppositam aliorum sententiam IMPROBABLEM esse, UT EAM SEQUI NEQUEAT: quia solo suo judicio non debet aliorum sententiam IMPROBABLEM judicare. Eò vel maxime, quòd sibi persuadere debet, quotidie contingere, subito invenire solutionem rationum, qua quis ineluctabiles putabat, aut ab aliis facile solvi.*

Hoc

(a) Num. 377. (b) Apud R. Tyrsum in suo Memoriali n. 6. (c) Ibi, n. 9.

(a) Lib. 1. in Decal. cap. 9. n. 6.

Hoc pacto , motiſum eſt nullum ita efficax & convinſens, ut homines inducere valeat ad deponendas uti *faſas*, & *improbabiles* opiniones faſentes eorum voluntati, & inclinationi, quando dentur Authores, qui eas ſuſtineant; nam quilibet poterit ſibi perſuadere, quòd hi ſcient adhibere reſponſionem, ſive ſolutionem, quam ipſe non modò ignorat, ſed & judicat impoſſibilem. Porrò nullus habens umbram ſinceritatis & candoris negare audebit, millia millium inveniri quæſtionum de omni materia juris divini & humani, quæ deſiniuntur à Theologis & Caſuiſtis, *Diana*, *Eſcobario*, *Leandro*, *Tamburino*, *La-Croixio*, *Viva*, & centum aliis receptis Theologis, pro una & altera parte productis fundamentis, rationibuſque, ac Authoribus allegatis. *D. Fagnanus* in uno *P. Antonio Diana* optimè numerat ter mille quæſtiones, quæ agitantur pro una & altera parte tamquam *probabiles*. Em. Card. *De Laurea* (a) dolet, quòd in libris Moralitarum *Probabilitatis involucro coboneſtantur ſingula*, ut nullum jam *ſuperſit agibile*, in cujus gratiam *bivium non ſit paratum certifiſi-*

mum, & *que perpetuò hucusque pugnantiæ predicata ſuere*, *veri*, *bonſtiſque paritate*, *opinorum beneficio*, *gaudeant*, *coiſiſſe*. Et *D. Crispinus Borgia* non dubitat affirmare (b), *vix dari caſum*, in quo non ſint *due opinionones contradictoniæ probabiles*. Nemo quoquè poterit umquam hæſitare, talium opinionum in innumerabili numero, eſſe quamplurimas *faſas*, *laxas*, *bonis moribus pernicioſas*, habentesque meritum damnationis, tamenſi damnatæ haud ſint. Supra centum & triginta ſunt corruptæ, ac ſcandalofæ theſes, ab Authoribus traditæ ut *probabiles*, quas Venerabilis conſenſus Prælatorum Hiſpaniæ adjudicavit damnatione, atque prohibitione dignas. Ejuſdem characteris benè multas proſcripſerunt Præſules Galliæ in ſæculo elapſo, & præſentis initio: atque alias plurimas poſt compilavere accurati Scriptores, horroreque perſuſi expoſuerunt conſpectui publico: Inter hæſque, quantumvis cunctæ veneniferæ atque peſtilentes, paucæ haud ſunt, quas dixeris fatalia funeſtiorum abuſuum Chriſtianiſmi, exceſſuumque initia.

Ne-

(a) In Proœmio ad Epift. Can. (b) In Selectis Moral. cap. 9.

Neque jam credas, ejuſmodi opiniones reperiri tantum vel in Summiſtis, vel in Authoribus nullam, aut in parvam æſtimationem acceptis; ſed in Theologis alti nominis, ſaltem apud Probabilitas, magnæ authoritatis, claſſicis exiſtimatis, omnique exceptione majoribus, qui quæſtiones diligenti examine pertractarunt, quique idcirco ſuas ſententias reddunt *probabiles*, ſicque *licitas*, & *tutas*, adè ut poſſint ſine peccati ſcrupulo amplecti à quolibet, cui plùs placuerint; quin etiam uti ſecuras adoptari à Conſultoribus, & animarum Directoribus; adhuc autem & ab iis ipſis, qui *faſas* judicant illas, atque tamquam tales rejecerant fortè in libris à ſe editis, ob *rationem peculiarem*, quam ipſe ſolvere nequit, & ſibi ſolvi non poſſe videtur. Et hæc eſt altera ex doctrinis fundamentalibus probabilistici ſyſtematis, traditis à *La-Croixio*, & *Sanchezio* cum *Valentia*: Quin, præter alios ſimiles, audi jam *Tamburinum* (a) de opinione *probabili ſine fundamento*, ſic decernentem: *Si hujusmodi Doctor ratione alicujus momenti non fulciatur*, idque *Docrus*

animadvertat, non valet illius ſententiam *REGULARITER excipere*, cum tamen poſſit *INDOCTUS...* Dico, *REGULARITER*. Nam: *poſteſt contingere ut ille rem ſerid tractans ſit adè doctus*, ut tibi liceat prudenter judicare, *rationem illius firmam eſſe*, ſed minus à te penetratam, vel notam; & item judicare, *ipſum rationem in contrarium*, tibi *probatiſſimam*, facile poſſe diluere. In hoc enim eventu, *ejuſ opinionem*, utpote *EXTRINSECÈ PROBABLEM*, ſi amplectaris, *prudenter ages*. Hæc doctrinâ vix unus erit, unus ſive inter ſtultos (quorum infinitus eſt numerus, id eſt, mundi pars maxima) ſive etiam inter ſapientes, qui opinionem quantumcumque laxam, & damnofam improbet; quis etenim unquam erit, qui credi volet doctior *Sanchezio*, *Vazquio*, *Leſio*, *Tamburino*, *Croixio*, *Viva*, cæteriſque aliis, qui talis generis nonnullam docuiſſe, infrâ videbimus?

16. Ipſe *Tamburinus* (b) in hujus rei exemplum, valdè notandum, quæſtionem inſtituit, nùm litigantibus binis perſonis circa poſſeſſionem, ſeu jus cujuſlibet rei ſtabilis, vel fundi, ambabuſque rationes, atque fundamenta producentibus

(a) Lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. (b) Cap. 3. §. 4. citati lib. n. 7.

bus paria; possit Judex litem suam facere, ac dissolvere in favorem sui amici cum detrimento alterius partis? Quis non responderit, ejusmodi factum contra justitiæ regulam fore, atque naturalis rationis? Ita re ipsa resolvit Tamburinus: *Judex non potest, inquit, ut ego certum puto, rem cui maluerit adjudicare, sed modo antedicto debet rem dividere. Ratio efficax mihi videtur, &c.* Dicit ergo aliquis, *Tamburinum* post hanc decisionem, judicatam ab ipso certam, & fultam ratione efficaci, nullatenus jam posse probabilem, & in conscientia tutam, opinionem habere contrariam. Verum quicumque sic discurret, non comprehendit systema probabilisticum. Expectet, quæ continuò ipse *Tamburinus* subdit: *Dixi, ut ego certum puto; nam propter extrinsecam bonorum Doctorum auctoritatem asserentium, in hoc casu posse Judicem pro suo amico, si maluerit, sententiam pronuntiare, Potes id ut Probabile, si velis, amplecti.* Et Authores ab eo allegati, sunt *Sanchezius, Franciscus de Lugo, Texeda* cum aliis, quos suppresso nomine laudat. Ad nihilum igitur

valet ultra *Tamburino* judicium suum, de falsitate hujusce opinionis certum, & innixum rationi efficaci, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab Authoribus eam defensantibus, & ex hoc probabilem reddentibus, certumque *Tamburinus* relinquat judicium proprium, & rationale, ut sibi met liceat in crimen transire alienum.

17 Neutri, nisi *P. Carolo Nocetio* (a), opinor, in suspicionem caderet, utrum hæc consequentia sit legitima: *Probabile est; teneri: ergo probabile est, non teneri?* & an fieri possit, ut pro una parte militent bona argumenta, & pars opposita omni prorsus ratione destituatur? Quippe pars ea, cui nihil omnino obstaret, non probabilis, sed certa, saltè moraliter, diceretur. Nihil secius probari Casuistis non potest, consequentiam eam haud esse legitimam; & fieri posse, ut pro una parte militent bona argumenta, & pars opposita omni prorsus ratione destituatur, sive non sit probabilis. Notum est enim, non esse magis stabilem, pluribusque argumentis firmatam sententiam, quàm quæ docet, non licere tempore jejunii,

vel-

vespere cœnare, & vesci carnibus ei, cui, quòd alii cibi noceant, carnes in prandium paratæ fuerint. Etenim *Benedictus XIV.* (quod fuit Populo Christiano salutare) hanc unam probavit, &, rejecta contraria, vigere voluit in moribus Christianorum. Et nihilominus non defunt, quibus satis est, eam probabiliorē appellare. Atque is, qui in aureo ejusdem *Benedicti de Synodo* opere, Ferrariæ edito 1753. *Indicem* confecit, ausus est scribere (a): *Jejunium Ecclesiasticum Probabilius servandum est etiam ab iis, quibus licet vesci carnibus diebus esurialibus.* Quò pertineat hæc fraus (nam *Benedictus* (b) definitam ab se fuisse scribit hanc controversiam; omninòque scribi debuisset ab Authore *Indicis: Jejunium Ecclesiasticum servandum est, ut in alia editione correctum est*), optimè intelligitur, scilicet, ut opportuno tempore concludere liceat, contrariam esse probabilem. Si ergo tanti faciunt Probabilitatē hanc consecutionem, ut eam, vel in ejusmodi sententiis, quæ à Summis Pontificibus confirmatæ sunt, valere

arbitrentur; quæ afferetur morum controversia, in qua nolint esse legitimam?

Illane, quam agitat *Sanchezius* (c): *An oscula, & amplexus fœminæ à viro habita ob solam veneream, & sensibilem delectationem ex ipsis consurgentem absque alia sinistra intentione, sint culpa lethalis* Atqui pugnabunt, in hac ipsa controversia consecutionem illam esse legitimam; & in numerum eorum, qui negantem sententiam existimant probabilem, non injuriâ retulisse se dicent *Dominicus Soto* ob eam causam, quòd oppositam sententiam appellat (d) *veriorē*, quasi supponeret, hanc esse probabilem, sed non ita certam, ac contrariam. Pugnabit, legitimam esse, *P. Moya*, & rectè de prædicta eadem quæstione conclusisse se dicet (e): *Nec dissentiet M. Tabiena v. cogit morosa num. 2. ubi indicat probabile, delectationem morosam non esse peccatum mortale, quia de contraria, & communi, & verissima sententia solùm dicit, quòd est securior.* Ineptè quidem *Sanchezius* & *Moya* locuti sunt, & (quæ admodum alia pleraque) invideo-

(a) Pag. 626. (b) Lib. 7. cap. 3. n. 2. (c) Lib. 9. disp. 46. n. 6.

(d) In 4. Sent. dist. 34. q. 1. a. 2. (e) Tract. de peccat. propol. 10. n. 10.

diosè ; siquidem Scholastici vocibus istis comparativis uti consueverunt, non modò quum partem alicujus quæstionis, alteram alterâ potiorem judicarent ; verùm etiam dùm quid omninò certum esset, atque exploratum, proponerent.

§. III.

18 **I**llud itaque constat, Probabilistas, si *securius*, aut *probabilius* quidpiam dicant, ei oppositum *probabile* asserunt esse, adeòque ejusmodi argumentandi genere uti. Nam quomodò *Sanchezius*, & *Moya* ex eo, quòd *Sotus* vocem *veriores*, & *Tabiena* vocem *securior* usurpassent, *probabilem* iisdem visam esse conclusissent contrariam sententiam ; nisi legitimam judicassent præfatam arguendi rationem ? Præsertim, quòd si ullum est genus quæstionis, in quo sit *probabilis* una pars, quin sit *probabilis* altera opposita, & in quo pro una parte militent bona argumenta, & pars opposita omni prorsus ratione destituatur ; id idem omninò sit, in quo veriti non sunt tali genere uti argumentationis ? Nulla igitur reperiri

potest controversia, in qua secundum Probabilistas sit una pars *probabilis*, quin sit & altera quoque *probabilis*.

19 Quinimò, cum opinionem *probabilem* dicunt, in *praxi non esse sequendam* ; intelligunt, oppositam esse magis pietati consentaneam. *Tamburinus* namque (a), postquam sententiam, quæ adfirmat, satisfieri præcepto per simultaneam plurium Missæ partium auditionem à diversis Sacerdotibus, confirmavit nonnullis rationibus ; adjecit : *Et ideo illam tenent saltem ut PROBABLEM Azorius, Molfes. & Bauny ; ad dentes tamen, & benè, IN PRAXI consulendum esse oppositum, eò quòd sit magis pietati consentaneum.* Non hi tantum, sed etiam alii Casuistæ, ut constat ex *P. Leandro à SS. Sacramento*, præfatam opinionem ita propugnabant, ut subjungerent, in *praxi non esse improbabilem. Vide num. 532.*

Intellexistis quid velint Casuistæ, cum aliquam opinionem ajunt *in praxi non esse sequendam* ; non, se illam non docere, judicare falsam, aut adversari præcepto ; sed, esse pietati magis consentaneam, ut contrariam sequamur. Quò

quid

quid dici potest verius ? Numquid etiam si Casuistæ non dicerent ; quilibet per se non intelligeret, majoris esse pietatis, *probabiliorem* amplecti opinionem ? At parùm prodest, postquam opinionem commodis hominum, imbecillitati, libertatique accommodatam, dixeris esse *probabilem* ; clamare, contrariam magis esse *pietati consentaneam*. Experiundo quippè cognovimus, non ex eo quòd aliæ aliis sint sanctiores, sed ex eo quòd sint commodiores proficisci, ut quædam negligantur, & obsolescant, quædam ad vitæ consuetudinem facillè traducantur. Et sanè non operosius Casuistæ, quàm è suggestu Oratores Sacri perfectiora quæque Christianis inculcant ; et tamen quota quæque horum pars, quod perfectius est, factuque sanctius consecratur. Idcirco mihi placet hac in re *Tamburinus*. Quoniam cæteri Casuistæ, qui negant, aliquam opinionem, quam *probabilem* judicarunt, tenendam fore *in praxi*, secum ipsi, sibi que non constare videntur. Secus *Tamburinus*, ait enim (a) : *Cum sententiam quampiam PROBABI-*

LEM, seu, quod idem est, NON IMPROBABLEM in hoc, vel in aliis opusculis meis appello, illud dico, eam te sine peccati scrupulo amplecti, atque IN PRAXI sequi tuto posse. Nunc edicito, utrum horum sequi mavis. Nam si *Tamburinus* : ergo alii, cum ajunt, talem opinionem in *praxi non esse sequendam*, id adjungunt, quòd cum ejusdem *probabilitate* repugnat. Sin autem alteros probas, id sanè addiderunt, quòd erat superfluum & illis impunè tacere licuisset.

20 Profectò ita confessi sunt, & non negarunt Probabilistæ famosiores. *Diana* imprimis, postquam observavit, sententiam, qua *liceat ad honorem tuendum invasorem, post impactam alapam, vel fustem, aut vulnus, fugientem occidere, aliquos Authores vele probabilem saltem speculative, ipse verò propugnavit cum aliis, esse probabilem etiam practicè* ; statuit hanc universalem, tamquam coherentiorum doctrinæ Probabilisimi : *Omnis opinio probabilis speculative, probabilis est etiam practicè.* Idemque docent *Johannes Sanchez, & Caramuel. Sed*

B

ex-

(a) In Meth. expedit. Commun. edition. Romanæ 1648. in Monit. ad Lect.

(a) Tract. 2. disp. 1. quæst. 56.

explicatiùs Escobar (a) scribens: Plures Jurisperitorum non audent IN PRAXI opinionem Duereni, Cujacii, & aliorum sectari, easque THEORICAS solùm, & non PRACTICAS vocant, tantùmque ad Scholarum ludum proficuas. Decipiuntur planè: minime enim percipio, aliquam opinionem esse SPECULATIVÈ PROBABLEM, ET IN PRAXI AMPLEXARI, NON POSSE; cùm probabilitas PRACTICA ab SPECULATIVA oriatur probabilitate, ab eaque solùm differat tamquam effectus à sua causa. Id enim quod quis opere justè exequitur, vel injustè, ab eo oritur, quod SPECULATIVÈ judicavit licitè posse: cùm cognitio SPECULATIVA ad opus dirigat voluntatem. Unde in praxi tutò harescere poteris ejusmodi Doctorum sententiæ, imò fortè securius, quàm aliorum.

21 Quæ doctrina excerpta videtur ex D. Thoma (b) quo cùm D. Antoninus (c), inquit: Cum in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opinioniones, ille, qui adheret opinioni laxioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis: quia in dubio. Et ideo vult (D. Thomas) dubium PRACTICUM oriri ex dubio SPECULATIVO de veri-

tate opinionis. Et ita illud, quod est dubium in SPECULATIONE, est semper dubium IN PRAXI, nisi occurrat in praxi aliqua circumstantia, quæ efficiat, ut nullum sit amplius dubium etiam SPECULATIVUM. V. g. si velimus supponere, dubium esse, SPECULATIVÈ loquendo, utrùm licitum sit pingere diebus festis, verè dicitur, QUÒD IS, QUI PINGIT IN DIE FESTIVO est in dubio, etiam PRACTICO, nisi superveniat in praxi aliqua circumstantia, ut necessitas extrema, quæ efficiat, ut id, quod dubium erat, dubium amplius non sit.

22 Nihilominùs P. La Croix (d) respondet: Omnia ista vera sunt, loquendo per se, si nempe intellectus sibi relinquatur, id est, re spectata in se ipsa, & intellectu operante juxta exigentiam suam propriam. Subdit: Accedente tamen imperio voluntatis, dubium illud deponitur, & intellectus determinatur ad unam partem, etiamsi pro ea sit etiam minus motivum. Mirabilis modus deponendi omne dubium, & sese determinandi parti etiam minus probabili! Ratio jam non est, quæ determinat intellectum, sed sola voluntas,

&

(a) Tom. 1. prolog. cap. 3. (b) 1. p. q. 79. a. 11. & ibi ad 2. (c) P. 1. tit. 3. cap. 10. (d) Num. 406.

& appositè hìc videbitur illud vulgare, *stat pro ratione voluntas*. Cæterùm sunt Philosophi benè multi, & Theologi, etiam Probabilistæ, qui talem negant voluntati potestatem, consistente momentorum æqualitate: unde incerta saltèm erit tanta potentia voluntatis. Porrò si voluntas determinat intellectum, quin sit ratio determinans, irrationale proptereà erit suum judicium. Hoc deest nonnullius oculis.

ARTICULUS III.

Probabilismi Autoritas.

§. I.

23 **A**ntiprobabilistæ nullatenus excludunt auctoritatem extrinsecam in opinionum delectu; quin requirunt, & necessariam reputant, plùs fortè, quàm ipsi Probabilistæ. At chaos magnum firmatum est inter hos, & illos, instabiliendo qualis sit auctoritas, quæ auscultari debeat obsequiosa voluntate, vel quales Authores, sub quorum fide actiones nostras tutò regulare valeamus. Antiprobabilistæ sub nomine auctoritatis, cui debeamus devotiùs inclinare

capita nostra in directione vitæ, intelligunt imprimis *Divinas Scripturas*, interpretatas in earum sensu obvio & naturali: Hinc *Traditiones*, *documenta Patrum*, *Sacra Concilia*, *Sacros Canones*, *Definitiones Summorum Pontificum*, *Instructiones Pastorales Episcoporum*, *Synodos*, sive *Nationales*, sive *Provinciales*, vel *Dioecæsanæ*; atque *Doctores*, & *Theologos*, qui ex istis veritatis fontibus curaverunt haurire suas doctrinas, iisque decisiones suas conformare: quos inter præeminet absque controversia S. Thomas Doctor Angelicus, cujus doctrina non est nisi extractum purissimum Scripturarum, Traditionum, & Patrum, & ideò tot laudibus fuit præconizata, & declarata à Summis Pontificibus immunis ab omni prorsùs errore, atque idcirco excepta à cunctis, & venerata tamquam auctorior, & securior. Reliquos Authores, & Theologos tantum æstimant, quanti promerentur; & ubi scinduntur, ac dissident, parum vel nihil curant de illorum auctoritate, sed unicè attendunt ad rationes, & quæ erunt fundamenta. Hæc est regula communiùs constituta ab Antiprobabilistis

circa auctoritatem extrinsecam.

24. Non ita sentiunt *Probabilistæ* hoc in capite. Non videntur (& ex passim dicendis constabit) dictis adverte mentem, nisi Scriptorum & Theologorum modernorum, & quidem partiariorum suorum quasi semper: ut patet ex longis citationibus, quas in controversis opinionibus textit *P. La Croixius* in sua Theologia Morali, ubi Authores, quos pro utraque parte allegat ad sententiarum celebritatem, frequentius Recentiores sunt, Probabilismique fautores: quasi non in Antiquis esset sapientia. Nec mirandum. Quippè omnes primani *Probabilistæ*, quando bona fide agebantur initia probabilismi, & priusquam Davus factionis perturbaret omnia, candidè falsi sunt, neminem ante annum 1577. propugnasse licitum usum opinionis *minus probabilis in conspectu probabilioris*.

Nemo inficiari valet, *N. Bartholomæum à Medina*, si *Probabilismi* Parens non fuit, tanti commenti ova posuisse, Posteriores verò excussisse. Illud

quoque verum habet, *Medinam* laudare Authorem nullum in suæ præsidium opinionis; cum pro opposita *Cajetanum* alleget, *Sylvestrum*, *Sotum*, *Corradum* (a). Secundus à *Medina*, qui ex Dominicanis: defendit *Probabilismum*, est *Ludovicus Lopez*, qui anno 1585. publici juris fecit suum *Instructorium conscientia*, ubi (b) hæc scribit: Scio communem esse sententiam *SOTI*, *CORDUBÆ*, *CAJETANI*, *CORRADI*, & *NAVARRI*, non satis esse *PROBABILEM opinionem sequi*, sed *PROBABILOREM esse sequendam*. *P. Gabriel Vazquez* primus Jesuita fuit, qui ex instituto controversiam hanc versaret (quandoquidem, ut advertit *R. Tyrusus* (c) causam hanc non nisi obiter pertractavit *P. Valentia*, sicut & *Petrus de Navarra*) & Probabilismo adversam vocat uterque *Communem*. Quid, quòd ipse *Vazquez*, in Patrum, & Antiquorum lectione versatissimus, nec unum Authorem, *Medinam* antiquiorem in medium adfert suo *Probabilismo* patrocinantem? Pro opposito autem systemate *antiprobabilistico* citat *D. Thomam*, *Henricum*, *S. Antoninum*, *Cor-*

dubam, *Adrianum*, *Majorem*, *Cajetanum*, *Sotum*, *Corradum*, *Armillam*, *Navarrum*. Id dumtaxat adjicit (a), in Scholis ante *Medinam* communiter *minus probabilem* opinionem doceri, solitum fuisse. Commentum verò istud nemo in libris typis mandatis ante *Medinam* publici juris fecit. Reverà cum *Vazquez* ipse citet laudatos Theologos pro sententia *probabiliori*, non neglexisset laudare suæ *probabilisticæ* opinionis fautores, si aliquos habuisset.

25. Sed sincerus fuit gravissimus Theologus *P. Vazquez*, cui plus fidei adhibendum, quàm mille *Terillis* passim fabulantibus; siquidem nec *Caramuel*, nec ipse *Terillus* ullum adhuc documentum asferre in medium potuerunt, quo *Medinam* antiquiorem evincerent *Probabilismum* (b). Quare *Antonius Maria Coratius*, qui scripsit circiter annum 1584. in suo *Opusculo* (c) centum Theologos, & Canonistas pro sententia *probabiliori* amplectenda adducit, nec unum verò in favorem contrariæ.

P. Ferdinandus Rebellus (d) celebris Jesuita, primus in Lusatania, & *P. Paulus Comitulus* (e) in Italia calamum in novam doctrinam acuerunt annis 1608. & 1609. *Comitulus* exprobat *N. Bartholomæo Fumo*, quòd in Summa, inscripta *Armillam*, propugnaverit licitum usum opinionis *minus probabilis*, probabilioris abjecta. *Fumus* tamen v. *Opinio*, perspicuè *Probabilismum* rejicit. Unam tantum periodum habet satis implicatam, quæ favere *Probabilismo* videtur. Nec unum alium Patronum *Probabilismi* recenset *Comitulus*; tamen accuratissimus Scriptor, nedum litteris politioribus, verum etiam Scientiæ Theologica, & Canonica clarus. Pro sententia verò probabilioris citat *Henricum Gandavensem*, *Gerfonem*, *D. Antoninum*, *Joannem Majorem*, *Conradum*, *Adrianum*, *Cajetanum*, *Sotum*, *Sylvestrum*, *Angelum*, *Tabienam*, *Navarrum*, & *Panormitanum*. Et doctus *P. Azorius*, investigator diligentissimus AA. præcedentium, qui edidit suam Theologiam

B 3

1600.

(a) Tom. 1. in 1.2. disp. 64. cap. 4. (b) *Caramuel* in sua Theol. fundament. & *Terillus* in suo libro edito anno 1699. contra Jansenist. & Tutor. (c) Inserto tom. 18. Tractatum. (d) Tom. 1. de Just. & jur. quæst. 5. in fine. (e) Tom. respon. moral. lib. 5. quæst. 5.

(a) In 1.2. D. Thom. q. 19. a. 6. (b) Part. 1. cap. 120. (c) Introd. ad Dissert. de recto usu opin. prob. pag. 1. n. 4.

1600. propositâ sententiâ probabilificâ, subdit (a) : *Hoc licet Authores non tradiderint, ratione tamen, &c.*

26 Anno 1611. P. Thomas Sanchez in suis super Decalogo Commentariis, *Probabilissimum in quacumque materia*, sive sacramentaria, sive justitiæ, sive fidei, sive corporum curandorum, propugnavit. Ut erat acri ingenio, deprehendit, systema *probabilificum*, aut in nulla, aut in omni controversia licitum. Decem & septem Authores narrat suæ patrocinari opinioni, omnes Hispanos, præter *Lesium* Belgam, & *Sayrum* Anglum : nec ullum Theologum *Italum*, aut *Gallum*, aut *Germanum* nominat. Quod argumento est, fœtum hunc ex nidulo Hispanico, in quo natus est, hætenus non emerfisse. Non ergo mirandum (re-cens cum sit Probabilissimus ipse pauper & modicus) Aseclas suos docere : *licitum est, opiniones novas facere, & statuere* Regulariter loquendo *Modernorum opiniones, præferendæ sunt opinionibus Antiquorum* (b). Quasi scriptum non sit : *Sapientiam Antiquorum exquiret Sapiens.*

§. II.

27 **P**robabilissimus tamen plurimum pace viguit, scilicet impugnantium defectu, & silentio. Etenim cum pro *Casuiistarum* multitudine, librosque evulgandi libidine, nequaquam satis multi extiterint, qui ad eos refellendos operam, studiumque conferrent: ipsique nacti quilibet scribendi, dicendique facultatem, sese Doctos appellare, Patribus anteferre; doctrinam suam, imprimisque *Probabilissimum*, Ecclesiæ doctrinam esse jactare; proscrip-tarum Thesium, quarum erant refertissimi, in veteres Theologos invidiam conferre; & id genus alia multa scribere non dubitarunt, quibus au-gerent existimationem suam. Perfacile esset ostendere, his rebus persuasum esse infinitæ hominum multitudini, ut iis magnam fidem haberet, & quicquid in eorum libris scriptum reperiret, id sibi amplecti, & tutò sequi licere arbitraretur. Non deesset etiam clarorum virorum autoritas, qua id ipsum luculenter confirmaretur. Gravissima Autoritas *Medinæ*, *Mercadii*, *Lopezii*,

pezii, *Bannesi*, *Vazquii*, *Valentia*, *Azorii*, *Enriquezii*, *Salasi*, *Suarii*, & *Sanchezii*, fuit efficacissimus stimulus aliis Theologis posterioribus, ut asectæ fierent probabilistici systematis. Quorum operâ factum est, ut quod erat unius vel alterius error, & nemini umquam nocuisset; multorum fieret opinio, & ope *Probabilissimi* serperet iis, à quibus fuisset perpetuò ignoratus. Propterea *Alexander VII.* Probabilistas eo nomine accusat, quod non solum *novas* invenerint opiniones, sed etiam *antiquatas* revocaverint: quæ si relicta fuissent in libris Authorum, ut tum primum cum ab iis profectæ sunt, ab omnibus forent derelictæ; & nullo periculum fuisset, nè aliquam perniciem adferrent: sicut numquam antea attulerant, donec à novis Casuistis diligenter conquisitæ, & novis rationibus confirmatæ, *probabiles* appellari cœperunt.

Ferè 36. annorum brevi spatio regnavit *Probabilissimus*, & quasi Rex pacificus magnificatus est. Nec mirum: dominabatur præterito sæculo quidam acutè sophisticandi modus, & longissimè disputandi res inutiles. Hic abusus

captiosè cogitandi, à pluribus in Theologiam *Scholasticam* introductus, transmigravit in *Moralem*. Istacque, quemadmodum & illa, invenit se esse in regione dissimilitudinis, inter subtilitates miserè revoluta, atque sophisticata. Ingenia perspicaciora, spiritusque elevatiores incumbabant tunc studio Theologiæ *Scholasticæ*, quæ *speculativa* dicitur: hujus secunda pars mores spectat. At *Scholastici*, illorum insequendo methodum, ipsam *moralem* materiam tantisper *speculativè* discutiebant. Adeò erant speculationibus, & subtilitatibus assuefacti, quò existimarent eò plus pretii rebus consignare, quò plus subtiliter, & aliquoties sophisticè examinassent. Hi primas tenent *Probabilissimi* tractandi juxta suas universales, & metaphysicas notiones. Cumque essent distinctionibus, & evasionibus fœcundi, nonnulli constrinxerunt illum intra clausulas, limitesque angustos, ut videre est in *Dominico Banez*, *Ildephonso Michaele*, & *Joanne à Sancto Thoma*: Alii verò eum docuere cum tota sua extensione, ac latitudine. Atque cum nec operosius intenderent in controversiarum mo-

(a) Tom. I. lib. 2. cap. 16. (b) Hisp. Præsul. laudata Delatio pag. 18.

ralium, nec *probabilismi*, nec cum ipso casus practicos discernendi studium; in suis disputationibus, dum stabilire ac definire tentabant practicas resolutiones, continuo susebant, & suis speculationibus finem imponebant sub ejuscemodi formulis: *Sed hæc ad Casuistas: Sed hoc relinquamus Authoribus Casuum: Hæc nihil ad nos, sed ad Moralistas.* Ad decisiones itaque practicas descensum non facientes, neque consequentias animadvertent periculosas, quæ consequentur *Probabilismum*: maxime, quia eorum nonnulli diversis distinctionum, atque restrictionum repagulis munierunt *Probabilismum*. Et hæc occasio fuit, cur istum innocenter, bonæque fide susceperint, propugnauerintque docti & sancti Dei homines.

28 *Probabilismus* itaque exortus, aliusque est tempore, quò Theologia Scholastica non levem eam passa est eclipsim. His summæ tum authoritatis Scholasticis sua debet primordia novus opinandi modus. His *Moralista*, seu qui Theologiam Moralem interpretandam suscipere, plurimum deferebant, & veluti oracula, eorum opiniones ex-

cipebant. Eò enim res devenerat, ut homines minus idonei docendæ vel Aristotelis Logicæ, tradendæ morum altissimæ Theologiæ destinarentur Casuistica Theologiæ Professores; qui ab anno circiter 1620. ad 1642. libros typis publicis ediderunt, nequaquam discutientes, num *Probabilismus* esset verus? sed unice studentes frigidis subtilitatibus, & distinctiunculis vanis, ut objectiones evaderent; communiter *Probabilismo* favebant. Hujus inter primos Patronos *P. Paulus Laymann* novam doctrinam invexit in Germaniam. Circa hoc idem tempus *PP. Vincentius Filliucius* in Italia, *Stephanus Baunius* in Gallia, *Aegidius Coninch* in Belgio, *Antoninus Diana* in Sicilia *Probabilismum* propagarunt. Novissimus *Diana* est primas, quia inter illos eminet decem voluminibus. At si demas aliorum Casuistarum textus, vix duo supersunt. *Casuistica Bibliotheca* merito appellari posset opus istud. Opinionibus utrinque *probabilibus* à capite ad calcem scater, directe oppositis. Vix est sententia pro virtute, quin simul altera pro vitio non defendatur. Et ob hanc incognitam

to-

toti Antiquitati inventionem, appellari meruit ab aliis Casuistis, *Lucerna Probabilismi splendidissima, Casuistici mundi Atlas, Luna Theologiæ Moralis, Agnus qui abstulit peccata mundi.* Qui cum *Diana* in amplificanda probabilistica opinione adlaborarunt, potissimi sunt, *P. Leander à SS. Sacramento* in Hispaniis, *D. Caramuel* in Germania, in Italia, & alibi.

§. III.

29 **H**inc *probabilitas* (quam *Probabilista RR.* parum aut nihil curando de veritate, unam petunt ab opinionibus, & hanc requirunt, ut actiones regat humanas) tota potest tandem resolvi in auctoritatem Theologorum illam docentium. Neque ullatenus putes, desiderare turbam magnam, sed horum tres vel quatuor Doctores illis sufficiunt, atque supersunt, ut opinio reddatur *probabilis*. Ex eorum ore judica ipsos, & confirma ex *P. Terillo*, qui potest vocari *Recentium Probabilistarum facile Princeps*. Qui anno 1669. (decem annis ante Decretum In-

nocentii XI. & quatuor post Alexandrinum) hanc edidit (a) regulam: *Omnis opinio, quam tres, quatuorve Viri, doctrinâ & pietate præstantes, post diligens examen* (quod jam præsumitur, dummodò non sint merè Compilatores, vel Summistæ) *absolutè tradunt ut veram, aut, etsi teneant oppositam, docent esse PROBABLEM, est CERTO PROBABILIS* (modò nemo doctrinâ, & pietate celebris, talis opinionis *PROBABILITATEM in dubium revocet*) licet alii communiter *ut falsam rejiciant.... Demonstratur assertio, quæ in confesso est apud omnes, supple, Probabilistas.* Terilli vestigia premit Phalanx Probabilistica. Verùm ad probabilitatem certâ minorem sufficit vel unus, ut ipsemet alibi docet, quem secuti sunt alii, ut infra ostendemus.

30 Et qui erunt *viri illi doctrinâ, & pietate præstantes, & diligentes examinatores* opinionum? De hoc argumento differit *P. Joannes Cardenas* in sua *Crisi*, atque statuit (b) imprimis: *Ex communi sententia Theologorum non facere opinionem PROBABLEM unum, aut plures Authores, nisi omni exceptione majores. Quæ assertio,*

si

(a) Traæt. de Conf. prob. q. 6. n. 7. (b) Disp. 57. cap. 1. n. 10.

si firmiter teneatur, erit ad instar regule ad discernendum opiniones PROBABILES ab iis, quae PROBABILES non sunt. Ab opposito igitur, quando unus vel plures horum Authorum eas docent, redduntur probabiles. Et ita concedit aperte (a): Ad conferendam PROBABILITATEM opinionibus requiri, quod Doctor sit probatae authoritatis apud sapientes, & prudentes.... adfirmando, Omnem hunc Authorem esse omni exceptione majorem. Unde concludit (b): Meri Summistæ, & Compilatores neque quatuor, neque sex, NEQUE PLURES EX IIS PROLETARIIS Scriptoribus possunt conferre PROBABILITATEM opinionibus, nisi valdè TENUEM. Et (c): ut Author sit probatae authoritatis, sive classicus (sive omni exceptione major) quatuor requiruntur: quod non opinetur contra principium certum: quod non opinetur ex levibus, aut sophisticis fundamentis, levibus, inquam, relatè ad iudicia prudentum: quod non docuerit varia IMPROBABILIA: quod sapienter tradat doctrinam, & quæstionem diligenter discutiat. Eo ipso quod Doctor sit probatae authoritatis, sive

quod ejus authoritas habeat communem sapientum approbationem, eo ipso, inquam, habet illa quatuor requisita.

31 Quis est hic, & laudabimus eum? Certè respondebit Cardenas incunctanter, esse Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, Basilios, Chrysostomos, Bonaventuras, Aquinates, aliosque similes, quos implevit Dominus Spiritu sapientiæ & intellectûs ad dandam scientiam salutis plebi ejus, quam narrant populi, & laudes eorum nuntiat Ecclesia. Certè ita expectandum erat. At certè ne unum quidem ex his incunctanter nominat. Octo præferret exempli gratia (d), nimirum, PP. Thomam Sanchez, Franciscum Suarez, Gabrielem Vazquez, Gregorium de Valentia, Ludovicum de Molina, Leonardum Lessium, Azorium, & D. Martinum Navarro. Sed concludit: & reliqui hujus predicamenti. P. La-Croix (e) postquam adoptavit ex P. Cardenas illos octo, subjungit quoque: Longè plures scio: sed invidiosum foret aliquos referre, & alios omittere. Alii ergo admittuntur, & admitti debent in eadem clas-

classe Doctorum probatae authoritatis, quorum singuli, vel plures suas opiniones constituent probabiles. Et nos insequendo regulas PP. Cardenas, & Croixii, possumus aliquatenus præfigere præcissum illorum numerum, asserentes, classicos, & omni exceptione majores, deberi secundum Probabilistam æstimari cunctos eos Authores, qui non sunt meri Summistæ, vel compilatores, sed quæstiones pertractaverunt ex professio, ponderare pro utraque parte fundamenta, & habent communem sapientum acceptationem, ob quam solent satis communiter citari in libris, ad opinionum augendam probabilitatem.

32 Si res ita se habet, pauci sunt Moralistæ Scriptores, qui existimentur meri Summistæ, ac ejiciantur ad gradum despectum Proletariorum, quos vocant. Re ipsa lectio modernorum Probabilismi Defensorum demonstrat, in specie decoratos & oneratos titulis Authores, sive gravissimos, sive classicos, sive magnæ ac notoriæ authoritatis, plures omissos à Cardenas, & La-Croix. P. Lecchi (a) annu-

merat cum præfatis Reginaldum, Laymannum, Vivam, & tandem Bonacinam. P. Paulus Señeri, in eodem gradu collocat (b) PP. Leanarum, Gagnam, Richelimum. La-Croix, & alii ponunt Card. De Lugo, Vivam, Sà, & Busenbaum. Atque per necessariam consecutionem ii omnes debent reponere etiam Filiucium, Castropalaum, Dianam, Dicastillum, Francolinum, Escobarium, Gobat, Mastrium, De Rhodes, Moyam, Pasqualigum, Salmanticenses, Sporerium, Silvium, Reinffestuel, Tamburinum, Tannerum, & similes; (c) eadem namque militat ratio pro his, quam pro illis. Nec in mentem venit ausus præfatos Authores collocandi in gradu authoritatis inferiori, saltèm ne derogeretur æstimationi, quam apud sapientes promeruerunt Viva, cæterique commemorati Authores, atque ne prodatur partialitas nonnulla adeò maligna. Quin novissimè P. Jacobus Sanvitalis (d) prædictos Authores, & his similes, Doctori Angelico pares supponit ad reddendas probabiles, & tutas ipsorum sententias benignas; atque

(a) Num. 13. (b) Art. 3. (c) Num. 14. & 15. (d) Cap. 3. (e) Lib. de Consc. n. 166.

(a) Pag. 139. (b) Lettera 1. (c) Vide Concinam, hist. Probab. tom. 1. pag. 50. 253. 254. 316. ac 317. (d) Pag. 7. 97. & 198. suæ raccolta.

que adeò eam illis tribuit auctoritatem in hoc genere, quam D. Thomæ sapientum communis sensus, vel Ecclesia ipsa concedit.

Quilibet itaque ex Authoribus nominatis, atque aliis meritò nominandis à Probabilistis, qui unus, tres, aut quatuor docent, sive ut *veram*, sive ut *probabilem* quamcumque opinionem, etiam contradicentem cæteris; ipsam reddit *probabilem* vel ei, qui iudicat falsam; & quamvis uti talem deserant Authores illam, dummodò fateantur esse *probabilem*.

33 Ne vacilles, sed memento, Probabilistarum idcirco dulces cantare sibi agmina laudes. Ecce audivimus eas in n. 28. de Diana, ac legimus in Indiculo, Tomo primo operum Dianæ præmissò. Audiamus iterum P. Joannem Cardenas, qui *gravissimus* audit apud *Probabilistas*; quique laudato loco cœpit dicere de P. Thoma Sanchez amplissima encomia, ex Bibliotheca Scriptorum Societatis eruta, ubi appellatur passim *Scriptor gravissimus, Eruditissimus, Illustrissimus, Moralium Scriptorum Princeps, Splendidissimum Moralis Theologiae lumen*, tan-

te auctoritatis, & æstimationis Author, ut apud Tribunalia, & Juris peritos, sine alio adminiculo, & Authorum censu; lumen adferat veritati, decisionem Causis, terminum Litigiis. Quis adducet in contentionem, talem ac tantum A. *probabilem* efficere cunctam suam doctrinam *sine alio adminiculo, & DD. censu?* Et ho! quòt docuit falsas, ut mitiùs loquar! *Suarium* tanti habet, *ut omnes ejus opiniones securissimè possimus amplecti.* Omni dubio procul annumerari *Vazquium* vult *inter Doctores primæ classis, & omni exceptione majores, cujus doctrinam tutò possimus amplecti.* PP. Gregorii à Valentia, & Ludovici de Molina exaltat meritum, & sublimia refert præconia.

De Leonardo Lessio affirmat, *nullam doctrinam moralem veriore, & securiore esse inter Theologos, qui à tercentum annis scripserunt. Nam ita solidè, & rationabiliter discurret, ut in omnibus videatur ferè moralem EVIDENTIAM facere.* Atque de P. Azorii præconizat doctrina, *magna sapientum Virorum approbatione recepta est ab anno salutis 1600. Cujus opiniones, utpote cum*

in-

ingenii Judicii maturitate discursa, NON SINE VENERATIONE ab Authoribus citantur. Sic tandem de PP. Valentia, & Molina similes canit laudes.

34 Parùm, aut nihil verisunt, quibus alii ap-

Te decadem Legis methodo, ac ratione docentem,

Quis renuat rursus Mosis obire vicem....

Si Numen digitò chartam, non marmore signat,

Nihil vetat aternum quin tibi vivat opus.

Quæ novus ille suis Moses Iescius afflat

Vatibus, interitum jure subire vetat.

Hinc laudatus P. Señeri, vir aliàs undequaque spectabilis (a), audet, & dicit se fortiter defensurum, Authores uti Toletum, Suarium, Sanchezium, Azorium, Lessium, Laymannum, Valentiam, & alios plurimos, numquam docuisse doctrinas laxas. Adscribit suis Probabilistis privilegium infalibilitatis in morali Theologia, unis Scriptoribus Canonicis eximium in omni materia. Et istam suam propositionem probare non vult, quia est negativa; sed supponit ineluctabilem, & in casu impugnationis fortuitæ offert sese accinctum ad victoriam. Laus Probabilismo.

§. IV.

35 **H**inc consecutiones incommodæ, sed

pingunt Lugonem, Laymannum, Bujembaum, Vivam, Croixium, & reliquos. Ut liquet ex La-Croixio loco citato. Pro omnibus fit canticum *Moss-Tamburino*, quod ejusmodi est:

legitimæ, atque necessariæ, quæ negari nequeunt, quin novelli systematis principiis pateat ruina magna, & finis, sunt. I. Cum in laudatorum DD. quodam inveneris quamcumque opinionem ab eo traditam; liberè absque timore ullo peccandi potes eam excipere, ac sequi, etiam quandò noveris, Authores dari ipsam rejicientes tamquam repugnantem Legi Dei; quia est semper, ut dicunt, *probabilis*.

36 II. Idem agere poteris, tametsi Author, quem legisti, seu consuluisti, non eam doceat, aut non judicet veram, appellat tamen *probabilem*, sive *non improbabilem*. Atque si circa hoc non fuisti plenè persuasus à Tamburino, semel monente supra n.

19.

(a) Lect. I. n. 30.

19. in fine; dubietatem tollet ipse, qui rursus clarioribus terminis, consensuque probabilistarum securos reddit Lectores tuos, eundem sermonem dicens (a): *Cum sententiam quamquam PROBABLEM, seu, quod idem est, NON IMPROBABLEM, in his in Decalogum libris, ut & alibi, appello; illud dico, te SINE PECCATI SCRUPULO amplecti, atque IN PRAXI sequi posse. Ejusmodi locutionem communem esse BONIS DOCTORIBUS ex illo principio, quia QUI PROBABILITER AGIT, PRUDENTER SE GERIT, probè nosti. Verùm in mentem id revocare ad omnem hæsitationem removendam, operapretium fuit.*

37 III. Opus non est, quod Author, quem legisti, opinionem appellet *probabilem*, aut *probabiliolem*; sed sufficit, ut eam possis amplecti, quòd citentur Authores pro una, & altera parte. Qui si graves sint, atque pii (dotes jam omnibus communes, nec uni soli, aut alteri reperies assertas tantùm) suas opiniones reddunt *probabiles*: Et potissimum sine minimo dubio, si in tali numero aliquis citatus sit ex illis, qui pertenduntur *Classici*, & *omni exceptione majores*.

Quarè ad resolutionem ultimam cujuscumque negotii tui, potest tibi sufficere P. Croixius (cujus opus dicitur *Historia Opinionum probabilium*), vel quilibet bonus Summissa, fidelis in citationibus, e. g. Diana, Bussembaum; & eligere sententiam favorabilem genio tuo, quam videris stipitam quolibet Authore *classico*, id est, Sanchez, vel Lessio, vel Molina, vel Castropalao, aut simili.

38 IV. Theologus, seu Confessarius interrogatus de qualibet morali quæstione, potest respondere ad consulentis placitum, sive secundum unam opinionem, sive secundum alteram contrariam; cum ambæ sint *probabiles*, seu dentur pro utraque parte Authores *graves*. In hujus consecutionis admisione nulla difficultas adesse potest, utpotè apertè deducta ex Authore, omni *exceptione majori*, Sanchez scilicet, & confirmata ab aliis pariter *classicis*, & *omni exceptione majoribus*. Sic enim scribit ille (b): *Licet quoque Viros doctos posse contra propriam opinionem aliis consulere, sequendo alienam, quam PROBABLEM esse putant. Sic Vazquez, Salas,*

Say-

Sayrus. Imò & ipsis Confessariis hoc licet. Et subdit: prudenter facient quandoquè, MINUS PROBABLEM opinionem consulendo, quando PROBABILOREM difficilem fore pœnitenti, vel consilium petenti, prudenter judicaverint. Concludit autem: Quare poterunt modò juxta unam, modò juxta contrariam opinionem consulere: Quamvis melius sit, semper juxta eandem, & maxime in Scriptis (consulere), ne varii deprehendantur. Idem docent Laymannus, Tamburinus, Rhodes, Cardenas. Verbo: cuncti Probabilistæ, cohærenter loquentes ad suum systema.

39 Denique, aliis prætermisissis, ne graveris, consecutionibus, nec minus alienis: admisso Probabilismo recenti, quot sunt opiniones *probabiles*, Authores inter controversæ; tot redduntur communes, & securæ iis ipsis, qui eas impugnant, suntve moderati, vel etiam severi in electione doctrinarum, quas amplectuntur, & propugnant: ita ut nulla sit opinio quantumvis extravagantior, & absurdior, quæ (si doceatur à quocumque ex concinnatis Authore *classico*, vel à duobus, tribusve, aut quatuor *Doctis*,

atque *Piis*) haud debeat agnoscì ut *regula securo* eorum ipsorum, qui de falsitate illam arguunt, & evincunt. Ratio evidens est. Cum etenim sit in tali casu *probabilis*; ab omnibus Probabilistis judicari debet tamquam *innocens*, & *licita in praxi*, quantumvis *speculativè* ipsam abjiciant tamquam *illicitam*, & uti talem proponant in suis libris. Exemplum est recolendum *supra n. 16. in Tamburino*; qui sanam sententiam circa Judicem pronuntiat *certam*, & nihiloscilicet contrariam constituit *præticè probabilem*.

Hinc nè credas Probabilistis, qui, dum suorum Doctorum opiniones absurdæ ac scandalosæ, quas negare non possunt, objiciuntur; statim recurrunt ad alios suos, qui sanius cogitavere, ac scripsere de iisdem materiis, quorum extendunt testimonia in suis catalogis, gratulantes & ovantes, quia in suam justificationem credunt sufficientia. His *nunquam* movearis; nihil enim est aliud re ipsa, quam pulverem in ignorantium oculos projicere, atque prævincire bonam fidem parùm expertorum in principiis generalis systematis.

Istud

(a) Lib. 3. in Decal. cap. 3. §. 3. (b) Lib. 1. in Decal. c. 9. n. 19.

Istud namque communes reddit omnibus Probabilistis laxas opiniones aliorum, & illis ipsis, qui eas neutiquam adoptarunt in suis libris. Donec ii tandem non repudient *Probabilissimum*; ab hujusce admisis principiis constringuntur ad confitendum, prædictas opiniones *laxas*, & *scandalosas*, esse *probabiles*, & *tutas in conscientia*. Quilibet proinde Probabilista, etiam moderatior, atque rigidior in suis doctrinis, poterit vi sui systematis, exercere licite, ac consulere vel *laxiores*, & *perniciosiores*, quas fortunatè iudicat ipse *falsas*, aut fortè reprobatur etiam, ac execratur animo, lingua, scripto. Unde concludamus, necessum est, totam severitatem, rigoremque, quem aliquoties præfert *Probabilista*, non nisi affectatum esse, ac apparentem, atque in sola Theoria: at quoad fundamentalia & substantiam, quæ proximè concernit, omnes ad sibi similes conveniunt invicem in amplexu opinionum.

§. V.

40 CÆterùm tantam autoritatem ex-

trinsecam ipsa Probabilissimi autoritas *intrinseca* exautorat multiplici ex capite. Porro hæc sunt potissima, & capitalia Probabilissimi principia: 1. *Lex dubitationi subjecta, non est lex.* 2. *In Legibus divinis, & humanis controversis, libertatis humana possessio prævalet.* Quis crediderit? En RR. Probabilistarum Principis verba, *Terilli* inquam, qui ut novo stabilimento succurreret Probabilissimo cadenti, commentus est paradoxa incredibilia, & inter alia illud *Legis reflexæ*, absurdarum & monstruosarum fontem consequentiarum, de quibus asserere non dubitavit *Camargus*, esse idem, ac *monstra quæque deglutire, ne umquam evomatur Probabilissimus*: qui certè, si non aliter potest subsistere, ut *Terillus existimat* (ac rectissime), nimis ipsum amaverit necesse est, qui non ab eo cum horrore discedat.

En, inquam, *Terilli* verba (a): *nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur: At quoties rationes adsunt PROBABILITER arguentes, PARTEM MINUS TUTAM ESSE LICITAM, impossibile est, legem præcipientem partem TUTIOREM, esse sufficienter pro-*

promulgatam. Ergo impossibile est, illam legem obligare quemquam, quamdiu PROBABLE EST, partem oppositam non esse prohibitam. Rursus: *Evidens est, voluntatem esse sui juris.* Ratione hujus domini, voluntas ex naturali suæ conditionis excellentia est in plenissima possessione domini.... ergo donec pari certitudine constet, Legem aliquam, restringentem dominium naturale, ejusque usum existere, non tenetur homo talem legem admittere. Ecce regula illa juris, in dubio MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, non solum ad equalitatem, sed CUM MANIFESTO EXCESSU potiore locum tenet in voluntate relatè ad omnem materiam.... Atque hinc efficacissimè confirmatur ratio quarta, in qua diximus, LEGEM DUBIAM NON OBLIGARE: Hoc enim multò magis valet, quando dubitans est in possessione suæ libertatis, quia melior est conditio possidentis. Vides *Terillum* superantem omnes Theologos in extenuandis Legibus.

41 Audi modò ipsum, nullius esse in re morali autoritatis Authores eos, qui student Legis obligationem extenuare, & diminuere, sic evincentem (a): *Ad hanc clas-*

sem accedunt ii, qui nescio quare de causa inducti, toti in eo laborant, ut rationes inveniant AD OBLIGATIONES AUT TOLLENDAS, AUT MINUENDAS. *Hi enim cum debita animi dispositione ad veritatem investigandam non accedunt; quia ex industria in omnibus latissimam viam inire conantur: atque dum laxiorem viam sua autoritate conantur stabilire, sibi met ipsis obstant; illudque quod prætendunt, non modò non assequuntur, sed illi obsistendo, potius obicem ponunt.* Efficiunt enim, ut ex sua IPSORUM AUTHORITATE, NULLA *probabilitatis* ACCESSIO PARTI, CUI FAVENT, ACCEDAT, cum ansam dent præsumptionibus, quòd ob affectum in unam partem indebitè propensum, in suis discursibus non (ut virum prudentem decet) conclusionem elicerint, rationesque pro parte opposita, ut decet, examinaverint. Atque ita fit, ut apud sinceros rerum aestimatores PROPRIA EORUM AUTHORITAS VILESCAT quodque in omni deliberatione, quam inordinatus affectus regulat, UT MORIS EST, evenit, ut medium, quod autoritati acquirendæ opportunum credebant, EIDEM AUT PERDENDÆ, AUT DIMINUENDÆ CAUSAM PRÆBEANT. Quocirca si

(a) Tract. de Conf. q. 23. n. 14. & 46. ac q. 26.

(a) Ibi, quæst. 6. n. 44.

tales Viri aliquid singulare afferant, maximè verò contra sententiam, aut sensum communem, non illicò cenferi poterit CERTÒ PROBABILE. Si verò aliquid cum aliis adfirment, id eum quidem gradum PROBABILITATIS habebit, quem à priorum asserentium auctoritate habuerat; sed ab illius auctoritate PROBABILITAS ILLA VIX ULLUM INCREMENTUM ACCIPIET, nisi fortè pro casu raro, quo arctiorem sententiam amplecteretur, aut aliunde constaret, eum nulla passione vehementi impeditum, suam sententiam protulisse. Neque verò EX MODERNIS CASUUM SCRIPTORIBUS, ET COLLECTORIBUS DESUNT ALIQUI, quibus hæc nota inuri posse videtur, ut ex eorum libris, & modo discurrendi, ac procedendi apparet: qui proinde parvam suis di&is auctoritatem conciliant. Novi etiam ingeniosos Theologiæ Magistros, qui sibi laudi vertebant, AD LAXIOREM in rebus moralibus SENTENTIAM propendere, eamque defendere. Terillum ergo juxta Terillum ipsum nullius auctoritatis erit in hac Probabilissimi causa. Nullius quoque erunt auctoritatis cæteri anteambulationem secuti, præsertim Viva, & La Croix, ipsi adeò addi-

ti, ut Lectores suos quasi ad Joseph mittant ad Terillum ceu Magistrum antesignanum.

42 Accedit. Præmiserat Terillus hæc (a): Innumerabiles sunt, qui à triginta annis Summis Casuum, rerumque moralium tractatibus Bibliothecas impleverunt. Cum enim plus æquo fama vanaque de sua doctirina existimationis essent cupidi, ad nova promenda animosiores effecti, in opiniones LAXIORES oculos conjecerunt. Ex laxis resolutionibus ad alias laxiores, & aliis, & sibi præcipitium aperuerunt. Nec desuere, qui laudi sibi verterent, LAXIORES SENTENTIAS in unum colligere. Imò incredibile non est, eos subtili Satanae insinuatione deceptos. Hac arte dolosus inimicus, postquam DOCTIORES, prægustato plausu amplioris fama, per LAXARUM OPINIONUM evulgationem sibi certò acquirenda, fascinasset, per eos in campo Moralis Theologiæ detestanda LAXITATIS zizania superfeminavit. Igitur secundum Terillum, innumerabiles Theologi Recentiores ab anno circiter 1630. ad annum usque 1660. in campo Moralis Theologiæ laxarum opinionum zizania seminant, & scandala laxitatis

ris multiplicarunt, amplificandæ famæ prægustato plausu, & Satanae insinuatione decepti, ut apud indoctum vulgus plausum vanæ existimationis, & popularis auræ sibi compararent. Quod summopere perpendendum est. Namque posteriores Probabilistæ, auctoritate præcedentium scripserunt: unde illos se secutos esse gloriantur. Si ergo illi aberrarunt à via veritatis, & Affectæ aberraverint, oportet.

43 Porro præfatos innumerabiles Theologos, omnes esse Probabilistas, verbis pariter ejusdem Terilli evincitur. Inquit (a) equidem: Certum enim est, omnes omnino Doctores totius Ecclesiæ, præter unum COMMITTULUM, qui in re ab aliis non discrepat, jam à centum & amplius annis in terminis expressis tradidisse BENIGNAM SENTENTIAM. Evidens est igitur, hac clausulâ, Omnes Doctores totius Ecclesiæ, includi innumerabiles illos, qui ab anno 1577. ad annum usque 1660. scripserunt in re morali. Istorum autem innumerabiles fuerunt, juxta Terillum, spiritu Satanae decepti: juxta ipsum ergo Probabilissimus

magna ex parte à Satana proficiuntur.


Dehinc: Facti veritas est manifestissima, omnes ad unum Theologos Probabilistas, qui usque ad sua tempora scripsere, suo inferuisse Terillum elencho Authorum, formato ab eodem, quos ut Defensores Probabilissimi citat. Si quem casu omisit, id evenit, quòd illius mentem fugerit. Adhæc: juxta Terillum dolosus inimicus Doctiores dementavit. Quis dixerit, Terillum Doctiores Probabilistarum suo non inferuisse elencho? Semidocti, & vulgares Casuistæ, seu Summularum affectæ, Doctiores sunt: ergo hi ab illis, & illi à Satana, Terillo teste, decepti sunt.

Urgentiùs adhuc: Doctiores, qui Probabilissimum amplificarunt, quique Laxiores, & Scandali plenas opiniones docuerunt, sunt Caramuel, in apologia damnatus; Pasqualigus, in pluribus prohibitus; Joannes Sanchez, prohibitus; Marcus Vidal, prohibitus; Diana, Tamburinus, Baunius, Leander, Escobarus, Castropalaus, alique similes. Terillus istos Autores magni facit, exultat, & ut Ma-

(a) In prol. ad tract. de Consc.

(a) Cit. tract. quæst. 223.

giftros laudat. Oro nunc Probabilistas, ut designent nobis Doctores inter ipsos *Doctiores*, qui prælaudatis laxiùs scripserint? Si cum ipsis de palma *Leander* contendere potest, jure sibi vindicare nequit. *Terillus* ipse in citato Prologo luget: *Viros magni, sed effraenis ingenii fractis severa, justaeque moderationis habentis, ad laxè opinandum quasi calcaribus adaetos, precipitanter cucurrisse, & adhuc currere.* Et testatur: *Mirum est, quo ardore ad scripta sua typis mandanda incubuerint.* Ergo *Terillo* Judice, nullius omninò sunt auctoritatis Doctores, quos citant *Terillus, Arsdèkin, La-Croix, Viva,* & alii. Siquidem *Doctiores* decepti fuerunt, juxta *Terillum*, Satanæ insinuatione, & mündanæ famæ plausu. Vulgares verò *Casuiста*, ut oves, & aves secuti sunt *Doctiores* inter illos. Omnes itaque Probabilistæ delendi sunt ab elencho Authorum, quos obtrudunt *Terillus, Arsdèkin, La-Croix,* cæterique Probabilistæ.



ARTICULUS IV.

Probabilismi reflexivus.

§. I.

44 **C**onvenit inter Probabilistas, certitudinem moralem judicii vel dictaminis *præctici* honestatis actionis, requisitam indispensabiliter ad licitè operandum, & absque reatu culpæ, non haberi ab operante juxta opinionem probabilem in conspectu contrariæ, sive magis, sive æquè probabilis, ex principiis *directis*, quæ sunt rationes, auctoritas, aut particularia motiva, attinguntque veritatem illius opinionis; sed ex solis principiis *reflexis*. Atque re ipsa in hac ingenua confessione unisonent Probabilistæ omnes, necessarium est: nam si momenta, quæ probant veritatem opinionis, sunt *probabilia & incerta*; in certitudinem inducant à se ipsis, impossibile est, intellectum agentis; cum valeat nunquam antecedens incertum, certam derivare conclusionem. Quare sub principiorum reflexorum præsidium confugiant, opus est, tamquam firmissimum & immobile; cum aliud non re-

lin-

linquatur, ex quo in dictamen; vel judicium operantis refundatur certitudo, aut speculativa, aut practica; adeoque dubium, quod in eo remanet, non modò *speculativum* est, sed etiam *præcticum*, quòcum agendo, semper peccatur. Sic ergo suum conficiunt argumentum: *Cuiuslibet licitum est sequi, atque ad præxim deducere opinionem benignam certò probabilem, etiam in concursu opposita æquè, aut magis probabilis, & tuta; sed hæc opinio benigna est certò probabilis: eam ergo amplecti, & exercere licet, etiam in conflictu contrariæ æquè, seu magis probabilis, & tuta.*

45 Conclusio hujus syllogismi est dictamen *præcticum* Probabilistæ; quod ut sit *certum*, mendicare debet suam certitudinem à præmissis, præsertim à propositione majori; non enim est in præsentia falsitas minoris evincenda, quæ alibi sæpè ostendetur. Majorem itaque, proclamant *Probabilistæ*, esse certissimam, quia nititur *principiis reflexis* certis, solidis, inalterabilibus, quæ sunt quatuor, jam indigitatis. Primum, & præcipuum: *Ubi probabile sit dubium unius & alterius partis circa existentiam*

cujuslibet legis, hæc non est sufficienter promulgata, proindeque non est lex, quæ obliget. Secundum: *Quum post præmissam diligentiam debitam, non apparet clarè lex, sed pars altera & altera remanet probabilis, ignorantia legis est invincibilis, & à peccato excusat.* Tertium fulcitur regulâ illa civili: *In dubiis melior est conditio possidentis, id est, inter binas opiniones probabiles, libertas hominis est in possessione agendi, quod sibi plus placet.* Quartum denique decantatum illud est: *Qui probabiliter agit, prudenter agit, ideòque non peccat.* Ad demonstrandam itaque systematicis probabilistici vanitatem, nihil desideratur aliud, quàm horum principiorum vanitatem ostendere; & quidem ad hunc effectum nobis non sunt necessaria momenta præsertim certa (quæ tamen re ipsa erunt hujusmodi), sed sufficienti vel probabilia; cum nequeat consistere certitudo unius partis, quando in contraria alterâ adest probabilitas.

46 Porrò Probabilistæ, *imprimis* adhuc non demonstrant clarè atque certò, nec poterunt unquam, momenta omnia rationibus, principiis, doctrinis, & definitionibus

C3

Ec.

Ecclesiæ fulcra, quibus suum systema, principiis reflexis innixum, expugnatur, esse frivola, inepta, absque vi, seu vigore, aut probabilitate; imò di cretis, ac ingenuis non apparere saltem probabilia, quis crediderit? Hoc itaque unum sufficit, ut suo systemati deficiat certitudo requisita, ut ad praxim possit deduci, quin exponatur quisque periculo probabili peccandi, atque actuali peccato; quandoquidem nequit dari in una parte certitudo, & simul probabilitas in parte contradictoria.

Deinde, rectus modus formandi conscientiam, debet esse sapientibus & insipientibus notus documentò naturæ, plurius testante P. Bovio celebri Probabilista (a). Interrogetur ipsa quivis Idiora, nùm naturæ documentò resciverit aliquando, dubia sua resolvere prædictis principiis reflexis; & unusquisque respondebit decretoriè, neque si principia reflexa sunt audivimus unquam, nisi fortè ab aliquo Probabilista moderno. Communitati ergo hominum, aliundè instruendorum ab ipsa natura, cum non sint perfecta; necessaria est consequentia, il-

lis non modò non convenire certitudinem eam, qua gaudere debuissent ad regulandum *judicium practicum* conscientiæ, sed nec ullam veram, solidamque probabilitatem.

47 *Urgetur*: principia reflexa, unde astringitur certitudo Probabilismi, ferè per sæcula sexdecim, satis fuere ignota omnibus Sapientibus, & Theologis, sicque toti Ecclesiæ à nativitate sua ad probabilissimi introductionem usque in mundum. Legitote SS. Patrum libros, & omnium Scriptorum, qui tractu temporis adeò longiori floruerunt, & apertè videbitis, nullum inveniri in his vestigium illorum, atque in dubiis exortis, vel controversis quæstionibus, non ad reflexum principium alterum confugere, attendereque, quàm ad illud, quod frequenter legimus in Sacris Canonibus, quodque in veritate dici debet, documentò naturæ notum doctis & indoctis: *in dubiis tutior pars est eligenda*. Si verò principia reflexa à Probabilistis excogitata, fuissent, non dicam ita certa ut ab eis prædicantur, sed tantùm probabilia; impossibile esset, numquam in cor hominis alicujus

sal-

saltem ex antiquis ascendisse, sicque qualemcumque non fecisse aliquando usum, vel mentionem. Inferamus igitur opus est, quòd illis non competit ne solida quidem probabilitas, minùsque certitudo necessaria ad constituendum Probabilismum regulam conscientiæ.

48 *Præterea*: est doctrina communiter à Probabilistis admittita, quam hæc verbis P. La Croix (a) tradit: *Opiniones, quas aliqui negant, alii affirmant, esse certò probabiles; non sunt certò probabiles, sed... probabiliter probabiles*. Atqui Antiprobabilistæ illorum principiorum certitudinem negant, atque adeò etiam solidam probabilitatem; utramque verò affirmant uni Probabilistæ: Nec ergo sunt moraliter certa, nec certò probabilia, sed ad summum probabiliter certa, & probabiliter probabilia. Aliundè, indubitatum est apud omnes, neque probabilem probabilitatem, neque vel probabilem certitudinem sufficere, ut moraliter certum sit ultimum conscientiæ dictamen: Probabilistarum igitur reflexa principia securum non reddunt operantem de actionis honestate.

Insuper: Probabilistæ asse-

runt, v.g. quòd supposita certitudine licitudinis probabilissimi propter rationes, auctoritatemque, quibus fulcitur systema istud; si aliqua sententia probabilis, esset aliquando falsa coram Deo, ignorantia invincibilis excusabit à peccato formali: ergo in circuitu ambulans vitioso, petitione principii, & fallacibus suppositionibus, ut proponant, & evincant certitudinem suorum principiorum reflexorum: probando scilicet, *Probabilissimum esse certum ob certitudinem principii reflexi, v. g. ignorantie invincibilis*; atque probando certitudinem ignorantie invincibilis ex certitudine Probabilismi.

Denique: Citatus P. La Croixius (b) dictamen Probabilistarum reflexum ita declarat: *Judicium reflexum sic dicit: QUAMVIS SIT, ET MANEAT TANTUM PROBABLE, QUOD PINGERE DIE FESTO SIT ILLICITUM; TAMEN QUIA EST ETIAM PROBABLE ESSE LICITUM, lex prohibens PINGERE, NON EST CERTA, NEC NOBIS SATIS PROMULGATA. Hinc eam invincibiliter ignoro; & ideo contra eam certò possidet libertas mea, &c. ergo hic & nunc prudenter judico, mihi*

C 4

li-

(a) In suo lib. dell' usi delle opinioni, apud Patuzzium tom. I. pag. 122.

(a) P. I. n. 125. (b) Ibidem n. 312.

licere pingere. Quibus palam facit apertam dependentiam trium posteriorum principiorum à priori, hausto ex *incertitudine Legis*, sine quo non consistunt. Sed in præceptis corruunt in terram, ob connexionem necessariam cum eo. Qua de causa in illius confutatione potius, oportet nos manere.

§. II.

49 **F**undamentale itaque principium illud sic proponit *P. Terillus*; qui ejusmodi principii primus Inventor jure audit, tametsi *Caramuelis* prius fuerit accentus, & anima vocis. *Nulla lex*, inquit (a), *obligat, nisi sufficienter promulgetur: at quoties adsunt rationes probabiliter fundantes, partem minus tutam esse licitam, lex præcipiens partem tutiorem, non est sufficienter promulgata: ergo illa lex neminem obligat, quando certò probabile est, partem minus tutam non esse prohibitam.*

50 Sanè si fiat fermo de lege naturæ, quæ primaria est, majoremque continet partem materiarum, honestatem con-

cernentium humanarum actionum; infallibile prorsus est, hanc fuisse à Deo sufficienter promulgatam, atque stare in judiciis illis practicis, seu primis notionibus boni & mali, animo nostro infortis, quarumque consecutiones immediatæ in præceptis Decalogi, quæ innumeras complectuntur alteras, fuerunt declaratæ. Si autem de legibus positivis divinis; hæ sufficienter promulgatæ fuerunt in veteri, ac novo Testamento. Et idem, servata proportione, debet dici de legibus positivis Ecclesiasticis, & Civilibus; adeò ut casus erit rarissimus; in quo circa leges istas generatim spectatas controversatur, sitne dubia lex, aut sufficienter promulgata. Dubia igitur, quæ insurgunt, & quæstiones, quæ agitantur inter Theologos cum opinionum diversitate, non spectant existentiam vel non existentiam legum, quæ potius supponuntur tamquam certæ; sed casus particulares, qui possunt, necne contineri lege generali: si hic contractus v. g. sit à lege usuram vetante prohibitus, si hæc vel illa actio sit comprehensa à lege, Simoniam in-

ter-

terdicente, atque similes. Dum ergo Probabilistæ suum expendant principium, nec debent, nec dicere queunt: *Lex non est sufficienter promulgata: lex dubia non est lex*, quia suppositio est evidenter falsa; sed potius illud offerant oportet hoc pacto: *Ubi sunt opiniones probabiles hinc & inde, AN LEX EXTENDATUR AD PRÆCIPUENDAM, VEL PROHIBENDAM HANC SEU ILLAM OPERATIONEM; lex certò non extenditur.* Statimque tunc videbunt falsitatem, summamque frigiditatem sui decantati principii capitalis. Quandoquidem ex illarum opinionum probabilium varietate, concludi dumtaxat valet, dubiam rem esse, *nùm casus sit sub lege generali?* cumque maneat res dubia, stat super pedes suos difficultas, an in dubio probabilis, possit homo amplecti partem faventem proprio genio; vel pro lege Dei sui certantem, & contradicentem?

51 *Si dicas*: quamvis lex existat, sitque promulgata, quantum est necessarium atque sufficiens, stantibus opinionibus utrinque probabilibus; deest tamen illi omnino ea promulgatio, & notitia particularis, quæ requiri-

tur, ut vim habeat obligandi; cum nequeat ligare ignorantem: convenit enim inter Catholicos, haud peccari contra legem veram in se, at invincibiliter ignoratam. Si, *inquam*, id dicas, jam magnum principium *legis incerta* resolvit in alterum *ignorantia invincibilis* circulò vitioso, quo ex altero alterum probas, & ex hoc rursus illud.

52 *Insistes fortè*: lex in dubio probabilis est incerta; lex incerta obligationem certam inducere nequit: tum ergo nulla est obediendi legi. Sed fallacia hæc multipliciter apparet visibilis. *Imprimis*, non alio in sensu adfirmari potest lex incerta in dubio probabilis, quam quia contrariarum opinionum causâ non noscitur certò, an lex extendatur ad talem casum, sed tantum habetur de hoc solida probabilitas. Verùm id est appositè, quod in controversia est, *an quando sunt momenta solida ad asserendam legis extensionem huic, vel illi casui* (quemadmodum sunt certò, quoties opinio sit seu æquæ, seu magis probabilis) *procedat debitum amplectendi partem TUTAM, VEL NON TUTA POSSIT LICITE SEQUI? Unde ratiocinium*

(a) P. 1. quæst. 2. n. 45.

nium non est, nisi petitio principii, sive suppositio ejus, quod controversitur.

53 Deinde, quis non viderit novellum modum arguendi, prorsus alienum: *lex est incerta, ergo non potest inducere obligationem certam*; & hinc infertur postea, quod certo licitum sit id, quod est incertum, sitne licitum. Numquid consequentia istæ est legitima illius antecedentis? Si lex, aut potius obligatio est incerta, non aliud inde valet deduci, nisi quod actio non sit certo prohibita, vel illicita, non verò jam, quod neque sit prohibita, & illicita probabiliter. Hoc autem fat est, ut non possit licite mandari executioni, non quidem vi legis, quæ est incerta, sed illius principii virtute, certissimi apud Probabilitas ipsos: *ad licite operandum, est necessarium judicium certum honestatis operationis*: quod numquam efformari potest, quandiu probabiliter judicatur, dari legem, sive obligationem. Hanc consequentiam ingenuè confessus est Recentior Probabilista (a), his conceptis verbis: *Et si*

quidem non detur certa obligatio ab eadem actione abstinendi, inducta vi illius dumtaxat legis directæ, & antecedentis, que ponitur incerta; datur tamen obligatio ipsi (operanti) certa vi alterius legis reflexæ, & consequentis, ejus scilicet, qua prohibemur agere sine dictamine ultimo saltem moraliter certo de honestate, vel licentia actionis, ut hic & nunc ponenda.

54 Postremò: Ubi sunt rationes sensatæ, ac probabiles pro utraque parte adfirmante atque negante, abs dubio est verum dubium positivum existatne, vel non existat obligatio legis? debet ergo locum obtinere reflexum illud principium certissimum, ab Authore naturæ signatum super nos, atque cui tot in locis Sacrorum Canonum magna est autoritas, *in dubio tutior pars est eligenda*: principium reflexum, quod inducit in veram obligationem: principium, agnitum ab omnibus etiam ignorantioribus: principium, constanter habitum tamquam firmissimum ab antiquis Theologis: quodque negari haud potuit à celeberr-

ri-

(a) P. Rafter in *norma Recti* disp. 3. q. 10. art. 4. n. 1041. apud Patuzzium tom. 1. p. 236. n. 19.

rîmo Probabilista; quin potius eò confutat vanos RR. Probabilistarum conatus, comprobaturque unisono veterum Doctorum testimonio. Quis est hic, & laudabimus eum? Scitote, quoniam ipse est P. Vazquez, ita scribens (a): *Sequitur, manifestè decipi eos, qui putant, eum qui dubitat, AN LEX ALIQUA LATA FUERIT, ET PROMULGATA in Curia? Ea lege non teneri, eò quod ipsi NON SATIS PROMULGATA CENSEANTUR. Falluntur igitur primò IN DOCTRINA IPSA: siquidem IN DUBIIS TUTIOR PARS EST ELIGENDA.... Deinde IN RATIONE decepti sunt, eò quod, ut ex dictis constat, aliud est PROMULGATIO, aliud autem est NOTITIA legis. Et quamvis is, qui dubitat de lege, non haberet NOTITIAM SUFFICIENTEM legis, ut eà teneretur; tamen non potest dici carere SUFFICIENTI PROMULGATIONE legis, si re vera in Curia promulgata fuisset, sed NOTITIÀ SUFFICIENTI illius. Verum, ut diximus, EA DUBITATIO SATIS EST, UT RATIONE EJUS TUTIOREM PARTEM sequi debeat, sicut loco citato ostendimus. Et loco à Vazquezio laudato inter alia habet hæc (b): *Ego verò non solum existimo,**

ABSQUE CONTROVERSIA ESSE DEBERE, quoties dubitatur, UTRUM SIT LEX ALIQUA, VEL NON, & solum agitur de periculo peccandi, ELIGENDAM ESSE PARTEM TUTIOREM, in qua peccatum esse non possit; sed etiam quando dubium est, utrum votum fuerit emissum, an non. Et sane (bene nota, & signa) in priori casu, quando dubium est, utrum lex lata fuerit, seu extet, an non; nullum hætenus in Scholasticis scriptoribus inveni, qui oppositum asserat. En Caput Probabilistarum contractum, non habens eam certitudinem affixam, & necessariam ad stabilimentum ruinosi systematis, sed minùs habens, ne unum quidem solidæ probabilitatis gradum: adeoque demonstratum à famoso Probabilista mera illusio, error manifestus, & uti talis improbatum illi, seseque præcedentibus Theologis omnibus: nullum hætenus inveni, qui oppositum asserat.

§. III.

55 Hinc liquet, reliqua tria principia reflexa, esse ædificata super arenam. Et quidem ad secundum quod attinet de ig-

no-

(a) In 1. 2. disp. 156. cap. 2. num. 8. (b) Disp. 65. q. 19. art. 6.

norantia invincibili, potuit umquam audiri, & incredibilius paradoxon istò: *agnosco*, ESSE PROBABILIVS, QUÒD EGO LEGEM TRANSGREDIOR, QUÆ MIHI VETAT USURAM v. g. ET OMNIMODÈ IGNORO *invincibiliter legem?* Aliquandò vifa, vel lecta est in cunctis libris SS. Patrum, veterumque Doctorum ejuscemodi ignorantia *invincibilis* species, quæ à vero peccato liberat? Nonnè ignorantia significat *privationem cognitionis*? At unde privatio cognitionis præstò est scienti, atque cognoscenti, *verisimilius* dari legem, quæ contractum prohibet tamquam usurarium? Porro iste non habet scientiam vel certitudinem existentia legis, nihilo seciùs habet adhuc solidam, & etiam majorem probabilitatem è regione alterius opinionis. Et hæc solida, majorque probabilitas, si non est cognitio *scientifica*, & *certa*; nonnè cognitio est *probabilis*, atque *probabilior* existentia legis? Et tali cum cognitione componi quomodò valet ignorantia, quæ cognitionis est privatio? Cæcutiens homo, qui noscit, esse verosimilius, hanc viam ducere in foveam, dicitur ignorans *invincibiliter*

suum periculum, quia non agnoscit *cum certitudine*, aut non videt *claro lumine* foveam?

Utriquè dari potest *invincibilis* ignorantia *Mysteriorum* nostræ fidei, & idcirco admittitur infidelitas negativa, excusans à peccato. At quando hæc? numquid quando habeatur opinio etiam probabilior falsitatis sectæ propriæ, & veritatis nostrorum *Mysteriorum*? Certè nequaquam, ut ab Ecclesia Matre sumus edocti per *Innocentium XI.* prop. 4. Si ergo non est *invincibilis* ignorantia, quæ infidelem excuset à peccato in casu opinionis probabilis; consequutio necessaria est, ejuscemodi ignorantiam neque dari etiam in qualibet materia altera, quando agnoscatur vel æquè, vel etiam magis probabilis falsitas opinionis, quam sequi vellet. Hoc itaque principium reflexum, cui sese fidunt hodierni Probabilistæ, non esse videtur aliud, quam doctrina proscripita, & ideò *improbabilis*, & *falsa*.

56 Non tamen acquiescunt, *instant enim*: non tene-mur credere dogma, quod non agnoscimus certò revelatum à Deo, nec ab autoritate Ecclesie propositum evidenter:

er-

ergo neque servare legem, quam à Deo vel Ecclesia imponi, non agnoscimus certò. Caterùm responderetur facilè. *Imprimis*, æquivocationem antecedentis explanando. Vel enim *ly credere* veritatem inter Doctores controversam, significat assensum *fidei Theologica*, ac *supernaturalis*, vel *fidei naturalis*, & *humanae*. Si primum, est antecedens verum; dubià siquidem divina revelatione, impossibile est, ita credi, spectata potissimum Propositione .21. ab eodem *Innocentio XI.* proscripita. Unde in vanum requireretur ea firmitas & certitudo Legis, ut quisque teneatur ad propriarum actionum exercitium, quæ necessariò habenda est de revelatione ad assensum fidei supernaturalis, ac divinæ. Propterea de hac fide, aut credulitate loqui non possunt Probabilistæ; quare tantum relinquitur, quòd voce illa *credere*, velint unice significare fidem, seu credulitatem humanam, atque naturalem. Hoc itaque supposito, paritas objecta potest, proportionè servata, vindicare sibi locum inter veritates ad fidem pertinentes, & eas, quæ ad mores?

57 Explicatur amplius. De pluribus controvertitur sententiis inter Theologos, *utrùm sint clarè in sacra Scriptura expressæ*, ac *Traditione*, vel *ab Ecclesia definite*? Supponamus igitur, Theologum, examinatis diligenter, atque discussis talium opinionum fundamentis, unamquamque judicare esse *probabilius* revelatam à Deo; non poterit quidem illam credere assensu supernaturalis fidei, & theologice, quia illi deficit certitudo ad id necessaria: At tenebitur illam adhuc credere fide naturali, humanaque, modò quo credit alias veritates cognitatas eodem modo: Quapropter contra rationem & debitum suum operabitur, si contradiceret, impugnaret eam, aut contrariam doceret sententiam. Quis poterit dubitare?

Sicut ergo reapsè nemo excusabit à gravi peccato dicentem: *Ego verè arbitror, esse probabile, imò probabilius, talem veritatem esse revelatam à Deo; non eam tamen credo, sed absolute falsam reputo*: nam iste dicturus virtualiter erit, rem illam, quantumvis à Deo revelatam, esse falsam. Ita similiter excusari nequit à peccato, qui dicat;

ut-

verè credo probabile, ac vel probabilius, talem contractum esse à Deo prohibitum: nihilofecius volo facere; clarum cum sit, hunc dicere virtualiter: quamvis sit à Deo prohibitum, facere volo. Producta itaque paritas non juvat, sed potius debellat Probabilissimum.

58 Est *insuper* multiplex disparitas. 1. Quia circa quaestiones de mysterio fidei inter Theologos controversas, est apud omnes principium indubitatum, atque certum, nullam sententiam fidem spectare, aut esse obligationem eam credendi tamquam de fide communiter, nisi Ecclesia ipsam definiat, vel proponat tamquam à Deo revelatam. Cæterum nequit ullatenus dici, esse præiatum etiam principium certum respectu veritatum moralium; sed potius, quod nulla sententia pertineat ad morum regulam, si non est definita, & uti talis proposita ab Ecclesia. Sic *Alexander VII.* proscripsit Propositionem 27. Et *Innocentius XI.* in suo Decreto declarat ab initio, non intendere *per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque*

parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.

2. Quia si tanta exigatur certitudo, ut aliqua sententia sit regula morum, quanta est necessaria, ut sit dogma fidei; omnis qualiscumque opinio moralis, tametsi ea laxa sit, atque laxissima, si gaudeat quacumque tenui probabilitate apud Theologos, poterit esse tuta regula actionis, & ad praxim deduci absque ullo peccati timore: nam si est qualiscumque tenuis probabilitas, non est certitudo falsitatis ejus, quemadmodum haberi debuisset, si consistat paritas mysteriorum. Quod expressè damnatum est à laudato *Innocentio XI.* Prop. 3. De hoc, & aliis absurdis consequentibus videndus omnino *Erasmus (a).*

§. IV.

59 **F**ALsitas & improbabilitas tertiū principii, *melior est conditio possidentis*, in sensu, quo assumitur à Probabilistis, apparet manifesta. *Primum*, quia dependet ab incertitudine legis: quod principium ostendimus falsissimum. *Secundò*, quia ip-

fos

fos inter Probabilistas est sub lite, an locum obtineat extra materiam Justitiæ commutativæ, ut legere est apud *P. La-Croix (a)*. Præterquamquod omnes Antiprobabilistæ illud limitant ad illam materiam solam.

Tertiò, quia etiamsi teneret in omnibus materiis, valere potius deberet in favorem legis, quàm humanæ libertatis: nam casus controversi & dubii, ut observavimus, non versantur circa legem, quæ supponitur existere, saltem generaliter, ac regulariter; sed circa particulares casus, de quibus quaeritur cum opinionum diversitate, num contineantur lege? Hæc propterea esset semper in possessione respectu voluntatis humanæ.

Quartò, quia licet lex particularis hoc vel in illo casu esset incerta & dubia, non idcirco homini relinqueretur *moralis libertas* faciendi, quod sibi placet, alterius causâ generalis legis reflexæ, ab ipsa edoctæ natura, quod nempe *In dubiis tutior pars sit eligenda*: Lex sanè anterior, & quæ prævalet cuicumque libertatis præsentis possessioni. Nonne inter Probabilistas convenit,

regulam istam obligare sub peccato in dubio *practico*? Ecur non in *speculativo*, in quo lex directâ aequè incerta est, ac in *practico*?

Quintò, quia quoties assumitur possessio libertatis, posita incertitudine legis ob probabilitatem opinionum; quid re ipsa est aliud, quàm supponere, cuilibet licere sequi sententiam etiam minùs probabilem in concursu probabilioris, & tutæ? Hoc autem ipsum est, quod inquiritur, & controvertitur nos inter, atque Probabilistis; adeoque mera *petitio principii*.

Tandem, quia *P. Rafter (b)* supra laudatus, præbuit se ipsum Probabilistam modernum; & tamen post serium, accuratumque examen, in multis argumentis loquens de vanitate præfati principii, animum vertit ad circulum vitiosum, à Probabilistis commissum.

60 Postremum denique principium de *prudencia operantis probabiliter*, prudentiæ ipsi contradicit, cujus ratio formalis, & objectum est verum determinatum ad bonum morale; ac cujus officium est perficere intellectum, voluntatemque dirigere in electione

bo-

(*) Lett. 10. tom. 1. à pag. 410.

(a) Num. 502. (b) Disp. 3. q. 10. a. 4. n. 1024. & seq.

boni. Quippè quæ umquam prudentia suppeditare valet electionem assensus, per quem vel est magis, vel æquè verisimile, quod intellectus non ratiocinetur veritatem, sed potius errorem incurrat? Quæ prudentia potest suggerere medii electionem, quod non reputatur idoneum ad finem, quem intellectus respicit, & intendit, vel sic est plùs aptum ad impediendum acquilitum? Evidens igitur est, viam Probabilistæ omnibus prudentiæ legibus refragari.

Porrò si consulatur *Aristoteles*, interrogeturque, quid sit prudentia; respondebit (a): *Esse habitum agendi vera cum ratione circa ea, quæ sunt bona homini, atque mala.* At quomodò vera ratione poterit prudentia umquam subicere homini cognoscenti, *sententiam tutiorem esse apertè verisimiliorem*, quod res sit bona, & virtuti conformis, præferre huic oppositam minùs tutam, quæ manifestò apparet minùs verisimilis? Certè esset *prudentia carnis*, quæ, ut ait *Apostolus*, *mors est, & inimica Deo*, quia Dei amicitiam postponit bono temporali.

Si rursùs inquiramus officium prudentiæ, respondebit *D. Thomas* (b): *Ad prudentiam præcipuè pertinet rectè ordinare aliquem in finem: quod quidem rectè non fit, nisi & finis bonus sit, & id, quod ordinatur ad finem, sit etiam bonum, & conveniens fini.* Unde prudentia supponit rectum appetitum finis, suumque munus est ordinare media ad consecutionem illius finis. Et iterùm *Philosophus* dicit (c), quod *bonitas intellectus practici* (id est, veritas, cum hæc una sit finis intellectus) *est verum conforme appetitui recto.* Ubi loquitur *Aristoteles*, sicut eum exponit *D. Angelicus* (d), de intellectu practico, quatenus est *consilium*, & ratiocinatur iis de rebus, quæ ordinari ad finem possunt, quia hòc pacto perficitur à prudentia. Aliunde in illis rebus, quæ ad finem ordinantur, rectitudo rationis stat in conformitate cum appetitu debiti finis.

A qua itaque intentione, *quæso*, potest oriri electio opinionis minùs tutæ in conspectu tutoris, & apertè probabilioris? Ac quem finem inten-

tendit, qui opinionem minùs probabilem anteponit opinioni probabiliori cum evidenti periculo violandi legem divinam? Profectò hæc electio non potest nasci ex charitate, quæ omnium virtutum primum mobile est, neque similiter ex intentione cujuscunque alterius virtutis peculiaris, quia recto appetitui, & honestæ intentioni alicujus virtutis conforme nequit esse, periculo proximo, quod imminet, transgrediendi legem Dei, exponi voluntariè: sicut quod *Medicus* eligat medicinam minùs aptam ad sanationem infirmi, non potest provenire à pressura & intentione curandi eum, sed ab altero quolibet fine particulari, cujus causâ curam illius habeat parvam. Aliud ergo similis huic haud poterit respondere, quando velit exactè veritatem fateri expressè, nisi quod eligit opinionem minùs tutam, quamvis eam agnoscat minùs probabilem, quia hoc conformatur appetitui aut desiderio cujusque beni temporalis, quod intendit acquirere, sive sit à lege prohibitum, sive non sit. Hoc autem videtur appositè

carnalis ea prudentia, *quæ est inimica Deo*, hoc uno discrimine, quòd illa est inimica declarata, & aperta, hæc verò cooperta specioso Probabilismi pallio. Et si hæc est hujusmodi, poterit umquam Dominus retribuere modo isti frugali operandi vitam æternam, ut prætendunt Probabilistæ? Ne obliviscaris legere hoc de argumento meum *Ferrer* (a).

61 Respondent apud *La-Croix*, qui postquam dixit (b): *Prudentes autem rationes pro ejusmodi assensu imperando dabitur n. 416.* Ibi habet sequentia: *Neque semper imprudens erit ejusmodi assensus.* Quasi diceret: erit hic assensus ut in plurimum imprudens, sed non semper. Certè liberalis est satis *La-Croixius* in solutione objectionis, quæ sola sufficit ad terendum systema suum. Ecce talis assensus occasionatus ex pura voluntatis motione, *ut in plurimum* erit imprudens, sed non semper? Respondet: *Nam imprimis EX PARTE INTELLECTUS ADEST MOTIVUM grave, & prudens, ut suppono.* Falsa est suppositio ista, cum sermo sit de motivo, quod concurrat cum altero contrario,

D

rio,

(a) 6. Ethic. cap. 5. (b) 2. 2. q. 49. a. 7. (c) Ethic. cap. 2. (d) 1. 2. q. 58. a. 3. ad 2.

(a) Epit. tom. 2. pag. mihi 289. nn. 592. 593. & 594. (b) Num. 412.

rio, vel æquè, vel magis gravi. Pergit: *Deinde ex parte voluntatis etiam sunt motiva sufficientia. V. g. ut sibi, vel aliis non inferat nimis gravem molestiam: ut servet conscientiam suam libertatem: ut ostendat, suave esse Christi jugum: quia hic & nunc utilis erit saluti proximi, si assentiat parti benignæ: quia opinio illa minùs probabilis est S. Thomæ, est communior in Schola nostra, à superiore mihi suadetur, faciliùs explicatur discipulis, &c.*

62 Hæc sunt La-Croixii momenta omnia, ut evincat, assensum intellectus, qui proculdubio, si præstaretur parti minùs verisimili in conflictu verisimilioris, esset imprudens, fieri prudentem *ex parte voluntatis*, quæ jubet, & movet intellectum ad eum præstandum. Sistamus paulisper. Primum esse ait: *Ut sibi, vel aliis non inferat nimis gravem molestiam*, cujusmodi esset sequi opinionem probabilioris, quæ obligat ad desideria carnis non perficienda, ad non frequentanda, exempli gratiâ, theatra, fugiendam domum convivii, & meretricis, non celebrandum illum contractum, & mille alia, quorum praxis inferret nimis gravem molestiam

nostræ concupiscentiæ, vel cupiditati. Quapropter ut ejusmodi molestia liberentur dilecti, poterunt amplecti sententias dulciores, atque benigniores, favorabiliores, & condescendentiores nostro genio, ac nostris passionibus, quamvis sint minùs probabiles, & exponantur manifesto periculo transgrediendi legem Dei. Hæc sic operandi prima ratio; quam potiùs dixeris principem & unicam, qua Probabilissimus natalis sui fecit cœnam magnam.

Secundum non differt re ipsa à priori, nisi solis terminis his: *ut servet conscientiam suam libertatem*. Quibus non aliud valet intelligi, quàm conservare libertatem propriæ conscientiæ ad agendum inter opiniones incertas id, quod magis placet sine vinculis, vel obligationibus legis, ubicumque sit probabilitas quævis in favorem suum, quantumvis major sit, quæ obliget ad subjiciendam legi propriam voluntatem.

Tertium, *ut operans, aut dirigens, vel consilians ostendat, suave esse Christi jugum*. Certè non aliter ostenditur Christi jugum suave, quàm ab ultroneè portante illud, atque cha-

charitatis succursu, sive amoris Dei, uti unanimiter docuere SS. Patres. Non sic Probabilistæ intelligunt. Volunt, ostendi *suave* non faciendo, vel consiliando etiam ea, quæ verosimiliùs sunt à Christo præcepta, & contenta in jugo illo, quod ab ipso jussimus ferre super nos, & sustinere pondus absque tædio aut fastidio propter amorem, quò mediante res omnis redditur agibilis, atque dulcis, & suavis, levisque.

Quartum, *quia opinio minùs probabilis & tuta, hic & nunc utilis erit saluti proximi*. Non aliunde fingi valet hujusmodi utilitas proximi, nisi ex eo, quod repugnet subjici Legis ponderi, atque ex hoc repugnantia istà deobligetur à tali subjectione, intercedentibus benignis opinionibus, atque blandientibus suæ voluntati: quod valet idem, ac relinquere, quòd exponatur evidenti periculo conculcandi legem, nè offendatur suus deliciarum amor, & averatio observantiæ illius. Hæc est utilitas tota comparatè ad salutem proximi, quam Probabilistæ possunt apprehendere in sequela opinionis minùs probabilis.

63 Adjungit La-Croix: *Quia opinio illa minùs probabilis est S. Thomæ. Nescio cur obrudat in præsentia D. Thomæ sententiam: nam vel loquitur generatim de doctrina, seu systemate probabilistico; & de isto jam demonstrarunt benè multi argumentis irrefragabilibus, prædictum systema esse à S. Doctore reprobatum: vel, ut verisimiliùs est, loquitur de particularibus ejus sententiis moralibus. Hæc verò, ubi sint reapse ab ipso traditæ, & non falso attributæ, aut sunt certæ, aut saltèm probabiliores ob celeberrimorum Theologorum consensum. Lacroixianæ igitur reflexioni non est locus in diversorio præsentis. Reliquas, quas subdit, ad Publici tribunal remitto.*

64 Juvat tamen non prætermittere, quòd proposita sibi hac altera objectione (a): *Si rationes sint utrinque æquales, Judex non potest nisi temerè assentiri uni parti: ergo similiter intellectus noster; respondet ipse La-Croix: Nego antecedens. Negat itaque, binis partibus exhibentibus Judici æqualia momenta, hunc non posse absque imprudentia*

D 2

uni

(A) Num. 413.

uni parti assentiri adversus alteram. En quam assignat rationem: *Quamvis leges statuant, inquit, ut tùm neutri parti in foro externo plene adjudicet; tamen non ideo erit temerarius, si per voluntatem erga suum amicum inclinatus, internè assentiatur ipsius rationibus.* Hæc etiam debet esse responsio cuiuslibet Probabilistæ, coherentem ad suum philosophandi systema. Sed quid absurdus?

Laudatæ leges non modò sunt positivæ, verùm etiam, atque specialiter naturales, ut supra vidimus ex *Tamburino*, qui talem decisionem iudicat certam, & probat ratione, quam ipse fatetur *efficacem*, deducta ex principiis, & dictaminibus iustitiæ. Et nihilominus secundum Probabilistas, potest Iudex tali in casu elicere internum iudicium *prudens*, quòd valeat proferre sententiam super fundum in favorem amici sui contra alterum, qui æquali (& etiam majori) rationum fundamento illud sibi vendicat? Num leges positivæ, ac lex ipsa naturalis prohibent exercere iudicium, quod (si Probabilistis credendum est) verè est *prudens*? Numquid *prudentiæ*

regulis conforme erit dictamen, quod adversatur regulis iustitiæ? Quis poterit sustinere talia paradoxa? At ad istorum adinventiones cogit defensio systematis, quod in semetipso paradoxon est alteri in mundo incomparabile.

ARTICULUS V.

Probabilismi Indoles.

§. I.

65 **G**enium, ut sic loquar, Theologiæ Casuisticæ, quæ Probabilismi caligine obnubitur, facile deprehenditur ex dictis. Ecce audivimus eam in laudibus propriis suorum occupatam. Quòd in aliqua controversia diligenter versatum, etiã aliàs Authorem damnatum, interdum citet pro ea, illumque exornet præclarissimâ graviorum Theologorum nomenclatura, hisque annumeret, non video, cur reprehendi possit; præsertim quum omnes, aut sanè quamplurimos laudare instituit, qui de ea, data operâ, accuratiusque scripserunt. Quòd verò proscriptos Authores passim laudet, & quamquam ob nimiam

la-

laxitatem proscripti sint, non vereatur tamen morum sententias, eorum autoritate confirmare perindè, quasi proscripti non essent, aut nihil inter eos, & probatos scriptores omninò interesse deberet; per me non licet, quia duo peccat.

Primum, quòd Decretorum Sedis Apostolicæ, quibus iidem proscripti fuerunt, nullam rationem habere videatur. *Deinde*, quòd eos laudet ut idoneos illius artis Magistros, in qua tradenda sæpè, & multum deliquisse reperiuntur. Num saltem hos Authores negligit interdum, Lectoresque monet, non magni esse faciendam eorum auctoritatem? Nihil verò minus, ut videre licet, & patens est, præsertim in *PP. Viva*, & *La-Croixio*. Usquamnè *Viva* parvè pendet *P. Joannem Sancium*, nimiumque ad laxitatem proclivem fuisse docet? Usquamnè *La-Croixius*, itemque *Viva* indicant, *P. Moyam*, quem passim laudant, deterrimum esse, & ita proscriptum Casuistam, ut, cum semel, & iterum damnatus esset, tandem *Innocentius XI.* singulari Decreto, edito die 16. Septembris 1680. ejus operis exem-

pla comburi jusserit? Non memini sanè, me quidquam ejusmodi in *Viva*, & *La-Croixio* umquam legisse. Quare non alienum esset, in hos duos, & similes Casuistas, qui sic agerent, invehi, Lectoresque docere, proscriptum esse *P. Matthæum Moya*, proscriptum *P. Joannem Sancium*, *Caramuellem*, *Vidal*, aliosque; nè qui imperiti, cum eos passim à Casuistis laudari, numquamque reprehendi videant, magno perè probent, aut sibi legendos putent.

66 Quòd quidem iis displicere non debet, aut injuriã factum videri. Quibus enim est tantæ curæ, nè quisquam legat proscriptos Authores *Paschalem*, *Wendrochium*, *Henricum à S. Ignatio*, ut hoc unum perpetuo habeant in ore, & quoquo jure, quaque injuria omnibus Adversariis objiciendum putent, quòd tales lætarent Scriptores; ii non debent molestè ferrè, dici ab aliis, *Caramuel in Apologia damnatus*, &c. Cum, ubi agitur de doctrina morum, multò justius caveatur, nè quis hos legat, qui ob laxitatem proscripti sunt, redundantque falsis opinionibus; quàm illos, quibus eadem non solum non

D 3

pro-

probantur, sed etiam vehementer improbantur. Utinam nescire licuisset, nullum esse *laxum*, ne dicam *Lutulentum* Casuistam, quem sui similes magnum appellare Theologum non vereantur! nequè facile mihi duros, fuisse, quos nominavi, nimium ad laxitatem propensos; cum tale tamen de his Casuistis iudicium omnium Sapientum virorum sit! Sed imò de quocumque alio, nulla, præter pauca, prætereà arbitrantur falsarum opinionum portenta propugnasse, quæ possent verè refelli. Si ita se rem habere censent, quæso, me doceant, quamobrèm in laudata delatione Prælatorum Hispaniæ, tot Propositiones condemnandæ offeruntur Sedi Apostolicæ, excerptæ ex communi Casuistarum? Qua de causa simul, ac opera moralia PP. *Joannis Baptistæ Tabernæ*, & *Georgii Gobatii* exierunt, tantoperè offenderunt *Attrebatensem Episcopum*, ut continuò ab eo damnata fuerint, uti narrat Card. *Quirinus* (a)?

Ecce tibi non furiosos, & ardentis invidiâ *Concinas*, *Pattuzzios*, *Dinellos*, Italos; sed *Episcopos* Hispanos, & *Attre-*

batensem stomachatos, errorisque à Populo Christiano propulsandi causâ, *Torreçilla cum ambulonibus suis*, *Tabernæ*, ac *Gobatii* scripta damnantes, Sedisque Apostolicæ definitivam sententiam excitantes, atque expectantes. Quid amplius quæris? hoc unum magno argumento esse non debet, non deesse in illorum operibus plurima, & maxime errata, propter quæ rejici, atque è manibus tolli debeant Christianorum? Certè divinitus accidisse existimo, ut essent quandoquè Episcopi, qui bellum indicerent scriptis Probabilistarum, ut qui ea deinceps refellere instituerent, & ob eam causam invidiæ, malæ fidei, & imposturæ accusarentur; hoc tanto, & tam gravi Episcoporum præjudicio, insulsam arcerent accusationem.

§. II.

67 **N**ihilofecius (proh dolor!) Casuistarum studium, unde colligendi laxas morum sententias, ut Probabilissimum tueantur. Dum *Vivæ*, *La-Croixii*, *Sanchezii*, *Gobatii*, *Moyæ*, *Tambu-*

burini, *Laymanni* causam agerent, & his de face Casuistis, invidiosas morum sententias falsò tributas esse dolerent; hi ipsi per summam injuriam easdem, vel etiam deteriores tribuerint SS. *Thomæ*, & *Antonino*, *Cajetano*, *Soto*, *Fumo*, *Silvestro*, &c. non ita quidem, ut in eorum testimoniis describendis, syllabam aut litteram peccarint, sed ita ut ea foedè corrumpendo, aut perversè interpretando effecerint, ut magnum aliquem errorem continerent, à quo illi longissimè abfuerunt, ut suo loco constabit. Scio, eos *Thomam* ipsum, ceterosque præfatos plerumquè non legisse, sed *Moyæ*, *Croixii*, aut *Vivæ*, mendacissimis Scriptoribus, de iisdem credidisse. At nisi frequentissimum horum errorem non emendent, magnà erunt apud Rempubicam Litterariam invidiâ, si, cum ei, dicam, impegierint, qui visus est sibi, *Moyæ*, *Tamburini*, *Gobatii* lassisse existimationem; impunè ibi esse velint, quòd *Thomam*, *Antoninum*, *Cajetanum*, & hujusmodi eadem injuriâ sæpissime affecerint. Atque hìc non omittam, ne si incidissent quidem *Cajetanus*, *Sotus*, *Sylvester*, *Tabiena* in

aliquot falsas, absurdasque sententias, licuisset sibi eas proferre, rapere in invidiam Dominicanos, & quarto quoque verbo inaniter regerere, posse se ex eorum voluminibus Catalogos errorum conficere nihilò breviores iis, qui ex libris Casuistarum confecti sunt.

68 Nam *primum* videre debuerant, istud, quod faciunt, studium, non fuisse discendi, seu cavendi, sed (quo omnes Casuistæ præditi fuerunt) unde colligendi parùm utiles, atque adeò laxas morum sententias, ne frustra Probabilissimum tueri viderentur: alioquin non multò plura bonæ frugis in veteribus Theologis reliquissent, quàm falsa, & absurda ex eisdem accepissent. Possem enim, si opus esset, demonstrare, non ab his Magistris, sed à suis Doctoribus accepisse Casuistas doctrinam *de mentis restrictionibus*, *de ignorantia invincibili*, *de actuali attentione ad peccandum*, *de peccato philosophico*, *de absolvendis iis, qui peccandi consuetudine implicantur*, & alia quædam generalia dogmata, quæ totam inficiunt, pervertuntque morum disciplinam: Contra, eos, qui studio præditi fuerunt sequendi *D. Thomam*, &

(a) In Comment. de rebus suis part. 1. pag. 81.

eiusdem Scholæ doctrinam, facile invenisse in eorum operibus, quemadmodum rectè scriberent de morum Theologia. Sunt itaque in Schola Thomistica Magistri, quos si Casuistæ sequi voluissent, falsa morum dogmata, totamque illam dissolutam scribendi rationem, & opinandi licentiam facile vitare potuissent. At tantum abest, ut iidem DD. Thomam, Antoninum, Raymundum sequi voluerint, ut contrà, Genettum, qui secutus est, magnoperè despererint. Quod ex *La-Croixio*, & *Francoino* intelligi potest; necnon ex eo, qui eundem Genettum, ut à decretis Casuistarum maximè abhorrentem, in numerum *Jansenistarum* conjiciendum arbitratus est. Ita tractant suum Condiscipulum, qui in duobus, tribusve paginis SS. Thomam, & Antoninum sæpius laudat, quàm in universo opere *Tamburinus*, & *La-Croixius*; adeoque *Thoma*, & *Antonini* doctrinam in *Genetto* parvi pendunt.

Quod si dicas, non ex DD. *Thoma*, *Raymundo*, *Antonino*, sed ex *Soto*, *Sylvestro*, *Cajetano* accepisse Casuistas morum nonnullas sententias, quæ

nunc magnoperè reprehenduntur. Id quidem dicis, quod (si verum esset) magis ad eos accusandos, quàm excusandos valere deberet. Quid ita? Quia cum legissent in libro *Tullii* de Oratore: *Qua est in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur?* nihil profecerunt, & istam perversitatem, in morum doctrina maximè vitandam, non animadvertunt.

69 Deinde considerandum erat, utrum errores suorum umquam probassent Dominicani; eosque alii ex aliis accepissent, & continenter propagare laborassent? Utrum, ut eos sibi defendere liceret, ullas umquam cum Parochis, cum Episcopis, cum Magistris Ordinis, cumque omnibus Viris doctis suscepissent inimicitias? Utrum ulli pro *Soto*, pro *Cajetano*, pro *Sylvestro* scripserint apologias; & præter *D. Angelicum*, quemquam suorum numquam errasse, ab omnique laxa opinione liberum esse prædicassent? Demùm, ut verbo dicam, utrum *Blasius Paschalis*, si Epistolæ provinciales contra Dominicanos scribere voluisset, satis aptè uni eorum personam-

nam illam imposuisset, quàm colloquium instituit, quamque theses illas morum falsas, & perridiculas laudantem inducit?

Hæc, inquam, consideranda erant, priusquam eidem plura tribuerentur, quæ numquam docuerunt; & quàm vera proderentur eorum errata. Nam si nihil horum, quæ commemoravi, umquam egerunt Dominicani; quid est, quamobrem putes, posse te cum iisdem laxioris doctrinæ invidiam communicare, aut me debuisse, cum Casuistas refello, illos commemorare? Tunc si quid in *Lessio* reprehenditur, dolebis omitti *Sotum*, v. g. à quo id, quod reprehenditur, didicit Jesuita Discipulus: nihilque valere putabis, si respondeat Dominicani, illud idem à *Soto* neminem suorum, à *Lessio* rursùm accepisse *Sanchezium*, à *Sanchezio* *Laymannum*; à *Laymanno* *Dicastillium*, à *Dicastillio* *Tamburinum*, à *Tamburino* *La-Croixium*, à *La-Croixio* *Ghesium*, *Lecchium*, *Bovium*, *Sanvitalem*, *Richelmium*, *Gagnam*, *Balam*, *Gravinam*, *Zacchariam*, *Noctetium*, qui *Lessium*, & alios, quos nominavi, pugnatissimè defendunt, & eum

qui improbat, maledictis insectantur?

70 Noli putare, non magnoperè irritasse Viros Sapientes istum Discipulatum, qui visus est præclare excogitatus ad tegendos Casuistas; tam enim ridiculus est, quàm qui maximè. Quid? Hocnè etiam ex *Soto* didicistis, ut quòd semel ab eo accepissetis, id (cujusque modi esset) numquam dimitteretis; & quoties à Viris doctis reprehenderetur, illud vos à *Soto* accepisse diceretis, quemadmodum centum ab hinc annis *Paschali* respondisti, & etiam nunc nobis respondetis? Istum, inquam, ludum, ne dicam fraudem, quàm sit, ut cum falsas opiniones rectè retineatis, earum tamen invidiam, quoties reprehenduntur, in Dominicanos derivare conemini; à quo tandem *Soto* didicistis? In existimantium arbitrium veniant Nostratum Scripta, & de fide utriusque nostrum judicent Sapientes. Nihil modò moror eorum responsiones, qui plenos nugarum libellos evulgarunt, quoniam certò scio, neminem illas lecturum, quin statim agnoscat victos, profligatosque accusatores; qui, quod semel objecerunt, con-

futatamque esse dolent, crimen imposturæ, calumniæ, aut malæ fidei, novis argutiis confirmare conentur, ne illud sine ratione objecisse videantur; & inanem laborem suscepisse eos, qui maximè hoc tempore errorum Thomistarum Catalogos conficiendos existimaverunt.

ARTICULUS VI.

Artes Probabilistica.

§. I.

71 **C**ertè magno beneficio cumulare non universam Rempublicam Litteratorum, qui consumeret operam in Casuistis excutiendis, & emendandis, palàmque omnibus faceret, quàm turpiter errarint in referendis aliorum testimoniis, & quantoperè abusi sint autoritate magnorum Theologorum. Profectò magno nos metu liberaret, nè Impostorum numero habeamur, cum fortè uni, vel alteri fidem adhibemus. Magnus sanè labor, sed valdè necessarius. Quod etsi multis exemplis infra constabit, uno, alterove impræsentiarum contenti sumus.

72 Sit primum. Plerique Casuistæ, ut suam sententiam de ignorantia invincibili præceptorum juris naturalis defenderent, abusos fuisse D. Augustini testimonio, tam perspicuum est, ut à nemine negari possit. Sixto Senensi (a) videtur Augustinus huic ignorantia juris naturalis favere. Porro nec hic Casuista est nec illum ullus sequitur; quinimo falsus est N. Milante, atque ego fateor, hallucinatum esse in loco Augustini interpretando. Sed quid Probabilistæ? Platelius ecce qui peccat, & locum Augustini malè interpretatur. Num finis in Platelio factus est errandi? Nihil minus. Platelium Rhodæ, Rhodesium sequitur Viva (b); qui falso in sensu Augustini textum obtrudit; & insuper truncatum D. Thomæ testimonium exhibet, ut his locis SS. DD. pro juris naturalis ignoracione depugnet, suamque roborat opinionem. Vivam (ut alios omitam) consequitur P. Lecchi (c), & Lecchium P. Nocheti (d). Sit & alterum exemplum. Bassilius Poncius asserit, PP. Svarium, & Vazquium esse primos, qui sibi imaginantur in Chri-

Christo duplicem filiationem divinam, toti retrò antiquitati ignotam. Quibus Natalis Alexander (a) adjungit Maldonatum. Quæ interpretatio anfasam dat Socinianis eâ abutendi, quæque vel eo nomine rejicienda est, quòd nova sit, & contra Regulam à S. Synodo Tridentina præscriptam de Scripturæ Sacræ interpretatione non admittenda contra unanimem consensum Patrum, & contra eum sensum, quem tenuit, & tenet S. Mater Ecclesia. Et tamen P. Isaac Joseph Berruyer in suis Dissertationibus latinis, quas edidit tamquam clavem intelligentiæ suorum operum, in principio secundæ illam tribuit PP. Becano, Lessio, Grandamio, Rhodæ, Theophilo Raynaudo, Merazio, Mendoza, Arriaga, Tolito, & præfato Maldonato. Eos, inquam, nominat, nec tamen textus citat, nec vel dicit, in quo ex eorumdem libris quærendum sit, quod de tali filiatione duplici divina dixerunt. Timuitne, hujusmodi inquisitionem nihil sibi profuturam? At illorum nominis timor pariter & amor eò Berruyeram duxit, ut suam novam filiationem divinam

Christo assereret. Ob idque, atque alia, promeruit sua Historia geminatam damnationem Apostolicam. De quo infra.

73 Porro Casuistæ haud sibi vertunt Religioni, ne quid tollant, adjungantve operibus Probabilistarum. Sexcentis exemplis demonstrari valet. Quis (ut bino rem confirmem) Tamburino agenti (b), sententiam negantem, præceptum esse latum Sacerdoti, ex necessitate celebranti in peccato mortali, quamprimum confitendi, esse probabilem: Quis, inquam, hujus sententiæ retractationem in editione Veneta de annis 1680. 1687. 1692. Tamburino adscripsit? Cum tamen hoc opus Tamburini, fuerit editum Romæ primùm anno 1648. tum Panormi anno insequenti; inde Lugduni anno 1659. Quartò Venetiis anno 1660. vivo quidem Tamburino, & ante Decretum Alexandri VII. anno 1666. publicatum. In quibus sanè editionibus nulla esse poterat retractatio; nondum enim erat sententia Tamburini damnata. At post Decretum Alexandrinum, constante adhuc vita Tamburini, fuit

rur-

(a) Lib. 5. annor. 89. (b) In Trut. Prob. 2. Alex. VIII. n. 2. (c) Apud Concin. tom. 6. pag. 13. (d) Apud Dinellum. epist. 6. p. 237. à n. 118.

(a) In Expos. S. Lucæ c. 1. v. 35. (b) Cap. 1. §. 6. n. 49. de Method. Comm.

rursus recufum *Lugduni* 1669. ut scribit *P. Alegambe*, ac novissimè testimonium perhibet veritati cruditissimus Vir *P. Antonius Ponce* (a) Ord. Minim. Et iterum *Lugduni* anno ab obitu *Tamburini* quarto, hoc est, anno 1679. In illa, seu ista editione pariter nullam comparere retractationem, certum est. Lege in his integrum numerum (b) & ostendito mihi in eo, si potis es, ullam retractationem. Videntur omnino *Eranieste* (c), & *Dinellus* (d), & adi n. 522.

Quis, ut altero rem confirmem, in editionibus *Lugdunensibus* annor. 1669. & 1679. horum ipsorum *Tamburini* operum, sustulit ex lib. 3. in *Decal. cap. 11.* duos integros paragraphos? Quis eisdem rursus adjunxit editionibus *Venetis*? In istis enim leguntur paragraphi illi duo, in *Lugdunensibus* non item. Hocnè etiam ut fieret, *Caltanissetæ* scriptum reliquit *Tamburinus*? Aut idem, mortuus anno 1675. quod ab editionibus *Lugdunensibus* detractum fuerat, id rursùm *Ve-*

netiis adjungendum curavit? Nunc tantum consideres velim, an, his spectatis exemplis, quidquam impediatur, quominus dicatur, numquam sibi Religioni vertissè Probabilistas, nè quid adjungerent, detraherentve operibus *Casuitarum*.

§. II.

74 **L**ongam, & litigiosam Probabilistæ amant disputationem ad res implicandas, quod eos pudeat nonnumquam opinionum suarum, quodque, ut celeberrimus olim Theologus ajebat, ipse, quem defendunt, Probabilissimus, nihil aliud sit, quàm, ipsorum pace dictum sit, *ars quedam perpetuò cavillandi*. Exempli gratiâ. *P. Moya* (e) aliquorum *Casuitarum* controversiam prolixè versat tribus paragraphis. In primo refert Authores disputantes super valore voti emissi ab eo, qui antequam voveat, proclivis in venerem est; & veriolem pronunciat opinionem

nem illam, quæ validum esse votum propugnat. Tum in paragrapho secundo in medium affert sententiam, quæ sustinet, votum dissolvi, & irritum fieri per supervenientem in res veneras proclivitatem. Authores istius sententiæ appellat *Doctissimos*, ut superlativum encomium quid ponderis tribuat opinioni. Pro eadem allegat doctissimos *Dominicanos* *Dominicum Baltaniam*, *Sylvestrum*, *Tabienam*; qui solum docent, fieri nullum votum, quoties ejus materia evadat inepta, vel impossibilis. Quod autem castitas votò Deo adpromissa, ex propensione in venerem fiat inepta, & observatu impossibilis, nemo eorum dixit. Tandem in paragrapho tertio suam statuit opinionem, & ait: *Quamvis opinio proposita §. I. VALDE PROBABILIS SIT, contrariam tamen tenendam censeo*. Consequenter VALDE PROBABLEM judicat quoque secundam sententiam, quam §. 2. num. 14. necessariò profuere ex prima indicat. Et re ipsa eam non impugnat, sed cum suis argumentis illam Lectoribus proponit.

75 *Moyam*, & quem ille laudat *Thomam Sanchez* lib. 4.

cap. 2. n. 23. doctrinæ *D. Thomæ*, & aliorum Thomistarum testes non esse satis idoneos, apertè demonstratur ex eodem *Angelico*, & *Card. Cajetano*, quos imprimis laudat *Sanchez*, & à quibus tam dilucidè hæc res explicatur, ut mirum sit adeò hallucinari potuisse *Casuitas*, ut eos sibi consentientes putarent. *Cajetanus* itaque loco posteriori à *Sanchezio* citato, videlicet in 2. 2. *D. Thomæ* q. 88. a. 3. quæstionem proponit de muliere, *quæ vovit virginitatem ratione, non continentie absolute, sed continentie virginalis: an corrupta culpabiliter, tuncatur continere? Et est ratio dubii, quia si ista fuisset præscia sui casus, non vovisset, sicut nec vovisset, si fuisset corrupta. Allegatur siquidem dictum Authoris in 38. dist. 4. sent. q. 1. a. 3. qq. 1. ad 1. quod illud, quod votum fiendum impediret, si præsens esset, etiam voto factò obligationem aufert*. Ecce tibi quæstionem, sive casum, ut vocant, de quo disputatur; & in extremis verbis regulam illam, de qua inquirimus, quò tandem modò intelligi conveniat ex sententia *D. Thomæ*, & *Cajetani*.

76 Audi nunc *Cajetanum*, &

(a) In approbat. Epist. Dinelli pag. 53. (b) Num. 54. pag. 66. Col. 2. (c) Epist. tom. 5. Lett. 40. §. 3. n. 22. pag. 462. (d) Ep. tom. 1. Epist. 1. pag. 26. à n. 11. & tom. 3. ep. 9. pag. 552. à n. 114. (e) In quæst. select. trac. 2. dif. 1. quæst. 1. de voto, & juram.

& disce, qua fide digni sunt Casuistæ, cum novas opiniones nostrorum Theologorum auctoritate confirmant. Is enim negat, mulierem, de qua loquitur, solutam esse voti obligatione, & de regula *D. Thomæ* sic habet: *Authoritas autem allata Authoris, non suffragatur, & malè videtur intelligi* (ut nunc intelligitur à *Moya*, & *Sanchez*): *Quoniam Author loquitur de impedimento voti, & non de impedimento voluntatis voventis. Et docet, quòd quidquid impediet votum fiendum, auferat voto facto obligationem, ut patet de materia impossibili ibidem pluribus exemplis. Oportet enim votum habere materiam possibilem; quoniam ad impossibile nemo tenetur: & non docet, quòd quidquid impediret voluntatem voventis, si præsens esset, auferat à voto obligationem. Hæc enim doctrina universas Religiones cum Clero enervaret: quoniam innumeri eventus, si præsentes essent, quando sit votum, impedirent voluntatem voventis, qui tamen non auferunt voto facto obligationem. Illa ergo regula generatim accepta errori *Calcei*, & *Lutheri*, qui Monachorum vota oppugnarunt, affinis est juxta *Cajetanum*; nec enim supervenien-*

tes tentationes, & lapsus in venerem, impossibilem reddunt castitatem.

77 Nunc, ad rem quod attinet, quid magis contrarium huic opinioni Casuistarum, sive illi regulæ generatim acceptæ, quam doctrina *Cajetani*? Nihil est opus oratione. Improbatur enim manifestè regulam illam generalem, nihilque in ejus doctrina reperitur appositum ad id, quod *Moya*, & *Sanchezius* interpretantur. Imprimis enim consideres velim, eà distinctione, quam suppedirat *Cajetanus*, non solum regulam *D. Thomæ* rectè explicari, sed etiam Casuistarum errorem egregiè refelli. Quid enim verius, & ad id, quod vera sententia sustinet, magis appositè dici potest, quam distinguere debere impedimentum voti ab impedimento voluntatis voventis; & primum quidem obviare, alterum non obviare, quominus fiat id, quod votò promissum fuit? Relinquitur ergo, *D. Thomam*, & *Cajetanum* contrariam errori *Moyæ* tenuisse sententiam, neque injuriâ reprehendi *Moyam*, qui eos sibi consentientes creaverit.

78 Quamvis vero *Moyæ* utram-

utramque videatur improbare sententiam; lecto tamen ipso, & iis cognitis, quæ differunt in extrema disputatione, ita rem concludit, ut velit, utramque sententiam esse probabilem; quæque solverat, dilueratque argumenta, ea rursus firma, & ad suadendum idonea esse pronuntiet perinde, ac si de iis solvendis ne per somnium quidem cogitasset, ac prorsus intacta reliquisset.

Nè longam faciam, postquam (a) impugnavit primam sententiam, ex qua desumitur paritas pro secunda, ad hanc deveniens, conclusit: *Ideoque tenendum, voventem, implicite se obligasse ad alia orationis, & pœnitentiæ remedia adhibenda, quibus à tentationibus carnis vehementibus liberetur, & melius sibi reddat à Matrimonio abstinere, quàm oppositum.* Sed hæc est ars probabilistica. Postquam enim ea disseruit, quarrit tandem (b): An prædicta castitatis, & Religionis vota propenso in venerem, sive ante, sive post fragilitatem cognitam emissa, sint Pontifici reservata? Respondeo (inquit), partem negativam esse satis probabilem, quia Doctorum autho-

ritas, & argumenta contra eorum valorem §. 1. & 2. adducta, efficaciter suadent, non esse certam talium votorum obligationem, ac proinde non esse reservata; quia cum reservatio sit odiosa, ad sola vota certò valida restringenda est.

79 Manifestè igitur, imponens disputationi finem, in eo perstat, ut has sententias probabiles esse defendat, & adeò probabiles, ut opus non sit ad ea vota solvenda Romani Pontificis auctoritate. Quid amplius desiderari potest? Nisi fortè dicere velint, oppugnari à Probabilista sententiam, in qua tantam inesse putat probabilitatem, quanta requiritur ad id præstandum, quod Romani Pontificis præstaret auctoritas. Equidem mihi videntur æqui rerum æstimatores, his lectis, secum ipsos loqui: QUOUSQUE TANDEM PATIEMUR, NOBIS A CASUISTIS ILLUDI, ET HIS SCRIPTORIBUS PERGEMUS FIDEM HABERE, QUI TOT FRAUDIBUS, ET MENDACIIS CHRISTI DOCTRINAM, ET SAPIENTUM VIRORUM, QUI EAM TUENTUR, EGREGIAM FIDEM LABEFACTARE CONANTUR? *Moyæ* ecce, qui *D. Thomam*, *Cajetanum*, *Sylvestrum*, *Tapienam*, quam

(a) §. 3. n. 20. 21. & 22. (b) Ibid. n. 23.

quam non tradunt, regulam magnos tuctur errores. Sed ex-
tradere propugnat; duos ipse pecta. Majora his videbis infra.

DISSERTATIO II.

DE BELLO PROBABILISTICO.

ARTICULUS I.

Varii eventus belli.

§. I.

80 **T**emporis successu
Probabilismus uni-
versas ferè Casuistarum Scho-
las invasit. Et quia error fa-
ctus communis, sit consuetu-
do, & spectatur tamquam bo-
num honestum, juxta *Seneca*
(a) illud effatum: *Apud nos*
locum tenet error, ubi publicus
factus est; sanioris doctrinæ
Theologi vix audebant tantæ
se multitudinì opponere. Vo-
ce tantum, & operum sancti-
tate sanam doctrinam propug-
nabant. At diu non obsecun-
davit fortuna triumphanti Pro-
babilismo. Istius felicitas &
progressus intra viginti circi-
ter annorum intervallum clau-
duntur. Divina Providentia

disposuit, ut nova doctrina
totum effunderet virus laxita-
tis, cujus horrore perterrefa-
cti Viri Dei ferventiùs insur-
gerent, calamumque acuerent
ad veritatis defensionem. Bre-
vi igitur viginti annorum spa-
tio Probabilismus, veluti
triumphans, regnavit in Scho-
lis. Clerici enim Regulares,
vulgò *Teatini*, in Capitulo
Generali V. celebrato anno
1598. primi fuere, qui ad-
versus Probabilismum edide-
runt Decretum, quod duabus
Epistolis Præpositi Generalis
roboratum fuit, quò ejusdem
Inclytæ Religionis Theologis
mandatum fuit, ut Probabi-
lismò contempto, sententiam
probabiliorem propugnarent.
RR. quoque *Mutius Viteleschi*
anno 1617. tres dedit Episto-
las, (b) in quarum secunda
propè finem (c), ut Probabi-
lismi cursum in sua Perillustri
So-

Societate interciperet, hæc ha-
bet, præsentia tangens, futu-
ra prospiciens: *Nonnullorum*
ex Societate Sententia, in rebus
præsertim ad mores spectantibus,
plus nimio libera, non modò pe-
riculum est ne ipsam evertant,
sed ne Ecclesiæ etiam Dei univer-
se insignia afferant detrimenta.
Omni itaque studio perficiant
(Superiores), ut qui docent, scri-
buntve, minimè hac regula, &
normâ in delectu sententiarum
utantur: TUERI QUIS POTEST:
PROBABILIS EST: AUTHORE NON
CARET. Verùm ad eas sententias
accedant, quæ TUTIORES, quæ
GRAVIORES, MAJORISQUE NOMINIS
DOCTORUM SUFFRAGIIS sunt fre-
quentata, quæ bonis moribus
conducunt MAGIS, quæ denique
pietatem alere, & prodesse que-
unt, non vastare, non perdere.
Quoniam verò Constitutiones,
Decreta, Regulas probè callent,
DE S. THOMA sequendo, de non
provehendis ad Cathedras, aut
etiam removendis, qui ejusmodi
doctrinam PARVI FACERE, AUT
CORDI NON HABERE præferunt,
præsertim si novitatum amantes
deprehendantur; qui nullâ sunt
ratione ferendi. Reliquum mihi
præterea nihil est, nisi ut hæc
ipsa serventur, uti maximi rem
momenti, quam ardentissimè
possum, urgere.

81 Nihilofeciùs anno 1620.
prætergressa Hispaniæ confinia
nova opinandi methodus, cæ-
teras invalidi regiones, Cathe-
dras occupavit, & Defensores
validissimos nacta ita ampli-
ficavit suum imperium, ut so-
la dominari in Scholis vide-
retur. Vix hoc tempore liber
quispiam prodibat in lucem,
in quo non propugnaretur
Probabilismus. Numquam ta-
men defuere homines Dei,
qui pro veritate starent. Sa-
nè Probabilismus in se ipso,
& in sua generica notione,
quæstio est quædam meta-
physica, quæ neque deformi-
tatem explicat, neque horro-
rem. Quasi tortuosus Laby-
rinthus revolvitur ad intrâ
metaphysicis speculationibus,
quibus suum omne abstrudit
virus. Si accendatur super eum
bellum litterarium; is, qui à
natura refertus est ingenio
æutiori, & dexteritate ma-
jori in Scholasticis distinctio-
nibus, reportat victoriam, &
canit triumphum. Donec pro
hac parte fervet prælium, at-
que perseverat, Probabilismus
erit semper victoriosus. Quia
pro hac parte, tamen non
sit quidem ratione fulcitus;
est tamen à voluptate, quam
ipsis suis porrigit inimicis, au-

(a) Tom. 2. pag. 69. (b) Antuerpiæ editas an. 1635. unâ cum Epist. S.
Ignat. S. Francisc. Borg. & R. Claud. Aquavivæ. (c) Pag. 432.

xiliatus; atque non expugnatur à malo, quod secum adfert, quia sub metaphysicis distinctionibus suis abscondit. Nulla est quæstio in tota Theologia, tam evidentè falsa, quàm hæc de Probabilismo, aut multum fallor. Ejus falsitas ostenditur demonstrationibus, quæ evidentiam & certitudinem habent, geometricæ parem. Sed quia non habet, *ut ita dicam*, demonstrationem, quæ applicata cuilibet materiæ controversæ, ac circumstantiis vestitæ, non possit obnubilari variis paralogismis, sive à passione, sive ab ignorantia facilè adinventis; opus est, Probabilissimum agredi in suis ramis, fructibus, atque practicis doctrinis virulentis, quas parturit; & hac ex parte veritas certè vincet semper.

82 Hinc eodem anno 1620. Collegium Sorbonæ diris devovit librum P. Petri Milhard, inscriptum, *magnus Director Curatorum, Vicariorum, & Confessariorum*, propter opinionum, quibus scatebat, laxitatem. *Joan. Sanchez Abulen.* publici juris fecit an. 1624. *Disputationes selectas* in morum materia, quæ *Compendium laxitatum* appellari possunt. Vix

quidquam ex probabilistica cœcina laxius hæcenus prodit: idcirco tale opus ab Ecclesia proscriptum est. P. *Franciscus Garasse* evulgavit anno 1626. opus inscriptum, *Summa Veritatum Capitalium Religionis Christianæ.* Illud Universitas *Parisiensis* prohibuit eodem anno, veluti opinionibus laxitatis plenum, & Christianæ disciplinæ perniciosis infartum. Anno 1635. interdixit *Directorium Directorum*, P. *Bertini Berthaud.* Et 1636. *Summam peccatorum, & praxim Beneficiorum* P. *Stephani Baumii.* Censura corruptarum Propositionum non fuit promulgata usque ad annum 1641. & 1642. Ad Universitatis sensum accessit *Clerus Gallicanus*, suasque tulit censuras contra prædicta opera, quæ appellavit libros, *qui ad mollitiem, & dissolutionem morum inducerent, aequitati naturali, juri gentium adversarentur blasphemias, usuras, simonias, quasi leviora peccata nequissimè excusarent.* Eadem sacra Facultas an. 1644. damnavit doctrinam, P. *Erard Bille*, & 1641. jam damnaverat doctrinam & scripta P. *Herreau*; quæ rursus interdicta fuerit ex Decreto Consilii status.

In

In defensionem censurarum Universitatis duo libri adornati sunt, continentes plures propositiones laxas & damnabiles; & post duos annos, impellentibus pluribus Episcopis, zelantibus sanam doctrinam, compilatus est ab *Hallero*, & altero Doctore Sorbonico liber, cui titulus: *Theologia Moralis, &c.* ut repagulum esset inundationi tot Librorum Casuisticorum. Sed P. *Pintereilus* librum inscripsit: *Impostura, ignorantiaque libri*, cui titulus *Theologia Moralis N. N.*

§. II.

83 **V**ERUM ab anno 1642. docti Theologi turbare cœperunt probabilisticam pacem, cursum ejusdem abrumpere, atque è Cathedris exturbare. P. *Andreas Blancus* Januensis S. J. sub nomine *Candidi Philaleti* (nondum de facie prodire licebat) opus emisit adversus Probabilissimum. Scintillâ accensa, incendium erupit. Belli utrimque acerrimi Sedes, Hispania, & Gallia. In Hispania certamen excitavit

Esclapessius quidam, qui librum evulgavit inscriptum, *Relatio ad fœcles, &c.* in quo laxarum opinionum sensum referebat. In hunc librum arma strinxit *Aquila*, Author similiter Hispanus, opusculo hac insignito epigraphæ linguâ vernacula, *La âme et le perro, y no me muerda.* Is *Esclapessio* exprobrat, quod vel ipsam ignoraret Probabilissimi notionem, quod hujus systematis effecerit Jesuitas; & tandem in Dominicanos bilem evomit. Adversus *Aquilam* è tenebris erupit libellus, reverà famosus, cujus titulus est, *Theatrum Jesuiticum.* Hujus opusculi, natalitiis tenebris digni, P. *Theophilus Raynaudus*, aliique post ipsum, Authorem dederunt *Iddefensum à S. Thoma.* Sed injuriâ maximâ in Episcopum doctrinâ, & pietate celebrem, ut demonstrat *Concina (a).*

84 Hoc eodem tempore V. Servus Dei *Joannes de Palafox* celebrem scripsit Epistolam ad *Innocentium X.* ut perniciosissimæ, & in dies inundanti laxitati aggerem apponeret. Contrâ, P. *Antonius Escobar*, ut sepem validissimam

E 2

mam

(A) Hist. Prob. diff. 1. cap. 3. n. 6. pag. 21. & appar. tom. 2. pag. 277. n. 4. ex Placio de Scriptor. Anonymis.

nam circumdaret Probabilifmo, summam edidit viginti quatuor Doctorum, quorum duodecim *affirmantem*, duodecim *negantem* super eadem omninò re sententiam docent. Unde in corpore Theologiæ moralis Escobarianæ frequentia sunt problemata ea, *est, & non est:- licet, & non licet:- peccat, & non peccat:- sufficit, & non sufficit:- tenetur, & non tenetur:- potest, & non potest:- excusat, & non excusat*, & similia. Hæ propositiones, quæ videntur contradictoriæ, tales reapse non sunt, intellectæ in sensu, in quo eas exponit ipse Escobarius coherenter ad principia Probabilissimi proposita. Vide licet, *est, & non est*: hæc sententia est conformis divinæ legi juxta aliquos Theologos, & non est conformis juxta alios. *Licet, & non licet*: licita est hæc actio judicio plurimorum, non est licita judicio aliorum multorum. *Peccat, & non peccat*: ex sententia Suarezii, Valentie, &c. peccat qui talem rem agit; non peccat ex illa Vazquezii, Sanchezii, &c. Tenetur secundum Azorium, Molinam, &c. Non tenetur secundum Castro-

palauum, Tamburinum, De Lugo, &c. Quibus problematibus innuere tantum vult, cui libet plenissimam relinqui libertatem eligendi, quæ sibi magis placeat, partem, quia utraque tuta est in conscientia; & quamvis earum altera debeat necessario esse falsa, non impedit, ait, ut *quamcumque duarum viarum primò diversarum homines inierint, reâ tendant ad superos*. Recole n. 8. Appositè igitur de Escobario cum suis problematibus P. Elizalde (a) scripsit: *animam, & quasi totam, ut ajunt, essentiam Probabilissimi extraxit in lucem dicendo: EST, ET NON EST: LICET, ET NON LICET, &c.* Suam summam comparat Escobar cum cap. 5. lib. Apocalypsis, in quo S. Joannes vidit viginti quatuor Seniores. Legendus est Prologus, quia ingeniosus, & festivus. Summula hæc tanto plausu excepta fuit à Probabilistis, ut intra paucos annos quadragesies edita fuerit. Id tamen in Probabilissimi tandem recidit detrimentum. Doctrina istæ, quæ duodecim Seniorum sententiâ declarat, hanc actionem esse turpem; & aliorum duode-

cim

(a) 2.p.l.5.q.17.

cim judicio, esse honestam: hanc unicam omninò viam ad cœlum, si tibi arridet, juxta duodecim; ad infernum, si tibi displicet, secundum alios duodecim: hujusmodi, inquam doctrina tantum horrorem timentibus Deum incusit, ut plures ad confutationem tam versatilis, & illudentis opinionis armaverit in qualibet ferè Regione.

85 Anno 1644. ut refert Card. Aguirre (a), quatuor Archiepiscopi, & duodecim Episcopi litteras ad Urbanum VIII. dederunt gravissimas, contra Casuistarum laxitatem, in quibus deferunt inter alia, quòd *Divinorum Sacramentorum usus, qui sacer omninò, ac salutaris esse debet, in perniciosum, ac piis omnibus deplorandum abusum sepissimè convertitur: depravatis, ac corruptis moribus blandimenta potius, quàm salubria remedia comparantur, ut ex sententiis ex libris ipsorum fideliter excerptis nemini apertum, atque exploratum esse non potest*. Anno 1649. Universitas Lovaniensis nonnullas P. Francisci Amici propositiones nimium laxas censuris confixit: & anno 1653. eadem Universitas de-

cem & septem aliorum Casuistarum propositiones laxissimè plenas proscripsit. Antonius Merenda, doctissimus Jurisconsultus, & in Universitate Bononiensi publicus Jurisprudentiæ Professor, anno 1655. opus edidit, quò, quàm sit bonis moribus exitialis Probabilismus, invictis demonstrat argumentis; atque ut D. Fagnanus (b) advertit: *Antonius Merenda in suo tractatu de hac materia, novissimè impresso, rotundis verbis affirmat, usum Probabilitatum esse commentum Diaboli ad enerwandam vim preceptorum*.

§. III.

86 HÆ veluti scintillæ fuerunt, & præludia illius belli, quod adversus Probabilissimum excitatum fuit anno 1656. Hoc quippe anno Parochi Rothomagenses, & Parisienses, Clero Gallicano in Concilio nationali Parisiis congregato, propositiones scandali plenas è libris Probabilistarum excerptas damandas obtulerunt. Istarum lectio talem horrorem Patribus incusit, ut, teste Illustrissimo Godeau, Episcopo Vencensi,

E 3

vel.

(a) In Præfat. ad Concilia Hisp.

(b) In caput, Ne imitatis.

vellent sibi aures obturare, quemadmodum Patres Concilii Nicani, ne ARII blasphemias audirent. Quisque zelo ardebat reprimendi infelicitum Scriptorum audaciam, qui tam aperte, regulas Evangelii corrumperent, eamque Moralem inveherent, cujus vel honestiores Paganos puderet; & Turcæ ipsi scandalo eandem haberent. Et ne quis suspicari possit, hanc Episcopi Vencensis attestacionem minùs finceram esse, recolat testimonium P. Terilli, exscriptum nn. 41. 42. & 43. qui scribens propè annum 1664. fatetur, à paucis annis, nempe ab anno 1646. systema probabilisticum extremam subisse invidiam, atque severioribus censuris fuisse confixum. Hujus in causa fuisse, scribit, plurium Theologorum laxitatem, qui à triginta circiter annis ambitionis fumo, & studio hominibus placendi, auramque popularem captandi cacohete perciti, sententias excogitarunt scandali, & errorum plenas. Patres Gallicani, antequam solveretur Concilium, discutere non potuerunt Propositiones laxas à Patochis delatas. Intereà dedere in mandatis *Illust. Petro de*

Marca, Episcopo Tolosano, ut in linguam Gallicam verteret instructiones S. Caroli Borromæi. Quod continuò executioni demandatum fuit: & in Epistola, quæ hanc versionem præcedit, hæc habentur: Novitia illæ opiniones ita Christianam morum disciplinam; & Evangelicam vivendi normam adulterant, ut hujusmodi scientiâ quavis ignorantia longè sit potior.

87 Damnatis anno 1653. quinque Jansenii Iprensis famosis Propositionibus ab Innocentio X. quam Constitutionem Alexander VII. confirmaverat: Doctrina Angelica, controversiarum omnium Lydius Lapis, novam à Sede Apostolica approbationem accepit, de qua diximus alibi (a). *Sucesserant etiam his questionibus aliæ de opinionum PROBABILITATE; sed ne in animarum perniciem cederent, plures ex Ordine nostro scripsere juxta genuinam S. Thomæ doctrinam. In Italia quidem Fr. Julius Mercorus, Inquisitor Mantuanus; in Hispania, Fr. Joannes Martinez de Prado multis voluminibus; in Gallia, Fr. Joannes Baptista Gonet, & Fr. Vincentius Contenson; &*

alii

alii plures. Ita in *Compendiosis Chronicis RR. MM. Generalium*, editis anno 1690. (a) narrat tamquam peculiarem nostri Ordinis gloriam RR. Antoninus Cloche, B. M. Gen. Mag. Ordinis, & propterea laudatus à RR. Tyrso (b).

88 Propositionum Jansenii Defensores, & ipsi Bellum Probabilissimo indixerunt, sed eventu non planè felici. Quoniam in laxa doctrina confundenda proprios promovere de gratia divina errores, & in morum disciplina equò rigidiorē doctrinam invehere, callidè studuerunt. Innumeris technis Catholicis junctos diu sese simularunt. Verùm simulatione detecta, ad Hæreticorum Regiones receptui cecidere, ut affatim monstratum alias à nobis est. Anno 1656. Blasius Paschalis evulgare cœpit sub ascitio nomine Ludovici Montaltii famosas suas Epistolas ad Provinciales datas; quæ, vix spectata luce, anathemata, & flammæ expertæ sunt. Janseniano fermento, potissimum quatuor primas, inquinatas esse, comperitum est. Violatæ quoque sinceritatis in Casuistarum textibus referendis postulatus Pas-

chalis fuit: At peracto per mensem examine, nihil imposturæ, ad hoc quod attinet, repertum est. Magnum Epistolæ illæ excitavit incendium.

89 Anno 1657. P. Joannes Piroi librum evulgavit hoc inscriptum titulo: *Apologia Casuistarum, opposita Calumniis Jansenistarum*. Librum hunc, in quo laxiores Casuistarum Propositiones defenduntur, universi ferè Episcopi Galliarum diris, flammisque devoverunt. Vix enarrari potest, quæ scandala pepererit, quas turbas, rumores, pugnasque excitaverit. Librum implerem, si Decreta Synodalia, si Epistolas pastorales, quas primores Galliarum Episcopi in hujus libelli damnationem evulgarunt, recenserem. Protectores autem, ut tot fulmina declinarent, causam Romam detulerunt: sed fortunâ nequam feliciore. Namque Alexander VII. anno 1659. peculiari Decreto eundem libellum proscripsit. Hæc itaque *Apologia Casuistarum* adversus Epistolas Montaltii, pejorem Probabilistarum causam, celebriores Paschalis epistolas reddidit. In P. Piroi au-

E 4

xi-

(a) Tom. I. pag. 112. n. 203. Prædam. Thom.

(a) Pag. 119. (b) In introduct. citata pag. v. n. 18.

xiliare subsidium P. Honoratus Fabri, sub larva Bernardi Stubbach publicavit eodem anno 1659. Dialogum, dicatum Cardinali Francisco Albizi: Item Notas in notas, quas Wendrochius adjecit Epistolis Paschalis, ab eodem latine redditis Sacra Indicis Congregatio tum Dialogum, tum notas in notas P. Fabri proscripsit. Auxiliares copias contulit hoc eodem tempore P. Stephanus De Champs edito libello (quem refutavit N. Vincentius Baroni) inscripto, *Quaestio facti*. Eo in opusculo nullam atrociorum calumniam Societati suae impactam à Paschali in suis Epistolis credidit, quam *Probabilissimi* inventionem, & propagationem.

Hinc RR. Tyrsus, supplex ad SS. orat (a): *Negare nemo potest, cum sit evidentia facti, quin MONTALTIUS, WENDROCHIUS, plurimi Jansenistae, & inimici Societatis enixissime procuraverint: illam infamare ex hoc maxime capite, quod PROBABILISSIMUM amplecteretur UT SUUM. Et cum Deus pro infinita misericordia sua me dignatus est assumere in quaecumque instrumentum ad liberandam So-*

*cietatem à tanta infamia: quam indecorum, & quam periculosum esset ipsi Societati non agnoscere adeò singularem, & adeò beneficam Dei providentiam, & in illud ipsum probrum, & dedecus sponte ruere? ... Si autem illi, qui Societatem voluerunt infamare, tantam illi molestiam intulerunt ex aliquibus PROBABILISSIMI ramis, jam damnatis; quid fiet, quando praecipua capita damnabuntur? Quis Jesuita sine intimo dolore, & lacrymis tantam Societatis labem sustineret? Sustineret autem, si sententia illa in Societate prevaleret, aut nimis communis esset. E contra verò, erit Societati valde decorum, si Orbis agnoscat, quantum in ipsa PROBABILISSIMUS decreverit, antequam ejus falsitas infallibili Sedis Apostolicae judicio definatur. Famosus modò Caramuel (b) dehonestet primus Antiprobabilissimum maculâ Jansenismi, tametsi aliquali exceptione. Liberalius edat Terillus (c): *Jansenissimum esse matrem sententiae probabilioris; & ante Jansenissimum numquam fuisse auditam. Confirmet P. Carolus Casnedi (d) dicens: Hinc Caramuel, & P. Terillus, quibus**

bus ineptia esset in hoc praecipue fidem negare, cum inter Jansenistas diu vixerint, eorumque doctrinas apprimè noverint, censent, opinionem negantem licitum usum opinionis practicae probabilis, è Jansenii feretro vitam hausisse.

Hoc idem eructent verbum PP. Señeri, La-Croix (a), & ut alios praetermittam, Caducaus Theologicus, seu Crisis pacifica, opus Matrioni editum anno 1733. Quae ibi legitur (b) videat Lector, an dulcia somnia, vocare debeat; an monstra ridicularia, quae risum simul, & indignationem concitant. Merito Caducaus iste à Sede Apostolica proscribitur est. Haec enim sprete ex superius dictis, exolescunt. Haec impostura, magna valde, toti retrò antiquitati ante natum Jansenium, & Jansenistas, tot coavis, & superparibus, parcatur illis, & oretur pro eis. Dum tamen considero absurda gravissima, & damna inevitabilia, quae ex tam aperta falsitate, semel quòd ab imperito credatur populo, proficiscuntur; quotus sum, & possum, enixè oro Probabilistas, ut si bonis rationibus ex miseræ causae suae conditione ca-

rent, ad lutulenta, & inepta convicia non confugiant.

Quippè illo tempore, five anno 1656. in quo Paschalis suas in lucem edidit litteras, promulgatumque fuit generale bellum adversus Probabilissimum, laxasque doctrinas, non invenies nisi tres, quatuorve Jansenianos, id est, Paschalem, Nicole, Arnaldum, & Paulum Ireneum. Quid hi inter tantos Parochos, praecipuarum Galliae Civitatum, qui insurrexerunt adversus Probabilissimum, laxasque sententias? Conventum Episcoporum, habitum 1656. qui plura condiderunt Decreta ad frandandum cursum corruptelae, quae respergebatur? tot Praelatos, qui particularibus edictis damnarunt famosam Apologiam Casuistarum, quae virus efflabat corruptarum doctrinarum? tot Viros Religiosos ex omni ferme catu regulari; Illustres Doctores, & Sacerdotes saeculares, qui nomen dedere Militiae expugnandi laxissimum, in Moralem Euangelicam intromissum? Hi omnes, Catholici benè boni (quos uti tales agnoscere coacti sunt Probabilistae Adversarii) conveniunt in unum adversus pericu-

(a) Cit. Mem. ad Clem. XI. n. 8. de Conf. (d) Tom. I. disp. 4. (b) In suo Apolog. (c) Cit. tract.

(a) Lib. I. n. 293. (b) Pag. 245. num. 19.

culosum systema demonstrationibus, Instructionibus Pastoralibus, Decretis, libris editis: ita ut pauci Jansenistæ, qui cum illis ingressi sunt prælium, comparatè ad eos calculari non mereantur, quasi disparuerint in conspectu multitudinis Orthodoxorum præliantium.

Quare ipse P. Fabri (cujus liber fuit à novem sodalibus approbatus) loquens de primis laxissimi eliminatoribus, ne unum saltem recensere habet Jansenistam, sed Authores certò Catholicos numerat, scribens: *Nonnulli gravioris indolis, ac severioris genii, qui tantam, ut ipsi vocabant, licentiam, vel audaciam ferre non poterant.... exerto stylo morales illos Theologos, seu Casuistas, ut ajunt, fortiter aggressi sunt,* ET ACRITER IMPUGNARE TENTARUNT, præ cateris COMITOLUS, & CANDIDUS PHILALETE, UTERQUE EX NOSTRIS; quibus MERENDA, MERCORUS, FAGNANUS, MARINARIUS, AUGUSTINUS DE ANGELIS, VINCENTIUS PORRO, quidam ANONYMUS, & pauci alii (à quibus, ut dixi, ut regiis nutibus morem geram, omninò abstineo) accesserunt. Qui ergo aliter spargere ante faciem omnium Populorum non

etubescunt, vel ignari sint oportet effecti rerum, quæ proximo contigerunt sæculo; vel nec Deum timeant, nec homines reverentur, etiam doctos, & eruditos, & pios.

§. IV.

90 **S**Ed ut eò revertamur, unde processit sermo: Omnium librorum, qui ex Probabilistarum officina prodire, pessimus est, quem edidit P. Moya hòc inscriptum titulo: *Amadei Guimenii Lomarenfis Opusculum, singularia univèrsa ferè Theologia Moralis complectens, adversus Quorundam expositulaciones contra nonnullas Jesuitarum opiniones.* Opusculum istud confarinatum est laxioribus opinionibus, ex tractatibus univèrsæ Theologiæ Moralis collectis. Earumdem Authores perhibentur celebriores Thomistæ, & ipse D. Angelicus, parens declaratur tantarum laxitatum. Prodiit libellus iste verè famosus, primùm Valentia anno 1660. postea Bambergæ, & Panormi. Sed Lugduni editus anno 1664. Parisiis triginta Doctorum votis damnatus fuit uti *Antieuangelicus, & horrendarum abomi-*

na-

nationum plenissimus. Post Romæ anathemate plexus est. At P. Moya nihil admodum tot censuris perterrefactus, *Apolo-giam* edidit per modum *supplicis libelli*, ad Cardinales Sacræ Congregationis Indicis directi; qui similiter proscriptus est: tametsi in eò allegaverit, suum primum Opusculum evasisse sine nota à Tribunali Inquisitionis Hispaniarum, ad quod delatus fuerat anno 1658. & *Vincentium Baronium* falsò ipsum censurasse. Aliud P. Moya edidit opus anno 1669. cui titulus est: *Quæstiones selectæ*; quod pariter omnium laxitatum est compendium, & in quo noviter propugnavit amplum Probabilissimum, suumque opusculum, publicatum sub *Guimenii* nomine: meritò propterea proscriptum. Nihil itaque ei suffragantibus his propugnaculis, omnibusque mediis ab ipso exquisitis, ejus opera ter fuerunt Romæ prohibita: 1666. die 5. Aprilis à S. Congregatione Indicis; 1675. die 12. Septembris, à Congregatione S. Officii, & per manus Carnificis combusta; & tandem 1680. die 16. Septembris solemnè Decreto *Innocentii XI.* ut dictum est n.65.

91 Porro nonnulli interdicuntur libri ob acriores expressiones, & mordaciores; sed non propter falsam doctrinam. Hac unica ratione proscripta fuere opera N. *Vincentii Baronii*. Hic, ut erat singularis probitatis vir, religiosus ac timens Deum, humilitate multum ædificante confessus est, & non negavit, quòd occasione confutandi scripta PP. *Raynaudi*, & *Moyæ*, D. *Caramuelis*, & aliorum Probabilistarum, in ullas inciderit acriores expressiones; quas proinde sincerà poenitentia retractavit, & detestatus est. Sic adoptatis votis Censuræ Romanorum, qui ejus doctrinam probabant, & unam improbabant acrimoniam, secundam adornavit editionem (qua utitur *Concina*) eorundem operum suorum, & correctorum, & illustratorum suis præfatis retractationibus humillimis, ut plus proficuum redderet lecturam, & immunem ab omni prohibitione. Hæc dicta sunt ad instructionem minus peritorum, qui non distinguunt prohibitiones factas unicè contra modum scribendi, contrarium Charitati, à prohibitionibus factis con-

contra sententias laxè oppositas veritati. Hac secunda de causa interdicti sunt *P. Moyæ* libri, quos retractationis loco vindicare audacter conatus est, & iccirco ter condemnati sunt. Undè mirandum est valdè, doctrinam *Moyæ* in iis ipsis opinionibus, ob quas certè severissimis censuris ad prohibitas in prima classe ter relata est, laudari à Probabilistis, potissimum *La-Croixio*, & *Viva* passim, tamquam regulam conscientiarum, & in præsidium asciscere. Crediderim, eam post trinam damnationem non propugnari contra conscientiam illorum; sed deductos fuisse per viam non bonam, à qualicumque ratione ex Probabilissimi principiis hausta.

92 Denique anno 1664. *Apologema pro antiquissima, & universalissima doctrina de Probabilitate*, à *Caramuele* editum, damnatum *Romæ* fuit. Et hoc quoque tempore Episcopus in Belgio opera *Dianæ* diris devovit. *Caramuel* adversus Episcopum hoc pacto suum *Dianam* vindicavit (a): *Quidam Episcopus in Belgio interdixit ANTONINI DIANÆ RESOLUTIONES, iussitque ut nemo venderet, emeret, legeret, aut habe-*

*ret. Et Bibliopola solliciti interrogabant, possetne liber ille interdicti? Respondi illis... Si Dianæ libros Episcopus ille interdixit ut merces; viderint Consules, & Reipublicæ Patres, ad quos pertineat interdicerere merces... Si eosdem interdixit, ut nocivos PER ACCIDENS; nullam injuriam DIANÆ intulit, & suo fuit usus jure. Nemo enim in sua domo tenetur tolerare librum, etiam bonum, qui suis sit perniciosus per accidens. Quod si illos condemnavit, hic jam haberent Docti aliquid, quod patienter tolerare non possent. Non enim damnari possunt libri, qui à Doctis leguntur, approbantur, laudantur. Pauca hæc referunt *Caramuelis* genium, & perturbatam rationem. Libri, qui leguntur à doctis, proscribi nequeunt? Quid audacius, ne dicam infamius, excogitari valet?*

ARTICULUS II.

Probabilismo sub Alexandro VII. plagæ impositæ.

S. I.

93 **C**ard. *Aguirrius* (b) postquam de tenenda parte tuta, ubi opinio-

niones sunt ancipites vel probabiles, dixit: *Hic semper fuit spiritus Ecclesiæ tam in Pontificibus Romanis, Cardinalibus, & Episcopis, quotquot Conciliorum Decreta ediderunt, quàm in iis, qui pietate, & doctrina illos usque modò imitati sunt; adjecit: Unde ab initio ferè Pontificatus, laudati Alexandri VII. (quo tempore detectis suis subtilitatibus, & abstractionibus metaphysicis, comparuit Probabilismus cum tota claritate in sua vera facie) mirum est, quo zelo, qua eruditione, & constantiâ, QUAMPLURIMI EPISCOPI præstantissimi, partim vitâ sancti, partim superstites PROBABILISMUM LUXURIANTEM represserint. Quot Concilia ab eo tempore in Gallia contra illum usque modò celebrata sunt, unanimi Patrum congregatorum suffragio, à *Merbesio*, & aliis exscripta. Qui conventus Episcoporum, Doctorum clarissimæ Sorbonæ, ac *Parochorum Parisiensium, Rothomagensium*, aliorumque ad illum exterminandum, & ad proscribendam famosam illam APOLOGIAM CASUISTARUM conspirarunt... Sed & laudandus est maximè inter Regulares clarissimus Ordo, qui hortatu *Alexandri VII. vexillum extulit**

adversus Moralem laxam perdoctissimos alumnos suos, Joannem Martinez de Prado, Julium Mercorum, Baronium, Vincentium Contensonium, Piccinardum, Gonctum, aliosque similes amplissimo fructu. Et meritò quidem ita se gessit: cum nihil aliud discere potuerit ab incomparabili suo Magistro Doctore Angelico, imò & ab Augustino, ac cæteris Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, & mores ille divino ingenio, & admiranda claritate explanavit, atque in methodum redegit. Idem ferè dixerim de multis Religionibus, præsertim Militantibus sub regula S. Augustini, S. Francisci, & Carmelitarum, aliisque. MULTI ENIM VIRI DOCTISSIMI ex iis intra & extra Urbem, in lucubrationibus suis partim scriptis, partim editis, student, ac studuerunt, Probabilismo frænum imponere, abjectâ illa regula lesbia, & malè fida, qua plerique à fine ferè sæculi præcedentis abducebantur... Idem etiam curarunt hoc tempore nonnulli celebres Scriptores Benedictini... Verùm longè antea in Congregatione Benedictina Hispaniæ non defuit, qui doctrinis Casuistarum laxis antidotum pararet. Anno 1653. Vivente

(a) In Theol. fund. pag. 89. (b) In cit. Præfat. ad CC. Hisp.

adhuc Innocentio X. electus fuit Generalis ipsius Reverendissimus Magister D. Bernardus Hontiveros, primarius Theologiae Professor in Ovetenſi Academia, Theologus Majestatis Catholicae, ac Consultor Supremi illius Fidei Senatūs, Vir spectatissimae pietatis, ac sublimis doctrinae. Is ab eo tempore invehatur acerrimè adversus laxas Casuistarum opiniones, &c. Postea anno 1658. fuit electus Episcopus Ecclesiae Calaguritanae, eodem tempore, quo praerant Oxomensi D. JOANNES DE PALAFOX, & Placentina D. LUDOVICUS CRESPI. Tres hi Praesules doctissimi pariter, & vite exemplarissimae, famā ac scriptis insignes, hortatu Eminent. Card. BALTHASARIS DE MOSCOSO, ET SANDOVAL, Archiepiscopi Toletani, coeperunt communi consilio exagitare Probabilissimum tunc longè, ac latè grassantem.

94 Quatuor supra viginti Episcopi in Gallia, alii in suis litteris Pastoralibus, alii in suis Synodis Probabilissimum è suis Dioecesis, veluti exitialem doctrinam exterminarunt: Quorum censuras in Probabilissimum legessis apud Patuzzium (a). Nec satis fuit Episcoporum

zelo pro sana doctrina tuenda, suis Decretis aditum erroribus pracludere; sed juxta pervertitum morem, supplices dedere preces ad Apostolicam Sedem, ut ex universo Christiano Orbe eliminaret doctrinam novam, sacrae antiquitati incognitam. Summus Pontifex Alexander, qui adhuc Cardinalis intellexerat querelas, & audierat recursus propterea factos ad Sedem Apostolicam, vix ad Thronum Apostolicum fuit assumptus, oblitere, ac mederi decrevit continuo gravissima mala, quae inundabant quaquaversum ex infrāni Theologorum licentia Probabilistarum. Prima occasio, quae sibi sese obtulit, referandi justa consilia sua contra novellas luxuriantium ingeniorum adinventiones, fuit Capitulum Generale Ordinis nostri, celebratum Roma in principio sui Pontificatus, id est, anno 1656. cui significatum est, *tedere Sancitatem suam novarum opinionum in hoc seculo ad moralem materiam introductarum, quibus disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientis cum gravi animarum*

pe-

(a) Tract. Della reg. prof. delli azioni umane, tom. 2. part. 3. cap. 5. a pag. 104. ad 129.

periculo illuditur, maximèque velle à Theologis nostris in Ecclesiae hoc morbo laborantis remedium, opus parari ex severiori, ET TUTA D. THOMAE DOCTRINA, qua haec morum licentia, qua in dies grassatur, quasi cauterio cohiberetur. Ita Vincentius Baronius, qui ipsis Comitibus interfuit tamquam elector Provinciae Tolosanae, & Joann. Bapt. Gonet (a), qui eodem tempore vivebat. Praecepto, aut voto Summi Pontificis conforme, ut par erat, conditum est Decretum Ordinis, de quo in nostra Praefatione n. vi.

95 Visum est insuper Summo Pontifici similiter ordinare Illustri Societati Jesu, ut haec binæ Religiones unitae in eodem spiritu, iisdemque principiis, efficacius promoverent sanam Jesu-Christi doctrinam, confutarentque laxas doctrinas probabilisticas. Documentum istud debemus RR. Tyrso, in laudato toties Memoriali, sic oranti (b): *Idem* (quod jam praescripserat RR. Vitelleschi, de quo prius ibi, & nos supra n. 80.) *praescripsit P. Goswinus Nikel, ut satisfaceret ARDENTIBUS VOTIS SUMMI PONTIFICIS ALEXANDRI VII. per haec*

verba gravissima: CONEMUR, OMNIBUS QUIBUS POSSUMUS MODIS, CALUMNIIS ISTIS ANSAM PRÆSCINDERE. MEMINERIMUS QUOD SUIS OMNIBUS PRÆSCRIP-SIT S. Pater noster in Constitutionibus part. 4. cap. 5. §. 4. scilicet: SEQUANTUR IN QUAVIS FACULTATE SECURIORUM, ET MAGIS APPROBATAM DOCTRINAM. ET CUM SCOPUS DOCTRINAE OMNIS IN SOCIETATE, uti monet idem S. P. N. initio cap. 5. part. 4. SIT SUIS, ET PROXIMORUM ANIMIS, Dei favore ASPIRANTE, PRODESSE, SECTEMUR IN PRAXI SENTENTIAS UTILES POTIUS, QUAM JUCUNDAS; ET IN DIRIGENDIS CONSCIENTIIS TAM VOCE, QUAM SCRIPTO STUDEAMUS PRODESSE PROXIMO MAGIS, QUAM PLACE-RE. Quid pius iste Praepositus Generalis suggerere poterat efficacius, atque conformius Pontificis moeroribus, quam immittere in oculis suorum Religiosorum Constitutiones ipsas S. Patriarchae sui, quae aperte praescribunt sequelam securioris, & magis approbatæ doctrinae, seu, quod idem est, magis probabilis, ut conformes fiant spiritui vocationis suae?

96 Præterea, cum ad aures SS. Pontificis, qui totus ar-

(a) In Praefat. de Conf. prob. tom. 3. pag. mihi 260. (b) Loco cit. n. x.

ardebat zelo extirpandi ab Ecclesia laxitatem probabilisticam, pervenisset, *P. Michælem Elizalde*, alterum ex *Theologis majoribus*, quos tùm haberet *Societas*, ut attestatur Cardinalis *Pallavicinus*, scribere super materias Morales; eum certiore fecit per laudatum Cardinalem, suam intentionem & votum esse, ut exagitaret quæstionem de Probabilismo, & refutaret: quemadmodum & fecit opere insigniori inter insignia hujus generis. Sic ipse *Elizalde* obtestatur (a): *Cùm in hunc fermè modum affectus essem, & Quæstio illa de Probabilibus in dies magis glisceret, injunctum mihi fuit à Vtro, in Ecclesia Dei ejusque regimine conspicuo, Eminentissimo Card. Pallavicino, ut causas istas haud refugerem, sed ingrederer, ac tractarem; ac INTENTIONEM VICARII CHRISTI, ut id exequerer, significavit. Quibus obtemperans, hoc quale quale opus confeci. Et hæc est confessio mea verissima ad te Dominum Deum vivum, & verum.*

97 Hoc ardentissimo desiderio motus idem Pontifex proscripsit, & interdixit sub gravibus pœnis *Apologiam Ca-*

suitarum, Apologeticum Caramuelis, & opera Amadei Guimenii. Supplicationes Gallorum Præsulum paternè excepit, & Propositiones ex Probabilistarum libris decerptas, fibique à laudatis Episcopis delatas, Sapientum Prælatorum, & Theologorum examini subjecit, & ano 1665. octo supra viginti earundem damnavit, inter quas penultima, sive 27. altera est ex præcipuis systematis probabilistici: anno autem sequenti 1666. proscripsit insuper decem & septem alias. Quin & firmaverat corde & animo, condemnare speciali constitutione totum & integrum Probabilismum, ac præscribere in ea rectas, & sanas regulas, necessarias ad directionem bonam humanarum operationum.

98 Testimonium, omnî exceptione majus, perhibet veritati huic *D. Stephanus Gradus*, Præfectus Bibliothecæ Vaticanæ, tunc Romæ vivens; qui coram tota Urbe, securus de objectione ulla mendacii, hæc narrat (b): *Hæc orta censura est, ut ego propter fidelem ILLIUS TEMPORIS NOTITIAM (neque enim obscura res erat)*

§. II.

erat) *comptum habeo, ex animi indignatione ALEXANDRI Pontificis adversus absurdas quasdam opiniones suscepta: cœperatque impetum egregius honoris Dei zelator, gravia omninò, ac severa de hac re tota (id est, de Probabilismo, de quo ibi sermo est) statuendi, & malum, ut ajebat, IN SUO FONTE, AC RADICE funditus excidendi, diserta edita Constitutione, ex qua nimirum hujusmodi regundorum Leges & rationes facile peterentur: fecissetque sine dubio, nisi intervenisset ejus consilio Cardinalis Pallavicinus, cui accuratorem deliberationem desiderare ea visa res est, quàm ut celeriter, quod apparebat futuram, explicari posset: ac multo fore consultius, si dilatà tantisper pleniore censurâ, ipse in præsentia opiniones nominatim configerentur, ut factum est.... Adjectaque Præfatio, qua licèt sub involucro verborum, VERÈ MANIFESTUM facit decernentis animum, AB EA PHILOSOPHANDI DE MORIBUS RATIONE ALIENUM, quàm propterea, ut vides, appellavit MODUM OPINANDI contrarium Evangelicæ simplicitati, Sanctorumque Patrum doctrinæ.*

99 **P**ORRò laudata *Dei creti Alexandrini* præfatio ejusmodi est: *Sanctissimus Dominus noster audivit, non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ discipline relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus MODUS OPINANDI irrepsit ALIENUS OMNINO AB EVANGELICA SIMPLICITATE, ET SS. PATRUM DOCTRINA, & quem, si pro certa regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Certè doloris materia sunt laxæ opiniones; sed methodus opinandi aliena ab Evangelica, Patrumque doctrina, lachrymas extorquet amarissimas.*

100 Profectò exceptis Authoribus Canonicis Sacrorum Bibliorum, quàm pauci à veritatis tramite aliquandò non deviarunt! Verùm aliud est errare in aliqua particulari opinione: aliud eligere novellum systema, cujus universalis sit scopus, in omnibus

(a) Lib.8.q.6.§.10. (b) In resp.ad P.Honorat.Fabri apud Patuzzi loco citat. pag. 99.

controversiis, ex una & altera disputabilibus parte, legem divinam humanæ libertati accommodare, ita ut per hoc generale systema resolvi debeant quæstiones morales. Graviores Theologi fortè docuerunt in omni sæculo qualemcumque sententiam sive *improbabilem*, sive *falsam*. At systema universale, à cunctis Patribus, atque Theologis Catholicæ Romanæ Ecclesiæ per quindecim & amplius sæcula religiosè servatum, semper fuit, amplectendi in quæstionibus dubiis *securiorem*, & in probabilibus *probabiliorum*. Eorum itaque errata non inferunt, appellandos esse laxarum doctrinarum Authores, dummodò illorum sententiæ sint communiter veræ, ac congruæ ipsorum systemati; sed summos quidem esse, homines tamen, qui propterea aliquid humani passi sunt. Legimus in Ecclesiasticis historiis sententias damnatas sive in materia fidei, sive morum; cæterum non legimus erectum inter Catholicos recentes umquam aliquod opinandi systema, *alienum omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & christiana disciplina*. Dumtaxat Ec-

clesia anno 1665. palàm fecit novum hocce systema perniciosum post nativatem Probabilismi. Alterutrum ergo præstare debent Probabilistæ; aut fateantur, *Alexandrum VII.* ibi declarasse, Probabilissimum adversari Patrum doctrinæ, atque ipsi Evangelio: aut alium modum laxè opinandi nobis ostendant, à Probabilismo distinctum, Patribus & Evangelio contrarium, deploratumque ab *Alexandro*.

101 Sanè qui sunt isti Theologi, pro quibus lamentatur? Qui sunt ii, qui complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas protulerunt veteres, ac novas? Quæ illa ingenia summè luxuriantia, quorum execratur licentiam, atque novum opinandi modum in moralibus? Nonnè necessarium est, omnes confiteri, quòd alii non sint, nisi Probabilistæ illius mediæ sæculi, cum res sit explorata, non de aliis loqui Summum Pontificem? Hi ergo sic describuntur, & delineantur ab *Alexandro PP.* ut sicut ipse illos prosternit, ita cuncti fideles agnoscerent, nullius eos esse pretii, & autoritatis in Ecclesia. Quid? Univerfa Ecclesia Gallicana in suo Con-

lio

lio nationali anno 1700. ita intellexit. Ea enim *Alexandri* verba, MODUS OPINANDI IRREPESIT, &c. hoc pacto interpretatur: *Quæ sententia, non modò errores increvissè queritur, verumetiam (quod caput est) adnotari voluit, ipsam rei tractandæ rationem eam introductam esse, unde videremus, corruptelam morum, non modò secutura, verumetiam factò velut impetu irrupturam, quam vix cohibere possimus.* Et subdit: *Neque verò, fuit satis Sanctissimo Pontifici, novam hanc methodum ludificandæ conscientia, & involvendæ veritatis, hoc est, ipsum mali detexisse fontem; sed exitialis doctrinæ rivulos infestatus, complures Propositiones... damnavit, & prohibuit.*

102 Ad istius planè Alexandrini Decreti promulgationem palluerunt Probabilistæ, ac si fulmine plexum spectassent proprium systema. Sapientiores tamen Probabilistarum, veluti à somno, orta luce, experrecti, seriùs causam recognoscere, eamque, falsitate comperta, detestari cœperunt. Hos inter eminent Card. *Pallavicinus*, non minùs scientiâ & eruditione,

quàm purpurâ splendidissimus. Propugnaverat, communi veluti abreptus tunc temporis Moralistarum conspiratione, systema probabilisticum. Sed evulgato Pontificis Decreto, retractare destitavit è vestigio doctrinam, Patribus adversantem, & Evangelio. Hujus retractationis testes sunt ejusdem nepos *P. Nicolaus Pallavicinus*, RR. *Tyrsus (a)*; & *P. Elizalde (b)* addit, præfatum Cardinalem sibi dedisse in mandatis ut illam ediceret. Spectata tantorum testium dignitate, fama, probitate, atque sapientia; quis poterit sustinere ausum, ut mitiùs loquar, *P. Ia-Croixii* asserentis (c), non constare de retractatione?

103 Idem *P. Elizalde* testatur quoque (d), se post excussam Probabilismi caliginem, & receptam veritatis lucem, calamum in Probabilissimum stringere, suadente, nedum Card. *Pallavicino*, sed vel ipso Christi Vicario. In dubiumnè benignista *Ia-Croixii* pieratem & sinceritatem tanti Viri revocabit? Ubique clamat probabilistica benignitas

F 2

tas

(a) De rect. usu. op. Prob. Dissert. 13. §. 11. p. 359. (b) 1. p. lib. 3. q. 8. pag. 158. (c) Lib. 1. n. 323. (d) Lib. 8. q. 6. p. 135.

tas, bonam habendam de omnibus, etiam de ipsis ferè vitiosis, opinionem. Et ut suæ illudentis benignitatis larvam defendant Probabilistæ, in discrimen adducere non erubescant sanctorum Virorum fidem? Doctissimus demùm Card. de Aguirre, Probabilismi à pluribus annis fucò deceptus, falsam recognovit doctrinam, ut apud ipsum legere est (a). Utile proposuisse exemplar, constat novissimè diebus istis ex doctissimo, ac piissimo Viro, qui suo operi jam pridem edito, præfigi mandavit anno 1758. linguâ vulgari hæc sequentia.

104 „ Amigo Lector: Ha-
„ llome yà muy abanzado en
„ este camino, por donde to-
„ dos los mortales corremos
„ con aceleracion à compare-
„ cer en aquel Supremo, y
„ terrible Tribunal, en que
„ no solo han de ser juzga-
„ das todas nuestras operacio-
„ nes, si tambien hemos de
„ responder por las de aque-
„ llos, que han seguido nue-
„ tras doctrinas; y así padece
„ mi animo una grande agita-
„ cion, por haver dado à la
„ estampa algunas opiniones
„ morales, que aunque aliàs

„ probables, como no son las
„ mas seguras, pueden ser per-
„ judiciales en los tiempos
„ presentes, en que se advier-
„ te, y llora por las almas jus-
„ tas, y de sana vista una ge-
„ neral relajacion en todos es-
„ tados, y costumbres, intro-
„ ducida con el abuso de la
„ probabilidad, que nuestra
„ miseria hace degenerar en
„ laxitud, como que el fra-
„ gil material, de que nos
„ componemos, propende por
„ naturaleza al quebranto; y
„ como conozco por mi mis-
„ mo, que nuestras concien-
„ cias mas necesitan de fre-
„ nos, que las sujeten, que
„ de doctrinas, que las en-
„ sanchen, y la larga expe-
„ riencia me ha hecho tocar,
„ que las balanzas, en que
„ por lo comun pesamos las
„ opiniones, no son aquellas,
„ que nuestro Gran Padre San
„ Agustin abona por fieles,
„ quando dice, y aconseja en
„ el Tomo 9. p. 101. l. B.
„ Non afferamus stateras dolo-
„ sas ubi appendamus, quod vo-
„ lumus, & quomodò volumus
„ pro arbitrio nostro dicentes:
„ HOC GRAVE, HOC LEVE EST:
„ sed afferamus divinam state-
„ ram de Scripturis Sanctis,

„ tam-

„ tamquam de thesauris Domi-
„ nicis, & in illa quid sit gra-
„ vius appendamus, imò non
„ appendamus, sed à Domino ap-
„ pensa recognoscamus, el qual
„ texto se refiere en el Can.
„ Non afferamus, y confirma
„ el Santo Padre lo mismo en
„ el Enchirid. ad Laurent. cap.
„ 78. quando dice: Auferantur
„ de medio chartæ nostræ, proce-
„ dat in medium codex Dei, sino
„ las balanzas, que declinan
„ àzia la parte del amor pro-
„ pio, del util, ò deleytable;
„ y finalmente, como estoy
„ firmemente persuadido à
„ que el sistema del Probabi-
„ lismo expone nuestras debi-
„ les conciencias à passar de
„ la menor seguridad al ries-
„ go, y de èste al pecado por
„ abuso, y que dicho sistema
„ (como hace ver difusamen-
„ te el doctissimo, y piissi-
„ mo Cardenal de Aguirre en
„ su ratio operis ad Lectorem
„ de la Historia de los Con-
„ cilios de España) està muy
„ distante de la disciplina, y
„ piedad antigua de la Igle-
„ sia, de las tradiciones Apos-
„ tolicas, Sanciones Canoni-
„ cas de los Concilios, y doc-
„ trinas de los Santos Padres:
„ Por tanto, siguiendo al mis-

„ mo Cardenal en retractarse
„ de las opiniones del Pro-
„ babilismo, y (lo que es
„ mas) à mi Santo Padre, y
„ Patriarca San Agustin, que
„ me dà el mismo edificante
„ exemplo en su libro de Re-
„ tractaciones; para quietud
„ de mi alma, y descargo de
„ mi conciencia, me retrac-
„ to de la opinion que de-
„ fiendo en el Tomo 2. de
„ mi Flor Moral, y en el Com-
„ pendio trat. 18. de Concienc.
„ cap. 4. num. 1. esta es: Que
„ se puede seguir la opinion proba-
„ ble, y menos segura, dexando
„ la mas probable, y la mas segu-
„ ra; y digo, que no puede li-
„ citamente seguirse, y que
„ esta mi Retractacion debe
„ contraerse à todas las ma-
„ terias particulares, en que
„ defiendo las opiniones pro-
„ bables, y menos seguras.

„ Y para mi mayor sosie-
„ go espiritual ruego, y en-
„ cargo la conciencia à to-
„ dos los que cuidaren de las
„ reimpressiones de mi Flor
„ Moral, y de su Compendio,
„ el que hagan imprimir, è
„ insertar esta mi Retracta-
„ cion; y à ti, Amigo Lec-
„ tor, para que yo en nada
„ quede contigo, ni por ti

F 3

ref-

(a) Tom. I. Theol. S. Anselm. & in Prefat. ad CC.

„responsable ante Dios, y
 „mis errores de entendimien-
 „to no passen à tu voluntad,
 „te pido, que siempre que
 „leyeres mis Obras, tengas
 „presentes las siguientes pala-
 „bras de mi Padre San Agus-
 „tin de Dono persev. Tom. 10.
 „p. 858. l. C. *Qui legunt hæc,*
 „*si intelligunt, agant Deo gra-*
 „*tias, qui autem non intelligunt,*
 „*orent, ut eorum ille sit Do-*
 „*ctor interior, à cuius facie est*
 „*scientia, & intellectus. Qui ve-*
 „*rò errare me existimant, etiam,*
 „*atque etiam que sunt dicta con-*
 „*siderent, ne fortassis ipsi errent.*
 „Vale, & ora pro me.

Fr. Joseph Cliquet.

105 Sed ad rem, à qua tantillum, & utiliter digressi sumus, regrediamur. Qualis ardor incaluerit in omnium animis benè dispositis contra doctrinam probabilisticam ex accenso igne, toties erumpente à supremo Ecclesiæ Catholicæ Pastore, nemo facilè imaginari valet. Sapientiores Prælati, & Theologi apprehenderunt Romæ arma & scutum ad eam aggrediendam, atque expugnandam. Visi sunt ad bella procedere tum stre-

nuiiores antesignani, D. Fagnanus, qui semel iterumque contra illam edidit tractatum, qui legitur in cap. *Ne imitatoris*: D. Stephanus Gradius, qui confutavit quidquid P. Honoratus Fabri scripserat propter defensionem Probabilismi: Antonius Marinarius Carmelitanus, Sapiens Theologus, qui eruditum ac robustum evulgavit librum adversus novellam doctrinam; & sapientissimus P. Elizalde, jam laudatus. Tum comparuere armati ad pugnam Augustinus Angelorum, Julius Mercorus, Joannes Martinez de Prado, Vincentiu Baronius, Contensonus, Gonetus, Bancellus, Piccinardus, & ut loquitur AGUIRRIUS, multi alii Viri doctissimi intra, & extra Urbem in lucubrationibus suis: & omnes consensu unanimi genus ejuscemodi doctrinæ oppugnaverunt, persecuti sunt, atque destruxerunt divinis Scripturis, Conciliorum, Patrumque testimoniis, potentioribus rationibus, & efficacioribus.



§. III.

§. III.

106 U Na jam oculorum acie intueri, Lector, gravissimam, quam passus cladem est Probabilismus, continuò ac emanarunt Decreta Alexandrina. Non propterea animos desponderunt Probabilistæ, sed ut ex tot cladibus convalescerent, artificiis se dederunt. In scenam induxerunt Jansenistas, ad impossibilia Christianos adigentes. Erigere suam afflictam causam reputarunt, si doctrinam Probabilismo infestam Janseniana fuligine tingerent. Id pro votis successurum sperarunt, ex quo probabilior doctrina, contraria sit carni & sanguini, humanisque appetitionibus omninò adversa. Idcirco cœperunt eam appellare rigidam, traducere ut severam, ejusque Authores rigoristas. Rigorismum reapse docebant Jansenistæ. Rigorem & severitatem spirare Legem Evangelicam, Christo ipso, atque experienciâ teste palam est. Ex affinitate vocis sacri Evangelici rigoris cum rigore damnato Jansenistico extremam conflare invidentiam, odiumque optimæ causæ sanioris do-

ctrinæ, sibi illudentes blandiebantur Probabilistæ. Contrà verò, Probabilissimum appellare cœperunt sententiam benignam. Exquisita arte curarunt, Rigorem Evangelicum cum rigore Janseniano, benignitatem Evangelicam cum benignitate carnali, & laxitate permiscere, ac confundere, ut his cuniculis Probabilistico capiti providerent.

107 Tantæ imposturæ præcipuus artifex Terillus fuit, ut dictum est. Qui hunc legerit (a), judicet, an P. Terillus eorum fuerit, qui ingenio non carent, sed sanitate indigent. Sanè Primi Theologi, Medina, Lopez, Vazquez, Amicus, alique communiter, qui Probabilissimum aut foverunt, aut propugnarunt, sincerè falsi sunt, & candidè, incognitum illum fuisse penitus antiquioribus Theologis omnibus. Factum istud contestantur utriusque partis Patroni per dimidium & amplius sæculum. In medium irrupit Caramuel, qui se novam Theologiam invexisse non veretur jactare. Terillus in campum prodiit, sed armis oppositis cinctus. Vale dedit omnibus suis Magistris Probabilistis:

F 4

(a) Tract. de Consc. q. 22. n. 113.

ftis : contra omnes utriusque partis testes scribit, Theologos antiquos Probabilismum docuisse. Unde tanta homini libertas huic, ut potuerit factum luculentissimum negare, & oppositum solus affirmare primus cum *Caramuele*? Præsto adest ratio, ex notoria facti alterius veritate.

108 *P. Ludovicus Molina* ultrò in sua *Concordia* testatus est, suam sententiam & doctrinam de *gratia* & *scientia media* incognitam fuisse *Augustino*, Doctore gratiæ. Temporis decursu, causâ in discrimen vocatâ, deprehensum fuit, malè audire in Ecclesia doctrinam illam, quam cum Augustiniana pugnare, illius inventor sincerè ac candidè confitetur. E re propria esse iudicatum fuit, rerum faciem oppositis adumbrare coloribus, permutare signa, & collabentem causam, antiquitatis, & ipsius *Augustini* patrociniò sustinere. Videtis votum Card. *Dominici Passionei* (a) in causa Beatificationis V. Servi Dei Card. *Roberti Bellarmini*. Idem omnino evenit in probabilistica lite. Post latum ab *Alexandro VII.* Decretum, postquam auditum est, *irrepsisse*

opinandi modum ab Evangelica simplicitate, & *Patrum doctrina alienum*, continuò *Terillus* evulgavit, vel ipsam Beatissimam Virginem *Probabilismò* usam fuisse in investigatione filii sui : continuò, nullo habito vel proprii pudoris respectu, detorquere cœpit antiquiorum Theologorum textus : Fratrum suorum sincerissima testimonia rejicere : nova excogitare principia : universam implicare sophisticis argutationibus causam : atque *Probabiliorismum* involvere cum sententia *Tutoristarum*. Legendus *P. Camargus* (b). Sed hæc sufficiant, ut quisque colligat, quàm sit afflicta causa ea, cujus potissimum Patronus nullam meretur fidem ; negat enim facta ipsa, quæ Sole meridiano sunt clariora, eaque comminiscitur, quæ vel Poëtæ non auderent fingere.

109 *Prima P. Tamburini* in palæstra casuistica velitatio, in parvo *tractatu expeditæ Confessionis* sita, adeò arrisit RR. *Vincentio Caraffa*, Præposito Generali ejusdem Societatis, ut jussit eidem hac methodo universam digerere Theologiam Moralem. Mandatis pa-

paruit *Tamburinus*, atque Decalogum commentariis in decem libros tribuitis explicuit. Laxioribus scatet opinionibus opus istud : pluriès tamen cum in Italia, tum in Gallia editum. Card. *Retz*, Archiepiscopus Parisiensis, universo Clero suo id postulante, anno 1659. *Tamburini* opus pro scripsit. Censura, quam huic operi affixerunt triginta *Parochi* etiam Parisientes, laxitatibus refertum opus ostendit. *P. Martinus Esparza* probabilistica causæ hoc tempore suppetias tulit opusculo edito. Hi, aliique Societatis Theologi arma stringentes in Probabilismi defensionem, ansam præbuerunt Adversariis, doctrinam Probabilisticam adjudicandi eidem Societati. Et quoniam, veluti ex lutulento fonte turbidi rivuli, ex Probabilismo profectæ sunt morum laxitates, & corruptelæ ; qua ratione Probabilismus, eadem opiniones laxæ attributæ eidem fuere. Heinc origo *Theologiæ laxæ*, & *Moralis practicæ* : qui tamen libri damnati sunt ob imposturas, erroresque quos continent. Apologiæ *PP. Piro*, *Annati*, *Moya*, *Dechamps*, aliorumque, sinistram auxerunt

famam, rumoremque.

110 Tot inter turbas, & conflictus in medium apparuit *P. Faber*, duobus tomis in folio armatus. Operis titulus est : *Honorati Fabri S. J. Apologeticus doctrinæ moralis ejusdem Societatis*. Lucem Apologia hæc aspexit anno 1669. novem Societatis Theologorum suffragiis munita. In Præfatione fatetur, eruditos juniores paulò liberius, & ut vulgò dicitur, laxioribus habenis in vastissimo illo moris campo discurrere : *Qui tamen*, inquit, *non sunt ex nostris*. Quinam ergo ? *Diana*, *Pasqualigus*, *Caramuel*, *Joannes Sanchez*, aliique *modico sane numero*. Hæc *Fabri* narratio est opposita narrationi, quam vidimus, *Terilli*. Hic quippè eodem circiter tempore scribit : *Innumerales sunt, qui à triginta annis Summis casuum, rerumque moralium tractatibus Bibliothecas impleverunt.... In opiniones laxiores oculos, animumque conjecerunt*. *Terillus* unam, *Faber* alteram fatetur veritatem ; & similiter unus unam, alter alteram falsitatem colore probabilistatitatis defendit. *Innumeros* laxioris Ethices Authores asserit *Terillus*, in hoc verax. *Paucos* exhibet *Faber*, in hoc de-

(a) Pag. 42. n. 20. (b) In Præfat. §. 5.

deceptus. Primos Probabilif-
mi strenuos oppugnatores te-
statur *Faber*, fuisse *Comitolium*,
& *Candidum Philaletum*, utrum-
que ex nostris, *Merendam*, *Mer-
corum*, *Fagnanum*, *Marinarium*,
Augustinum de Angelis, *Vincen-
tium Baronem*, *Anonymum*, &
paucos alios. *Terillus* contra,
primos Probabilissimi oppug-
natores *Jansenistas* obtrudit.
Uterque igitur aliquid veri-
tatis, uterque aliquid falsita-
tis prodit.

Hoc quod *Faber* asserit, *Dia-
nam*, *Pasqualigum*, *Caramue-
lem*, Authores esse laxarum
opinionum, negabunt alii; ad-
dentque, *Thomam Sanchez Ca-
stropolium*, *Tamburinum*, *Es-
cobarium*, *Busenbaum*, *Lefsi-
um*, *Moyam*, *Burgaberium*, *Baunium*,
La-Cruz, *Zanardum*, *Leandrum*,
aliosque plures, nec tantil-
lum in laxitate cedere *Dia-
nae*, *Pasqualigo*, *Caramueli*. Sed,
tricus misis, ea est acerbis-
simi doloris materies, ut jam-
pridem deploravit *P. Elizalde*
(a), quod omnes fatean-
tur, laxarum opinionum pe-
stem inquinare morum San-
ctitatem: è contrario autem,
omnes ferè Probabilistæ, qui
dictam veneficam laxitatem
fatentur, partium studio præ-

venti, negant laxam reperi-
ri doctrinam in libris Autho-
rum, qui suum proprium In-
stitutum professi sunt. Domi-
nicani jam diu falsi sunt, *Lo-
pez*, *Zanardum*, *Manriquez*, *La-
Cruz*, aliosque laxa scripserunt.
Si omnes eadem sinceritate
faterentur, proprios Casui-
stas tradere complures opiniones,
Christiana disciplina relaxativas,
& *animarum perniciem inferen-
tes*; brevè moralis scientia pri-
stinum suum recuperaret spen-
dorem; quia omnes, *summa
luxuriantium ingeniorum licen-
tia* (ut loquitur Decretum)
in dies magis excrescenti, obli-
steremus viribus totis.

ARTICULUS III.

*Probabilismus sub Innocentio
XI. semivivus relictus.*

§. I.

III **C**elebris Universi-
tas *Sorbona*, cu-
jus *fixa, constantiaque Decreta
semper suspexit Ecclesia*, ut lo-
quitur *Melchior Canus* (b); die
16. Julii 1658. præmissò ac-
curatissimo examine, varias
theses (quas omnes docent
La-Croix, alique Probabilistæ

moderni) solemniter notavit
censuris. Illarum prima est:
*Cum salute homo potest sequi
quancumque opinionem voluerit,
dummodò alicujus magni Docto-
ris opinionem sequatur: nam
unicum magnum Doctorem con-
stitueret opinionem extrinsecè pro-
babilem, docent quatuor supra
viginti Doctores.* Secunda:
*Quamvis opinio sit falsa, potest
quilibet tutà conscientia illam
practicè sequi propter authorita-
tem docentis.* Tertia: *Ille, qui
judicat aliorum opinionem impro-
babilem à principiis intrinsecis,
potest nihilominus ab extrinsecis
propter auctoritatem judicare pro-
babilem, & juxta illam opera-
ri: quæ doctrina ferè commu-
nissima est.* Quarta (a) deni-
que: *In Questionibus de bono
& malo, licito, vel illicito, ju-
re divino vel humano potest quis
sequi opinionem minus probabilem,
minusque tutam, relictà proba-
biliore; & magis tutam, etiam
sibi nota ut tali.* Censura verò,
quam tulit, est ejusmodi: *Do-
ctrina harum Propositionum falsa
est, temeraria, innumeris novi-
tatibus, & corruptelis viam ape-
riens, & conscientia regulas ever-
tens.*

II2 Hæc censura *pralu-
dium* appellari valet alterius,

quam occasione cujusdam the-
sis, quæ ad publicam paraba-
tur palæstram, tulit *Acade-
mia Piëtaviensis* 22. Junii 1665.
his elegantioribus expressioni-
bus: *Nec tamen, dixerunt, tot
fulminibus attrita est insaciata
illa commentandi libido, imò in
dies excrescit, & ab inexhausto
vaga PROBABILITATIS suæ penu,
nova semper proferre molitur. Hac
est illa perniciofa tot errorum sca-
turigo: hæc radix, hæc officina,
dum cæco quodam impetu, non
quod aternæ legi consonum est, te-
netur, sed quod pluribus, imò
vel unico Recentiori Scriptori sub
aliqua PROBABILITATIS luce afful-
serit. Et hac gravi præfatione,
aliisque præmissis reflexioni-
bus, pergit: *Has theses duobus
Doctoribus examinandas commisit
(sacra Facultas) quibus data die
auditis, & re tota in delibera-
tionem frequenti Collegio addu-
cta, Apostoli dicto audiens: OM-
NIA PROBATE, QUOD BONUM EST
TENETE, AB OMNI SPECIE MALI
ABSTINETE VOS: sic de subjeçta
Propositione in prædictis Theſibus
contenta censuit. Et recensita
Propositione, quæ hujusmodi
erat: *Agendi regula proxima,
conscientia est. Probabilem (opi-
nionem) sequi, tutò licet, etiam
probabiliore posthabita, censurâ***

no-

(a) Lib. 1. q. 1. §. 7. (b) Lib. 12.

(a) Vide *Natal. Alexan.* lib. 3. de pecc. cap. 4.

notarunt & condemnarunt in sensu assertoris, & Probabilitarum, uti falsam, temerariam, & inducentem plures corruptelas in moribus. Concluditque narratio: Convocatis omnibus Doctoribus celeberrima Universitatis Piſtaviensis, &c. habita fuit Congregatio in Conventu Fratrum Prædicatorum, cui interfaerunt, Doctores omnium Facultatum. ET LECTO DECRETO, ab omnibus Doctoribus unanimi consensu approbatum, & acceptum est, STATUTUMQUE NE PATRES SOCIETATIS ACTUM, hodierna die habendum, celebrent sub pœna, &c. Et hoc Decretum fuit quoque approbatum ab Episcopo Piſtaviensi (a).

113 Quantum fuerint Gallicanarum Episcopi Probabilissimum perosi, laxamque moralem ab eo promotam; novo argumento est Epistola eam ob rem ad Innocentium XI. P. O. M. aureis certè Ecclesiæ sæculis digna, cujus, utpote prolixioris, præcipua dumtaxat capita hic describam (b):

Beatissime Pater.

Et si hæc Epistola exponendis Sanctitati vestræ gravissimis Ec-

clesiæ vulneribus instituta, in tristi, & luctuosissimo argumento versabitur, par est tamen, ut in ejus limine debita Deo O. M. gratiarum actione fungamur, & nobismet ipsis gratulemur, quod Sanctitate vestra in Apostolica Sede constituta, jam habeamus, apud quem questus, & gemitus nostros liberè, nec inaniter effundere possumus. Hac fiducia freti, Beatissime Pater, de Gallicanæ Ecclesiæ morbis cum ipsa agere decrevimus, quorum summam, ne multis moremur, ita brevè complecti licet. Cùm duabus potissimum rebus contineatur Christianorum salus, Fidei dogmatum sinceritate, & integritate morum; variè jam inde ab Ecclesiæ primordiis, utraque tum Dæmonum fraude, tum hominum improbitate, tentata est; numquam tamen acrius, vel astutius, quàm novissimis istis, miserimisque temporibus.... Nunc verò, Beatissime Pater, tetrrior multò, ac perniciosior lues (Probabilissimi) Ecclesiam invasit. Augescenti enim in dies improborum multitudinè adjunxit se certorum Scriptorum, ut mitissimè loquamur, improvida temeritas, quibus id demùm videtur fuisse propositum, fovere hominum cupiditates, extingue-

re conscientie morsus, deserendi peccati stimulos evellere, iter ad vitia sternere, eadem peccatis, quæ virtutibus, tenebris, quæ luci, falsitati, quæ veritati jura tribuere (uti re ipsa Probabilistæ faciunt) sceleribus deniquè formidinem, pudorem, & infamiam, ipsum sceleris nomen detrabere. Nec veremur, Beatissime Pater, ne nos in hoc studio efferrè, ac veritatis metas prætergredi judicet Sanctitas vestra, postquam perspexerit, quæ, & quanta sit earum opinionum corruptela, quæ tamquam pura, ac securæ ab istis Authoribus traduntur, & Christianis invehuntur. Cohorrescet, sat scimus, ad infandorum dogmatum inauditam absurditatem Apostolica vestra pietas, & talia Catholicis, iisque Litteratis, in mentem venire potuisse, vix ipsa prima fronte credit.

Recensent deinde nonnulla opinionum monstra, quæ ex vaga in doctrina morum probabilia consecrandi libertate erumpebant, quibus in medium adductis, subdunt: Ergo cùm tantam perniciem, tantumque dedecus tacitè ferre nec BELGICA, nec GALLICANA Ecclesia posset; de Casuistarum licentia comprimenda aliquot ab hinc annis seriò excogitare Epif-

copi caperunt... Nec piis ipsorum conatibus Romana Ecclesiæ defuit auxilium. Nam ALEXANDER VII. P. M. delatam ad se CASUISTARUM APOLOGIAM præscripsit, & quadraginta quinque Propositiones ex variis Casuistis excerptas duabus Constitutionibus confixit. Verùm, si liberè apud amantissimum Patrem simpliciter loquendum est, non desunt illis Scriptoribus artes, quibus ipsam Summi Pontificis censuram eludant. Quamobrem, post Episcoporum judicia, & Apostolicas ALEXANDRI VII. Constitutiones nihil quidquam de confidentia remiserunt, imo Decreta sua eò audacius ferere perstiterunt, quò elanguisse jam putant Episcoporum zelum, sequè adèò imposteriorum omni jam periculo defunctos. Hujus ergo mali tam contumacis natura nos adduxit, Beatissime Pater, ut frustrà huic propulsando impensis huc usque curis, ac laboribus nostris, ad Sanctitatis vestræ præsidium confugeremus, hæc spe freti, fore ut supræmæ tuæ auctoritatis eminentia nostros conatus adjuvet, sparsamque per universam Ecclesiam pestem eà potestate recidat, quæ Universam Ecclesiam moderatur, ac regit.

Alteram remisit epistolam in particulari Episcopus Alet-

(a) Apud Patuzzium tom. 2. pag. 129. (b) Ex Gravesone tom. 8. Hist. Eccl. pag. mihi 69.

ben sis, & habetur in Gallia vindicata Card. Sfondrati, ubi ad idem propositum hæc, inter alia, expressit: Itaque, Beatissime Pater, ad corrupta morum dogmata redeo: quod malum latius patet, & plerisque animabus adhuc nocentius est. Huic curando quantum ab initio Pontificatus studium Sanctitatis vestra adhibuerit, universi norunt: quod ut ipsa brevi assequeretur, nihil demum utilius, aut promptius occurrit, quam ut præcipua laxioris doctrine capita, jam dudum à plerisque Ecclesie Gallicana Præsulibus in famosa CASUISTARUM APOLOGIA damnata, iterum ad eorum Episcoporum relationem, à Sede Apostolica solemniter Decreto damnarentur. Id autem, ut ad optatum exitum, obsistentibus licet Casuistica corruptela patronis, perducatur, optamus. Verum, Beatissime Pater, rerum nostrarum experimento edoctus, & Paterna vestra benignitate fretus, ausim dicere, nihil penè in damnandis Casuistarum erroribus operæ pretii fore, nisi eadem vestra auctoritate JANSENIANÆ HÆRESEOS phantasma, quo jamdiu plurimi in his partibus ludificantur, evanescat. Hoc pactò significat arma, quibus Probabilistæ rotos redde-

bant inutiles, & vanos conatus Peritoriarum piarum, & celebriorum Doctorum, qui illorum opponerentur laxitatibus, dum scilicet, hos appellabant odioso Jansenistarum nomine, vel hoc spectro nitentur, eos audiri non debere: cum tamen aliunde, ne unus quidem esset Jansenista in tota sua Diocesi, ut ex perquisitionibus à laudato Episcopo factis constare, ipse testatur.


114 Anno 1675. P. Franciscus Jops Propositiones plurimum laxas Duaci evulgavit, quas Episcopus Atrabatenfis proscripsit, ut scandali, & erroris plenas. Triennio elapso, assertor ipse easdem retractavit. Hac tempestate ignis probabilistici belli ferventius exarsit in Belgio. Universitas Lovaniensis anno 1679. Legatos Romam direxit cum amplo laxarum Propositionum sensu, S. P. Innocentio XI. deferendo. Expeditio fausta fuit, eventusque votis respondit. Nam Gallia Episcoporum litteras, atque Lovanienses Legatos grato animo excepit Pontifex, restaurandæ morum disciplinæ cupidissimus, & ut eorum votis annueret, graviorum Theologorum, Sa-

pi-

§. II.

piantumque Prælatorum examini Propositiones subjecit, illoque peracto, die 2. mensis Martii anni ejusdem 1679. damnavit tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas 65. Propositiones ex variis laxioris doctrinæ moralis Casuistarum libris depromptas.

Hoc Pontificium Decretum fatale Probabilistis fuit, atque funestum. Probabilismus expressè damnatus est in re Sacramentaria, in quæstionibus Justitiæ, Fidei, Belli indicendi, medendorum corporum, & rei beneficiaria. Ne multa: damnatus est in omnibus secunda tabula præceptis. Id dumtaxat disputationi quoquo modo subjectum videri posset, sitnè Probabilismus absolutè, etiam in quæstionibus præceptorum prima tabula, & in quacunque materia anathemate confixus? Quod suo loco evincam. Modò conceptum continere sermonem quis poterit?



115 **P**orrò spectatis doctrinis, quas Probabilistæ docent in libris, scelera benè multa perpetrari possunt occultè, à quibus solus timor temporalis supplicii retrahere potest manum. Quapropter, uti narrat D. Guarnaccius (a) de Ludovico XIV. Rege Christianissimo: *Invidio animo Rex cohibuerat quorundam Ecclesiasticorum licentiam, qui noxias in vulgus opinioniones emittebant. Serpebat enim in Regno nova controversia, quæ Casuistarum dicebatur, & quæ Probabilismi nomen rectius accepit. Audacter agebant nonnulli ex eorum Theologis: QUAMCUMQUE OPINIONEM PROBABLEM TUTÀ CONSCIENTIÀ AMPECTI POSSE: ATQUE ILLAM ETIAM OPINIONEM, QUÆ NON NISI PROBABILITER PROBABILIS SIT: ATQUE AD CONCILIANDAM OPINIONIBUS PROBABILITATEM SATIS ESSE DICEBANT, NON MODÒ QUATUOR, SED ET TRIUM, IMO ET UNIUS ETIAM DOCTORIS AUTHORITY. Hæc docebantur non obstante promulgatione Decretorum Alexandri VII. & Innocentii XI. His Decretis (id est, prædictis thesibus damnatis) instructi*

m. 2-

(a) In vita Innocent. XI. tom. 1. pag. 3. apud Pasuz. tom. 2. pag. 142. & 462.

mali illi Doctores, mirum prorsus est, quas in morum doctrina strages ediderint: quas tenebras clarissimis Dei Legibus offuderint; quot nova, & inaudita protulerint. Aiebant enim ulterius: QUOD DUM VIDIMUS, TOT DIVERSAS SENTENTIAS IN REBUS MORALIBUS CIRCUMFERRI, DIVINAM ARBITRAMUR PROVIDENTIAM ELUCERE; QUIA EX OPINIONUM VARIETATE JUGUM CHRISTI SUAVIUS SUSTINETUR, &c.... Ne furias has voces religioso ipsius REGIS imperio refranatas, maxime detestabatur INNOCENTIUS, easque funditus evertere cogitabat.

116. Certò scimus quidem, laudatum Pontificem, quem admodum in omnibus actionibus sese dirigebat sententiis tutioribus, ita idem aliis commendabat facerent, & inculcabat Ministris Evangelicis, ut idem predicarent: *quia, semel iis dixit, coram P. Paulo Montañana, Capucino, qui & refert (a), illos, qui proxim secuti sunt talium doctrinarum, adoramus super altaria, & de ceteris nescimus ubi sint.* Totum hoc erat adèò publicum, & notorium, ut multi

Probabilistæ, attestante Card. De Aguirre (b) imposuerint temeritatis excessu probrosam titulum Jansenistæ Pontifici Sancto & vero, cujus memoria in benedictione est. Sed ubi apparuit potissimum zelus & sollicitudo Pontificia exterminandi è mundo Catholico Probabilismum, fuit in accepta occasione famosi libri, quo expugnabatur, RR. Tyrsi. Res ita se habuit, ut legere est apud Concinam (c)

117 RR. Tyrsus ab anno 1665. peragratis Hispaniarum non paucis Provinciis, sanioris Evangelicæ doctrinæ tritico satis, deprehendit, Confessarios non paucos laxitatis zizania in Evangelica vinea extremo animarum detrimento spargere. Hac & ipse ab adolescentia imbutus doctrina, eidem seriò studuit ad annum usque 1670. Hoc tempore occasione Apostolici Ministerii detectis corruptelis à Probabilismo derivatis, tota mentis indagine versare causam istam, discutere, scribere coepit. Triennium æstivo tempore, quo à Missionibus, ut vocant, cessabat, in istius con-

controversiæ studium totus incubuit, tractatumque composuit adversus Probabilismum, quem RR. Oliva tum Præposito suo Generali dedicare constituit. Missum tractatum ex Hispaniis anno 1673. Romam, Generalis Oliva Theologis quinque recognoscendum dedit; qui unanimi consensu opus improbarunt, negata illud edendi facultate. Frustrà omnibus pro obtinenda præfati operis edendi licentia tentatis, petiit Tyrsus à Generali, ut saltè sibi liceret quarto tomo Theologiæ Scholasticæ, quæ sub prælo erat, inferere substantiam illius doctrinæ, duobus, vel tribus §§. contentam, & in Propositiones breves, atque peripicuas tributam, quibus suam aperiret mentem. Sed neque hoc impetrare potuit.

118 Septem annis, postquam P. Tyrsus hunc tractatum confecerat, prodiit Bulla Innocentii XI. in qua confixit 65. propositiones, & in qua declaravit, ad usum opinionis minùs tutæ non sufficere, quòd illa sit utcumque probabilis in se, si ejus probabilitas, comparata cum probabilitate sententiæ tutioris, sit tenuis, & exigua. Promulga-

to in Hispania Pontificio Decreto, rescivit Pontifex ex literis sui Legati Mellini, Religiosum virum è Societate Jesu ante aliquos annos confecisse tractatum, in quo efficaciter refellebat præfatam Propositionem, & alias quas damnaverat; & fuso calamo sententiam Probabilistarum, quæ in Societate erat communis, rejiciebat, & oppositam Antiprobabilistarum doctrinam, in quam sua Sanctitas summoperè inclinabat, strenuè defendebat. Istius rei nuntio accepto gavisus est SS. Innocentius. Continuo in mandatis dedit Legato suo, ut dictum tractatum exscribi curaret, & confestim Romam transmitti apographum. Idque celeritate summa peractum fuit, illudque Sanctitas sua recognoscendum dedit duobus valdè peritis Viris, qui illum magnoperè probarunt, laudaveruntque.

119 Mens igitur, & voluntas Sedis Apostolicæ fuit expressa in Decreto S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis, & ordine Sum. Pontif. Innocent. XI. intimato P. Oliva tunc Generali Societatis die 8. Julii 1680.

(a) In sua opella inscripta: *Il Sacro Monte de Pietà.* (b) In Epistola ad Regem Catholicum, quæ legitur in fine tom. 6. litter. *Euseb Eraniiste*, & apud Patuz. loco cit. pag. 209. (c) Tom. 2. Appar. à pag. 300.

Feria 4. die 26. Junii 1680.

In Congregatione Generali S. R. & Universalis Inquisitionis facta relatione per P. Lauream contentorum in litteris P. Tyrſi Gonzalez Soc. Jesu SS. D. N. directis, Eminentissimi Domini dixerunt, quod scribatur per Secretarium Statûs Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet P. Tyrſo, quod Sanctitas sua benignè acceptis, ac non sine laude perlectis ejus litteris, mandavit, ut ipse LIBERÈ, & INTREPIDÈ prædicet, doceat, & clamorè defendat opinionem MAGIS PROBABLEM, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in occurſu MINUS PROBABILIS opinionis cum PROBABILIORI sic COGNITA, ET JUDICATA, licitum sit sequi MINUS PROBABLEM, eumque certum faciat, quod quidquid favore opinionis MAGIS PROBABILIS egerit, & scripserit, gratum erit Sanctitati sue. Injungatur P. Generali Societatis Jesu de ORDINE SANCTITATIS SUÆ, ut non modò permittat Patribus Societatis scribere pro opinione MAGIS PROBABI, & impugnare sententiam asserentium, quod in occurſu MINUS PROBABILIS opinionis cum PROBABILIORI SIC COGNITA, ET JUDICATA licitum sit se-

qui MINUS PROBABLEM: verùm etiam notum faciat omnibus Universitatibus Societatis, mentem SANCTITATIS SUÆ esse, ut quilibet prout sibi licuerit, liberè scribat pro opinione MAGIS PROBABI, & impugnet contrariam prædictam, eisque jubeat, ut mandato SANCTITATIS SUÆ omnino se submittant.

Hoc Decretum, inquit ipse RR. Tyrſus (a) omnino latuit usque ad annum 1693. in quo detectum est singulari Dei Providentiâ occasione resistentiæ, quæ fiebat editioni libri mei, jam tum Præpositi Generalis.

120 Pontifex tamen P. Tyrſo per Cardinalem Cybo à Secretis Statûs, & Legatum suum Mellinum, suam significavit voluntatem, ut edatur liber. Cardinalis epistola his erat concepta verbis: Egregiam, & copiosam lucubrationem, quam unâ cum litteris filialis obsequii plenè ad Sanctitatem suam misisti de opinione probabili, benignè excepit Sanctitas sua, & PLURIBUS LAUDAVIT singularem zelum, & PRÆSTANTEM DOCTRINAM, qua MAXIMI MOMENTI argumentum tractasti: neque dubitat Sanctitas sua, quin tu in PRÆCLARO INSTITUTO pergas explicandi mate-

eriam, salutem animarum tam necessariam, & inceptum feliciter opus ad exitum perducas, eximiam suo tempore à Deo mercedem relaturus, &c. Altera Nuntii Apostolici Mellini, ejusmodi erat: Ad Litteras Eminentissimi D. Card. Cybo, quas hic adjunctas accipies, vix est quod adjiciam; ex his enim luculenter intelliges, quantum Paternitatis tuæ zelus, ac pietas, scriptis argumentis hætenus probata, a SANCTISSIMO NOSTRO COMMENDATIONEM RECEPERIT. Unum illud addendum ipse habeo, quod cum SANCTITAS SUA JUDICET, HOC OPUS TUUM, quod tractandum suscepisti, ANIMARUM SALUTI, TOTIQUE ECCLESIE MAXIMÈ PROFICUUM FUTURUM, ut te ad ipsum opus QUAMPRIMUM PERFICIENDUM hortarer, MIHI MANDAVIT, &c. (a)

121 Sanè exiit sermo inter Probabilistas strepitoso rumore (b) quia RR. Cavalli, & Capitulum Generale N. Ord. celebratum anno 1644. ordinarunt editionem operum MM. Medina ac Ildefonsi Battista, quasi hoc uno approbata, authenticata, & tamquam canonizata fuerit doctrina pro-

babilistica, milliarum quæstionum Scholasticarum permixta, & idcirco minùs fortè animadversa. Quid non dicerent, si umquam allegare possent, non jam Generalem Ordinis, sed caput supremum Ecclesiæ, qui adaptaret elogia relata cuilibet illorum libro, & commendaret doctrinam, uti eximiam, præstantem, necessariam salutem animarum, atque Authorem animaret, ut publici juris quamprimum faceret librum ob communem fidelium profectum, & Ecclesiæ. O bone Deus! exclamo cum P. Camargo, quid fieret nobis, si vel unum quid simile Probabilismus posset pro se proferre?... Sed Deo gloria: nihil hujusmodi protulit adhuc, aut proferet umquam, uti certò credi potest.

122 At id optimis rationibus declinavit Tyrſus, quarum potissima fuit obsequium, & submissio debita Societati, cujus dedecori verteretur, si, invitis ejusdem Superioribus, tractatum suum adversus laxitatem, ut dicitur, opinionis minùs probabilis typis mandaret. Hæc tamen non rescripsit Pontifici; sed ab im-

G 2

pri-

(a) Apud Patuzzium tom. 2. pag. 210. (b) P. Zacharias in suppl. five Access. ad P. La-Croix tract. 5. cap. 3. pag. 58. in fine, col 2.

(a) In citat. Mem. ad Clem. XI. n. 6. & 12.

primendo *quamprimum* opere, dissuadere eundem studuit, ut illud magis locupletaret, epistola ad ipsum data 25. Decembris 1681.

123 Anno 1687. *P. Tyrsus*, ut Elector Provinciæ Castellanæ, Romam concessit ad Capitulum, sive Congregationem Generalem XIII. in qua successor RR. *P. Joannis Pauli Oliva* denati eligendus erat. SS. *P. Innocentius XI.* luculentissima desiderii, quo flagrabat, ut in Præpositum Generalem eligeretur *P. Tyrsus*, indicia præbuit. Tali etenim Præposito sperabat fore, ut nimia opinandi licentia, cujus accusabatur Societas, cohiberetur, januaque aperiretur probabiliori, atque saniori doctrinæ propagandæ in Societatem, cum id in votis haberet Romana Sedes. Electio pro votis celsit die 6. Julii anno 1687. Pontifex electum Generalem sic affatus est: *Quoniam Deus ad hanc te Præfaturam evexit, tuum erit curare, ut in Societatis gymnasiis doctrina* MAJORIS PROBABILITATIS, IN QUAM SEDES APOSTOLICA PROPENDET, doceatur. *In hunc finem in Romano Collegio Magistrum præficies, qui doctrinam hanc propugnet.* Ita adim-

plevit anno sequenti, quo *P. Josephum Alfarum* ex Hispania adduxit ad legendam Theologiam in Collegio Romano. Oppositiones, & gravissima offendit obstacula *P. Alfarus*, dum munus è Cathedra explicandi sententiam probabiliorum aggressus est. Multi coegerunt eum, nè in publicum hanc doctrinam defendendam exponeret. Idque assecuti fuerunt.

124 Tum cognovit Pontifex gravissimas difficultates, in quas incursum novus Generalis erat, ut in Societate libertatem restitueret docendi doctrinam probabiliorum. Quare SS. Pontifex apertius Patres ipsos Societatis graviores alloqui destinavit. Idque in mandatis dedit Card. *Cybo*, Statûs Secretario, ut significaret Patribus Congregationis Generalis XIII. cupere suam Sanctitatem, ut in doctrina de opinione probabilium licitum esset Theologis Societatis tenere, atque libris publicis, si vellent, tueri, quod in concursu opinionis magis probabilis, magisque tutæ non liceret sequi minus tutam, minusque probabilem. Congregatio desiderio Pontificis cupiens satisfacere condidit De-

CRE-

cretum XVIII. (a), in quo declaravit, Societatem non prohibuisse, nec prohibere, quominus sententiam illam tueri possent, quibus ea magis probaretur: ipseque Pontifex sæpè hortatus *P. Generalem* est, ut curaret majori quo poterat studio, ut in Collegio Romano, aliisque Gymnasiis Societatis traderetur doctrina Antiprobabilistarum.

§. III.

125 Certe SS. Pontifex existimare videbatur, se his curis atque sollicitudinibus Probabilissimum exterminare ab Ecclesia, semel evulso à Religiosis Societatis; atque doctrinam contraria ab iis amplexa. Juvat in hunc finem audire hic *P. Camargum*, ita obtestantem Clementem PP. XI. (b): Agebat mecum, inquit, non multis ab hinc mensibus *Vir quidam valde eruditus, ac pius, nec male in nostram Societatem affectus, qui quum librum de REGULA MORALIS HONESTATIS, quem nuper obtuli Sanctitati vestræ, accuratè legisset, vehementer mecum dolebat communem hujus*

seculi calamitatem, quod regula moraliter operandi, quam designat MODERNUS PROBABILISMUS, TANTAM INDUCENS MORUM CORRUPTIONEM cum tanta animarum jaetura, hodieum obfirmatè ac pertinaciter in Hispania communiter suslineretur. Ego verò aliquomodo hominem solari conatus, fore ajebam, ut brevi Apostolica Sedes doctrinam USQUE ADEO PERNICIOSAM à tota S. Ecclesia proscriberet, &c. Tum ad me ipse suspirans, & ejulans ex imo pectore, HEU! inquit, MI PATER, OBLINEAS TANTUM A TUIS JESUITIS, UT ALIQUANDO TANDEM DESISTANT A VEHEMENTI SUO STUDIO, ET CONTENTIONE PROPUGNANDI, AC TUENDI PROBABILISMUM: ET NULLUM OPUS SIT EXPECTARE DECRETUM APOSTOLICÆ SEDIS, QUOD ILLUM AB ECCLESIA PROJICIAT. Quid ego ad hæc repone-re possem (quæ utinam non adeo notoria forent) nisi aquam optare capiti meo, & fontem lacrymarum oculis meis?

126 Sed & ego quoque rem totam de RR. *Tyrso* conficiam brevius verbis ipsius principii & finis supplicationis ejusdem ad *Clem. XI.* Sic exorditur (c): *Cum Sanctif-*

G 3

A-

(a) Vid. Laud. *Tyrsi* Memor. n. 2. (b) In cit. Memor. oblato ab ipso n. 7. (c) Num. 1.

simus Prædecessor Sanctitatis vestrae INNOCENTIUS XI. P. M. *mibi dixisset*, ME FACTUM FUISSE GENERALEM IN ILLUM FINEM, UT SOCIETATEM AVERTEREM A PRÆCIPITIO, IN QUOD RUERE VIDEBATUR, DE AMPLECTENDA SCILICET UT PROPRIA EJUSDEM SOCIETATIS SENTENTIÀ LAXIORE CIRCA USUM OPINIONUM PROBABILIS; dictum illud Vicarii Christi tamquam ejusdem Christi dictum accepi, & omni ope adnixus sum, nè Spem Optimi Pontificis irritam facerem; nullo per Dei gratiam labore, nullo umquam periculo ab incæptis deterritus; quousque Deo juvante, & hac Sacra B. Petri Sede benignissimè favente per editionem libri mei, & copiosos fructus ad illam consecutos, ostenderim Orbi Christiano sententiam illam non esse Societatis propriam; Cujus oppositam & Præpositus Generalis, & multi alii Jesuitæ libris editis palam docent, & magno authoritatis, rationisque pondere firmant. Optavi semper, & opto, ac firmissimè spero, Beatissime Pater, absolvendam esse à Sanctitatis vestrae zelo causam istam, feliciter incæptam à Sanctissimis Prædecessoribus suis Alex. VII. Innoc. XI. & Alex. VIII.

Denique (a), quod nobis præcipuè observandum, est, cum Sedes Apostolica, præsertim per Summos Pontifices Alex. VII. & Innoc. XI. satis apertè inclinationem, & voluntatem suam significaverit.... Sanctitas vestra dignetur seridè commendare Superioribus Societatis, ut diligentissimè invigilent, & provideant quieti, paci, & honori Societatis, tamquam rem Sanctitati vestrae gratissimam facturis: ut in ipsa promoveant studium impigrum doctrinæ moralis, & signanter hujus capitalis controversiæ: ut summâ sollicitudine caveant, ne Jesuitæ in lectionibus, thesibus, aut libris aliquid doceant, aut defendant contra illos sensus, in quos Sedes Apostolica inclinare visa est, contra mentem S. Ignatii P. N. in Constitutionibus expressam, contra Ordinationes, & Decreta Præpositorum, & Congregationum Generalium, quod sit alienum ab Evangelica simplicitate, & SS. Patrum doctrina, ex quo possit erumpere Christiana vitæ corruptela, & perniciēs animarum gradientium per viam latam, quæ ducit ad perditionem; & quod in Societatem ipsam refundere possit & culpam, & pœnam, &

de-

dedecus, ipsamque reddere minus utilem ad suum finem, qui unicè est inservire Deo, & Sanctæ ejus Ecclesiæ, & querere toto corde cum divina gratia salutem, & perfectionem propriam, & cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.

127 Hic libellus supplex, præsentatus Clementi XI. P. M. 4. Septembris 1702. audire promeruit: Rem gratissimam Sanctitati suæ facturos Superiores Societatis, si præstent ut Jesuitæ absteineant à docenda, & defendenda sententia, quæ asserit, LICITUM ESSE USUM OPINIONIS MINUS PROBABILIS, ET MINUS TUTÆ; cum Sanctitati suæ compertum sit, ita omninò expedire ad incolumitatem, & honorem Societatis.

128 Utique; namque ipse RR. Tyrsus ibi (a) repræsentaverat: Cum Deus pro infinita misericordia sua me dignatus sit assumere in qualecumque instrumentum ad liberandam Societatem à tanta infamia (QUAM INIMICI SOCIETATIS PROCURAVERUNT ILLI EX HOC MAXIME CAPITE, QUÒD PROBABILISIMUM AMPLECTERETUR, UT præmiserat): quàm indecorum, & quàm periculosum esset ipsi

Societati, non agnoscere adeò singularem, & adeò beneficam Dei Providentiam, & in illud ipsum probrum, & dedecus spontè ruere? Imminentem reliquius PROBABILISMI RUINAM satis ostendunt tum Decreta Pontificia magnam Probabilisimi partem damnantia, ejusque fundamenta; tum perpetua, & in dies major inclinatio Sedis Apostolicæ ad absolvendum saluberrimum opus ab ipsa feliciter incæptum; tum sensus, & praxis Eminent. Cardinalium, & Tribunalium Romanorum; tum quòd Romæ, & in facie Sedis Apostolicæ nemo publicè defendere audeat Probabilisimi doctrinam; tum Episcoporum plurimum conspiratio; tum Cleri Gallicani declaratio; tum ex omnibus Ecclesiæ Ordinibus insignium Theologorum consensus. Et, ut alios omittam, certò scio, aliquos esse in Societate benè paratos ad ostendendum efficaciter, præcipua Probabilisimi capita jam esse in eo statu, ut sint proximè damnabilia ab Apostolica Sede. Horum documentorum veritatem vindicatam invenies apud Patuzzium (b).

G 4

§.IV.

(a) Ibi num. 12.

(a) N. viii. (b) Tom. 2. à pag. 88. ad 230.

§. IV.

129 **P**ORRÒ SS. Patres, & boni libri docent unanimiter, opus non esse formali & expresso mandato, ut Subditus debeat obedire, ac conformari voluntati Superioris sui legitimi; sed sufficere, quòd aliundè sit ipsi nota & manifesta, ut illam exequi debeat. Hoc sanè certum est: in aurea gloriosi Patriarchæ S. Ignatii Regula, quæ tota versatur circa Subditorum obedientiam Superioribus debitam, mentionem non fieri necessitatis præcepti ad exercitium hujus sublimis virtutis. Et si hoc habet locum respectu cujuslibet Superioris legitimi, potiori jure respectu Sedis Apostolicæ, Summorumque Pontificum, in quibus motiva concurrunt specialissima, quæ adstringunt, eorum voluntati subijci significatæ ad sufficientiam. Hinc in Constitutionibus (a) Inclytæ Societatis, quin fiat sermo de præceptis, injungitur prompta, & exacta obedientia Summo Pontifici in omnibus iis rebus, in quibus suam ostendit voluntatem: *Exactissimè om-*

nes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem imprimis Summo Pontifici exhibendam intendamus, ita ut omnibus in rebus, ad quas potest se obedientia cum Charitate extendere, ad ejus vocem perinde ac si à Christo Domino egrederetur, quam promptissimi simus. Superiores, atque Sum. Pontifices possunt causas habere, atque rationes, ut non procedant ad indictionem præceptorum super iis, quæ alias volunt, & desiderant; verùm non idcirco habent jam subditi, ut non exequantur illorum voluntatem, satis expressam, & agnitam, atque contra ipsorum beneplacitum eam tenere viam periculosam, à qua retrahere nituntur, nè oves in foveam cadant, & præcipitium. Si Superiorum vox, & SS. Pontificum, est vox ipsa Christi, & tamquam voci Christi aures præstari debent, secundùm quòd Christus ipse ordinavit verbis illis: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*: poterimus nos dispensare ab obsequio, quod ea promeretur, sub prætextu quòd ipsam non comitantur absoluta mandata? Quis umquam auferit id adfirmare?

Ima-

Imaginar propterea, quòd Adversariorum nemo ad hanc præsumet appellare responsionem, ut justificetur in sermonibus suis de repugnantia deferendi Probabilissimum.

130 Non igitur alter relinquitur ei recursus, nisi petendi à Sancta Sede præceptum, ut cognoscat, certusque fiat, & securus de ejus mente, ac intentione circa præsentem controversiam. En Decreti formulam, quam requirit modernus Probabilista P. Zacharias, ut improbet Probabilistæ suum systema. Interrogat ille (a): *Quandonam dixerit (Summi Pontifices), VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS, IN CONCURSU DUARUM OPINIONUM VERÈ PROBABILIMUM, PROBABILOREM SENTENTIAM SEQUENDAM ESSE, uti Merenda & Fagnanus docuere, atque adeò SEMPER EAM AMPLECTENDAM, QUÆ ADVERSUS LIBERTATEM LIGI FAVET, AC TUTORIOR EST, ut Paschalis, Wendrochius, Natalis Alexander censuit?* Et subdit: *Nisi ita disertis verbis statuunt Pontifices, inanibus declarationibus aërem verberabunt Antiprobabilistæ Perbellè! juxta illum ergo, etiamsi Ecclesia non ita disertis, sed ta-*

men equivalentibus verbis pronuntiaret contra Probabilissimum, nondùm acquiesceret? Crediderim, sodales cæteros non esse ejusdem labii, optimè scientes, bono filio, qui verè diligit matrem suam, non esse ad obedientiam necessaria mandata explicita, sed vel sola sufficere signa.

131 Profectò Alexander VII. parat in suo Decreto ante faciem omnium Populorum Probabilissimum tamquam novellum modum opinandi, alienum omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christiana vite corruptela. Innocentius XI. in mandatis dedit P. Tyrso, ut liberè, & intrepidè predicet, doceat, & calamo defendat Antiprobabilissimum, necnon viriliter impugnet Probabilissimum; & RR. P. Generali Olive, ut non solum permittat Patribus Societatis scribere pro Antiprobabilismo, & impugnare Probabilissimum, verùm etiam notum faciat omnibus Universitatibus Societatis, mentem Sancti-tatis suæ esse, ut quilibet liberè scribat pro Antiprobabilismo,

©

(a) 6. part.

(a) In suppl. live Access. ad P. La Croix tract. 5. cap. 3. pag. 59. col. 1.

& impugnet contrarium Probabilissimum, eisque jubeat, ut mandato Sanctitatis suae omnino se submittant. Desiderio desideravit, & obtinuit, eligi praefatum P. Tyrsum in Generalem, ut Societatem averteret à praecipitio, in quod ruere videbatur, de amplectendo Probabilissimo, ut propria sententia. Ipsi RR. Tyrso declarat, sese contentum non esse Decreto Congregationis XIII. licentiant impugnationem Probabilissimi, sed aliquid amplius desiderare à Jesuitis, quam praescriptum sit per illud Decretum, nimirum, nè permitteretur, ab ullo sustineri, & defendi. Verbo: nihil SS. Pontifex omisit, ut Probabilissimum videret exulantem à Societate, atque ab Ecclesia Dei.

132 Innocentius XII. post varios casus, plurimaque rerum discrimina mandavit, ut ipsius autoritate prodiret in lucem celebris liber RR. Tyrsi sub initium anni 1694. mense integro antequam deregeretur Decretum factum à Congregatione S. Officii anno 1680. in favorem hujus doctrinae, quod per singularem Dei Providentiam repertum est ad finem mensis Julii circa festum

S. Ignatii. Et quum Assessor S. Officii illud ostendit Summo Pontifici, ille ad ejus conspectum obstupuit, & vehementer gavisus est, quòd ante illam notitiam, Spiritu Sancto impellente, doctrinam illam publicari mandaverit (a).

Clemens XI. certos fieri mandavit Societatis Superiores, rem gratissimam Sanctitati suae facturos, si praesent, ut Jesuita abstineant à docenda & defendenda sententia, quae asserit, licitum esse usum opinionis minus probabilis, & minus tutae: quum Sanctitati suae compertum sit, ita omnino expedire ad incolumitatem, & honorem Societatis. Et, ut refert P. Christophorus à S. Joseph, cum legisset Theologiam Moralem Geneti, ordinavit reimprimi Italiae, ut Oves tuta pascerentur doctrinam. Eadem ratione dispensavit Constitutiones PP. Carmelitanorum Discalceatorum, ut posset Romae typis mandari liber laudati Christophori Procuratoris Generalis illius Sacri Ordinis; in quo ex professo, magnaque & eruditione, & doctrinam refutatur Probabilissimus.

Benedictus XIII. praescribit; Sacro approbante Concilio Ro-

Romano, ut conscientiae casus proponantur, & practice exerceantur iis solis doctrinis, quae existimabuntur veriores, atque fundatior.

Benedictus XIV. non modò placidissimè excepit sibi nuncupatam Theologiam Antiprobabilisticam P. Gabrielis Antoine; verum etiam jussit doceri in Collegio de Propaganda, ut testatur P. de Carboneano, Minor, cum in Dicatoria, tum in monito ad Lectorem, Brevi dato 1. Novemb. 1745. loquens de responsionibus privatim quaesitis pro conscientiarum directione, Confessariis & Consultoribus hanc praescribit regulam: Priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros predicantur. Deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum autoritate planè confirmatas intelligent. Et in Encyclica circa praeparationem anni Sancti, publicata 16. Junii 1749. atque in Encyclica ejusdem, quae est 143. tom. 1. sui Bullarii circa usuram §. 8. eadem repetit. Nemo non viderit, quam longe regula istae sit à systemate probabilistico.

133 Denique, nullus omnino Episcopus, ne Bonacina

quidem, Barbosa, & Caranuel, sub qualitate Pastoris & Doctoris suae Ecclesiae, id est, quacumque Constitutione Synodica, instructione Pastoralis, Decreto, Concione, monito dato suo Populo, vel Parochis, & Confessariis suae Dioecesis, umquam docuit Probabilissimum, seu aliquod ex principiis probabilisticis, communiter adoptatis à propugnatoribus illius systematis. Singularis Dei Providentia, quae non permittit, Episcopos, ut positos à Spiritu Sancto regere Ecclesiam, Populum docere doctrinam illam, quae alias triumphum egerat, talem aliquo tempore, inter privatos Theologos! Et eò mirabilior Providentia haec divina, quòd eorum Theologorum nonnulli ad Episcopalem Cathedram sunt assumpti: & plurimi Episcopi habuere Consultores & Theologos infartos probabilisticis ideis: & tamen non invenitur ullus, qui in exercitio suae dignitatis Pastoralis, sive officio officinando, ut vocant, amplecteretur, aut docuerit vel unum ex principiis Capitalibus Probabilissimi! E contra verò, innumerabiles sunt Episcopi, quae tales, qui oves suas à Proba-

bi-

(a) Compilator actorum R. P. Tyrsi apud Patuzzium tom. 2. pag. 221.

bilismo deterruerunt tamquam à pascuis noxiis.

ARTICULUS IV.

Probabilismus sub SS. D. N. Clemente XIII. jacet exanimis.

§. I.

134 **L**Audatos internet Carolus Cardinalis Rezzonnicus, Episcopus Patavinus, qui Pastoralis Epistola, Romæ edita anno 1743. sic monet Clerum, Populumque suæ Diœcesis: Divinas paginas, Sacrosancta Concilii Tridentini, Prædecessorum nostrorum Decreta, Familiæ Sanctorum Patrum, & præsertim Chryostomi Conciones, Acta Mediolanensis Ecclesiæ, Rectoribus animarum maximè utilia, & S. Caroli Borromæi Spiritu plena, SANIORES morum regulas ex limpidissimis fontibus haustas, Romanum Catechismum, & Rituale Parochorum, diurnâ, nocturnaue manu versare, vobis summoperè commendamus, ut decet Dispensatores Mysteriorum Dei. Qui hæc in minoribus; utique & ipse majora præstabit in supremis constitutus Clemens

XIII. Universalis Ecclesiæ Episcopus, feliciter regnans; utinam ad multos annos! Audite jam, & requiescite.

D E C R E T U M.

S. ROM. ET U. INQUISITIONIS confirmatum à SS. D. N. Clem. Papa XIII. quo prohibentur Theses circa Probabilismum expositæ publicæ disputationi an. præterito 1760. Avissii, in Diœcesi Tridentina.

Feria 5. die 26. Febr. 1761.

Per suas litteras ad Congregationem S. Romanæ & Universalis Inquisitionis, labente superiori anno datas, dolenter nimium conquestus est Antonius Cechi, Tridentina Ecclesiæ Canonicus Decanus, Theses quasdam de Probabilismo, à Parocho Avissii, Diœcesis Tridentine, in Adibus canonicalibus jam pridem propugnatas, postmodum sine nota loci & Authoris obscuro prælo fuisse cusas & vulgatas non sine Religionis detrimento, & bonorum offensione, præsertim Ecclesiasticorum, quorum pars suo est regimini & vigilantia concedita. Postulante itaque eodem Decano, congruum adhiberi remedium ingruenti malo, nè latius serpat, Theologiæ censura de mo-

re

re subiectæ fuerunt prædictæ Theses, unico contentæ folio impresso, cujus tenor ita se habet.

PROBABILISMUS.

(Publicæ disputationi Ven. Clero Avissii, exercitii gratia expositus, contra Probabilismum strictè talem, utpote negotium perambulans in tenebris.

Pro die 10. Junii 1760. In adibus Canonicalibus Avissii.

Utinam observaremus mandata Domini certa! Quid nobis tanta sollicitudo de dubiis?

Celeberrimus P. Const. Roncaglia l. 2. c. 3.

I.

Probabilismus noster versatur circa hæc tria.

Licet sequi probabiliorē pro libertate, relicta minus probabili pro Lege.

Licet sequi aequè probabilem pro libertate, relicta aequè probabili pro Lege.

Licet sequi minus probabilem pro libertate, relicta probabiliori pro Lege.

EX IIS.

Deducuntur sequentia Paradoxa.

II.

Usus Probabilismi maximè tutus: Usus Probabiliorismi maximè pe-

riculosus.

III.

Usus genuini Probabilismi minimè in laxitatem degenerare potest: Usus probabiliorismi strictè talis, in Rigorismum excurrere debet.

IV.

Probabilioristas, qua tales, qui ex consilio probabiliora sequuntur, laudabilissimè operari affirmamus.

V.

Probabilioristis strictè talibus, qui ex præcepto, quod numquam clare probant, se ipsos, & alios ad probabiliora impellunt, meritò Rigoristarum nomen imponimus.

VI.

Qui nullatenus, ad Christianam perfectionem tendere possunt, nisi sequendo probabilissima.

VII.

Abusus Probabiliorismi strictè talis, non solum licentiæ frantum, sed licentiæ calcar est; quod Gallorum testimonio comprobamus.

VIII.

Genuinus itaque noster Probabilismus, qui nec morum corruptelam inducit, nec à S. Sede umquam malè fuit notatus, origine sua Thomisticus, progressu ætatis Jesuiticus, utpotè à quo arctatus, emendatus, & contra Jansenianos furores propug-

pugnatus fuit.

IX.

Qui ergo habitat in adjutorio fundatissimi Probabilissimi, sub protectione plurimorum, & omnibus Orbis Christiani nationibus, praestantissimorum Theologorum protectione commorabitur securus.

Ex Historia critica.

X.

Hinc sine ulla laxissimi nota, Benignissimum etiam vocamus; sed legitimum, quem suadent utraque Lex, Caesarea, & Pontificia; sed Dominicanum, quem Illustris Dominicanorum Ordo, jam à primis temporibus est amplexus; sed Pium, qui Christianam pietatem fovet; sed Thomisticum, quem S. Thomas in amoribus habuit, qui ducentas & plures opiniones libertati faventes, in suis sententiarum Libris docet; sed Christianum, qui Christo Domino summè familiaris fuit.

O. A. M. D. & V. G.

Pro coronide. Probabilissimus noster stans pro libertate, est notabiliter probabilior ipso Probabiliorissimo stante pro Lege.)

Cum verò Theses hujusmodi notaque Theologicae expensa fuerint in Congregatione, generali habita in Palatio Apostolico Qui-

rinali coram Sanctiss. Domino nostro Clemente Papa XIII. Sanctitas sua auditis Eminentissimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana, contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum à S. Sede Apostolica specialiter deputatorum suffragiis, folium praedictum & Theses in illo expositas, prohibendas, ac damnandas esse censuit, prout praesenti Decreto damnat & prohibet, tamquam continentia propositiones, quarum aliquae sunt respectivè falsae, temerariae, & piarum aurium offensivae. Illam verò excerptam à num. x. nempe, Probabilissimum, qui Christo Domino summè familiaris fuit, proscribendam uti erroneam & haeresi proximam.

Praefatum itaque folium, sive Theses, ut supra scriptas sic damnatas & prohibitas Sanctissimus Dominus noster vetat, ne quis cujuscumque sit status & conditionis ullo modo sub quocumque pretextu, quovis idiomate imprimere, ac imprimi facere, vel transcribere, aut jam impressum, sive impressas, apud se retinere & legere, sive privatim, sive publicè propugnare audeat, sed illud, vel illas Ordinariis locorum, vel haereticæ pravitatis Inquisitoribus tradere &

con-

consignare teneatur, sub poenis in Indice librorum Prohibitorum contentis. = Benedictus Veterani Affector.

§. II.

135 Hinc ne amictus quidem sindone super nudum appareret, visus est profugisse à terra nostra Probabilissimus; & non revertetur in domum suam, unde exivit, Deo, & S. Sede Apostolica auspiciis; nec locus invenietur ejus ampliùs in illa, aut nec in pace factus erit. Quippè jam emendato vulgari Promptuario N. Larraga, qui fuit adolescentior Probabilistarum Magister Studentium, à senioribus suis factus est Discipulus veritatis antiquae ab anno 1760.

Erunt Conscientiae, tamquam Propugnaculum Probabilissimi alterum, jam pridem Hispano etiam Idiomate confectum, atque publici juris factum à P. Valentino à Matre Dei Ord. Carmel. Discalceatorum, correctum est, quati ab eodem Authore, si modò viveret, à Probabiliorissimo duorum ejusdem Ordinis Theologorum, approbantibus aliis, quin & RR. ipso Generali, non tan-

tum ex gravissimi Diffinitorii consilio annuente, verum etiam plaudente, atque protegente correctionem sibi nuncupatam, editamque Matrì anno 1761. binis Tom. in 4.

Diffinitio generalis, celebrata Romae sub RR. P. Paulo de Colindres die 9. Novembris 1761. ordinationem condidit, à toto Ordine lætanter susceptam; quae tamquam fidelis sermo, & omni acceptione dignus ad Hispaniarum Provincias directa est verbis istis: „Tenganse todas las ferencias morales, à que deben acudir todos los Sacerdotes, Estudiantes, y Coristas, pues todos pueden aprender en ellas; y en quanto al modo lo remitimos al estilo de cada Provincia, y al arbitrio de sus Superiores, encargandoles, que en concurso de varias opiniones figan siempre la que, consideradas todas las circunstancias, fuere la mas probable, por no incidir en el escollo de tantas relaxadas, que con apariencia de probables corren por el figlo, y corrompen las buenas costumbres, como miserablemente se experimenta.

Sed

Sed & RR. Petrus Joannes de Molina, conterraneus noster, & totius Ord. Minorum bis Minister Generalis, litteris suis encyclicis, datis Romæ sub die 4. Octobris (P. N. S. Francisco sacra) an. 1762. novissimi Capituli Generalis Mantuani Decretum promulgavit his conceptis verbis: *Illis tandem, qui ad tradendam morum doctrinam sunt instituti, in virtute Sanctæ Obedientiæ, totius Capituli Generalis GRAVISSIMO DLCRETO inherendo, mandamus, & precipimus, ut TUTIORES, & PROBABILIORES doceant, & sententur doctrinas. Quodsi eorum aliquis vel in Scholis, vel in publicis lectionibus, quæ secundum Provinciarum morem habentur coram tota Communitate de Morali Theologia, vel in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, ausus fuerit ad usum (certè jam oblivioni perpetuæ traditum) revocare MINUS PROBABLES, laxas, & periculosas doctrinas; à Ministris Provincialibus, quorum conscientia onerata remanet, pro prima vice seriò corrigatur: nisi verò ad cor revertatur, & resipiscat, Lectorum officio, & ministerio excipiendi Sacramentales Confessiones, omninò, & indispensabiliter privetur.*

Præterea, RR. P. M. Gene-

ralis totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. N. Aug. Fr. *Francisci Xaverii Vazquez*, in litteris ad Doctorem sui Ordinis Hispanum, datis Romæ VI. Kalendas Maii, elapsi anni 1764. præterquamquòd totus est ut sanio rem commendet doctrinam, & laxitatis terrorem ingerat, sese insuper ait vigilanti simè cum primis huic saluberrimo negotio pro sui Officii munere vacare, vacaturumque indefinenter. Verùm præter alia gaudet, apud Germanos Augustinenses, Italos, & Gallos nullum reliquum esse, qui Probabilismo subscribat: dolet præterea vicem Hispani hominis Fr. *Josephi Cliquet*, qui totum opus suæ Theologiæ Moralis Probabilismi consequutionibus consperxit; & licet iste provectione ætate, clarissimo testimonio, quod supra n. 104. dedimus, respuerit, denuò providit RR. Mag. Generalis, ne summa illa vulgatissima, *La Flor del Moral*, iterùm in lucem edatur, nisi rescisso prius Probabilismo, & exinde deductis, aut undecumque aliis assumptis laxioribus sententiis, quam emendationem modò curat Provincia Castellæ.

Prælaudati Præsulis ductu
con-

constituerat jam R. Hispaniarum Assistentens Mag. Fr. *Nicolaus Cerdà* in Comitibus Provincialibus Regnorum Coronæ Aragonum, quibus præerat Valentia Idibus Aprilis 1761. ne quis imposterum Probabilismi opinionem amplecteretur: atque hoc statutum summo omnium plausu acceptum, postea à RR. P. Generali confirmatum est; quippe qui præstantissimum suum litteratorum hominum Ordinem in mundiori doctrina DD. *Augustini*, & *Thomæ* ita unius labii optat, fovet, ac curat, ut nihil faciat pluris quàm hanc doctrinæ concordiam, atque integritatem.

Rursus, prætermisissis aliis, RR. P. Gregorius à Carmelo Generalis supra laudatorum Carmelitarum Discalceatorum, in sua encyclica, Matriti edita, & subscripta 26. Aprilis 1767. obtestatur suos subditos: *Por nuestra ley, y por repetidas determinaciones de los Capítulos, y Definitorios Generales está mandado, que nuestros Religiosos sigan en Materias Morales las doctrinas MAS APROBADAS, MAS SANAS, Y SEGURAS, y especialmente las que enseña el Angelico Doctor S. Thomás.*: Ha-

tiempos un modo libre, y licencioso de opinar en Materias Morales: que tiene por licito quanto dicta el gusto, y solo con que se diga PROBABLE por uno, à otro ingenio cabiloso, y reflexivo, se juzga por seguro. Un modo tan pestilente de pensar acerca de las costumbres, que puede producir en los fieles, sino unas costumbres, y Moralidad pestifera? Lejos sea de todos mis Subditos, y de los Ministros todos de la Iglesia, semejante doctrina, por la que ha padecido en estos tiempos la Iglesia tan cruel persecucion en la disciplina Moral, como antes en Materias de Fè, y Religion por los Hereges, y aun tanto mas cruel, quanto son menos sospechosos los Autores, que la enseñan.: Si acaso alguno en algun tiempo se ha dexado blandear de este modo suave de doctrina, vistase desde ahora de fortaleza Christiana, no avergonzandose de retractar su juicio.: *La regla segura para cumplir los Santos Ministerios de Confessionario, y Pulpito con utilidad nuestra, y de nuestros proximos, es el estudio de la Escritura Santa, y la Tradicion de la Iglesia, contenida principalmente en los Escritos de los Santos Padres.*: Esta es la regla, à que hemos de conformar nuestra razon, si queremos acertar en las reso-

H

lu.

luciones Morales, y lo contrario es presuncion peligrosa, opuesta enteramente à la humildad, que quiere Christo en los Ministros, à quienes ha de revelar sus secretos. Encargo à todos los Prelados por los meritos de la santa Obediencia, que zelen con la mas vigilante sollicitud la puntual observancia de quanto llevo prevenido, haciendo que esta mi Carta se lea en Capitulo Conventual, congregado à campana tañida, y avisandome de los que contraviniesen à ella, para que se les castigue, como merece la gravedad de la culpa. Sit nomen Domini benedictum.

Perfectò ex bona Dialectica, supradictarum thesium novissimè damnatarum subiectum, & prædicatum supponebant pro eodem. Negatis itaque, aut damnatis prædicatis, quæ Probabilissimum commendabant, traducebantque Probabiliorissimum; de illo accipiantur, necessarium est, tamquam de subiecto non supponente ad gloriam & honorem, secus de isto. Attributa ea, tamquam proprietates, & quasi essentia Probabilissimi tota, decantabantur ad ravim usque à gregalibus Probabilistis; sed à SS. D. N. declarata uti *respective falsa*, teme-

rarum, *piarum aurium offensiva*, quin & *erronea*, atque *heresi proxima*; relegata simul sint oportet in terram alienam, illisque versa in luctum, ploratum, & ululatum multum. At silentium, tutum præmium. Et hæc est victoria, quæ vincit Probabilissimum.

Ceterum non sint omnia hæc stabilita, ordinata, insinuata, & decreta tantorum Summorum Pontificum, expressum eorumdem mandatum abrenuntiandi Probabilissimo. Benè habet. At poterit dici umquam, non esse, neque continere saltèm expressam intentionem, & expressam S. Sedis voluntatem illum non sustinendi? Poterit umquam dici, non esse sufficienter claram & exploratam mentem Vicarii Christi, sed adhuc incertam, dubiamque? Id asserere, nonnè idem esset, ac negare, Solem lucere in sereniori meridie, atque intelligentium irrisioni exponi? Si ergo Probabilista ab evidentia rerum adeò sensibili astringuntur fateri, & concedere hoc saltèm; quam debemus deducere consequentiam? En legitimam, & necessariam: quòd teneantur submittere privatos suos sensus illis Apostolicæ Sedis:

dis: quòd tenentur tamquam oves dociles, audire vocem supremi Pastoris satis perceptam, quamvis non manifestam terrore præceptorum & censurarum, & obedire voci Christi, qui sic jubet sequi voluntatem sui vices gerentis, suamque representantis personam ipsam. Hæc est consecutio apertè dimanans, & resultans: & hoc præcisum debitum est omnis boni Catholici, debitumque ita plus ur-

gens, ac indispensabile in nostro casu, quantò hic non agitur de materiis indifferentibus ex natura sua, vel merræ disciplinæ; sed de regula eminentissima Moralis Christianæ, in qua est necessarium, longè à via errare veritatis, & salutis, quemcumque non conformatum sensibus Augustæ illius Sedis, cui à Christo promissa est immunitas ab omni prorsus errore.

DISSERTATIO III.

DE PROBABILISTICI BELLII triumphalibus Ducibus.

ARTICULUS I.

Decreta Alex. VII. & Innoc. XI. fecere victoriam.

§. I.

136 **C**entum etenim, & amplius Propositiones, condemnatæ ab *Alexandro VII. & Innocentio XI.* ante proscriptionem erant citrà aleam *probabiles*, juxta Probabilisticum systema, saltèm in genere, ac majori, maxi-

mâque earum parte; quia omnes, vel quasi omnes edoctæ fuerunt sive à quolibet Authore *classico*, sive à tribus, quatuorve *doctis*, atque *piis*: adeoque tali in systemate omnes, aut quasi omnes, erant regula tuta conscientiæ, aliis etiam contradicentibus Authoribus; quam sequendo, via *rectâ homines*, ut *Escobarii* verbis utar, *tendebant ad Superes*, absque periculo rem illicitam committendi, quæ propriam gravaret animam peccato ullo,

nisi ad summum materiali tantum: quod à Deo non imputatur ad culpam.

Hæc verò probabilistica doctrina, videlicet: *Omnis opinio verè probabilis* (in prædicto illorum sensu) *est licita, & honesta, nec adfert ullum peccati periculum, nisi materiale ad summum, & non imputabile ad culpam.* Hæc, inquam, eorum regula, apertè falsa est declarata à formulis expressis in laudatorum Pontificum Decretis. Ubi claris notis asseritur, quod ejusmodi Propositiones erant *ut minimum scandalosæ, & in praxi perniciosæ. Quare ne ullo umquam tempore viam salutis, quam suprema Veritas Deus aeternam esse definit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret: & ut oves sibi creditas ab hujusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, in rectam semitam revocaret, inquit Alexander VII. seu ut Innocentius XI. loquitur: Ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiiis, à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum, proseguere volens, illas Propositiones, & unamquamque ipsarum, Uterque statuit,*

& decrevit, esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnarunt, & prohibuerunt. Inferre igitur est necessarium, prædictas Propositiones, etiam ante condemnationem esse perniciosas, illicitas, & animarum perniciem inferentes, quantumvis fuerint *probabiles* in sensu Probabilistarum. Atque necessariò concludendum est, *probabilitatem*, ab his propositam tamquam regulam securam humanarum actionum, securam regulam reverà non esse, sed fallacem, illegitimam, exitialem, dignamque desertionis, & vitiationis à quocumque volente salvum fieri.

Unde palàm fit, non jam Summos Pontifices loqui dumtaxat de damno impæsterum inferendo à præfatis propositionibus, aut post damnationem, quæ tollit earum qualemcumque probabilitatem; verum etiam de damno & ruina, quam occasionabant prius, quum adhuc reputabantur *probabiles*, & tutæ in conscientia. Quapropter res est item manifesta, Summos illos Pontifices non agnovisse probabilitatem earum, uti tutam morum regulam, quam amplectendo nullum incurratur peccata-

catum, quod constituatur culpabile coram Deo, nullumque detrimentum salutis æternæ. Neque ergo probabilitas opinionum valet modò, securitatem præstare tot aliis, quæ, si comprehensæ non fuerunt in Pontificiis Decretis, non fuit, quia crederentur satis fundatæ, ac securæ, ut ex ipsis Decretis apparet, ibi: *Non intendit tamen Sanctitas sua per hoc Decretum, alias Propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas, ullatenus approbare.*

§. II.

137 **D**Ein, Propositiones de Probabilitatis materia damnatæ, Probabilissimum condemnant. Quippe doctrina ineluctabilis ea est, falsam esse conclusionem, legitime deductam ex aliquo principio, nequire, quin pariter falsum sit principium eam inferens; juxta proloquium illud bonæ Logicæ certum, & inconcussum: *ex vero numquam sequitur falsum.* Nunc sic: Quatuor Propositiones, ordine Decreti *Innocentiani* priores, quæ directè, ac immediatè spectant

materiam *probabilitatis*, fuerunt expressè proscriptæ *uti falsæ, scandalosæ, erroneæ, atque animabus detrimenti gravissimi.* Hæc autem consequuntur legitime principium, sive Probabilissimi doctrinam. Principium quippè Probabilissimi commune, ac Probabilistarum est, solidè probabilem esse, adeoque tutam conscientiæ regulam, opinionem eam, quæ innixa est gravi autoritate, ac ratione alicujus momenti; quæ semper præsumitur de gravi autoritate: & hæc proculdubio est gravis, quando est doctrina trium, quatuorve modernorum Scriptorum, aut etiam sex, sive octo *doctorum*, atque *piorum*, præsertim si in eorum numero interveniat aliquis illorum, qui vocantur *classici*, & *omni exceptione majores.* Præfatæ verò quatuor Propositiones omnes de *Probabilitate*, docebantur ab Authoribus *doctis & piis*, id est, altera à sexaginta, altera à triginta, seu quadraginta, altera à quindecim, aut viginti, & cuncti sine contentione *docti* erant, ac *pii*, adeoque singuli *classici*, *superioresque* omni exceptione. Unde juxta Probabilistarum principium, & doctrinam, omnes eæ qua-

tuor erant *solidè probabiles*, & conscientiæ regula tuta, atque hinc educebant suam probabilitatem, & tutamen. Si ipsæ itaque ab Ecclesia declaratae sunt, uti fuerunt, falsæ, improbabiles, & corrupta morum regula; falsa quoque, improbabilis, morumque corruptio est probabilistica doctrina, à qua suum hauriunt virus.

138 Solidiores suo stant robore vires argumenti consideratione Assertorum dictarum quatuor Propositionum; qui fuerunt Probabilistæ, hoc est, Authores, qui scripsere post introductionem Probabilissimi in mundum, & hanc opinandi methodum sequuti fuerant. Adeò ut ne unus saltem produceretur scriptor, qui ante hujusmodi doctrinæ nativitatem docuerit ullam illarum, si discutiantur præcedentes Authores candidè ac fideliter, atque sine cujuscumque termini ambigui cavillo. Et re ipsa Authores, qui præfatas docuere damnatas theses quatuor, ex suis systematis principiis generalibus eas deduxerunt, ex ipsisque necessariò deducuntur. Namque posito principio eo, uti *certo* à

Probabilistis adoptato, qui *probabiliter agit, prudenter agit*, ipsum sequuntur per necessariam illationem cuncta quatuor, & ex eo propterea deducebant coherentem. Illæ reputabantur *probabiles* in virtute cujuslibet rationis, & multò magis ratione sufficientis autoritatis: quare negare nequibant, prudenter agi amplectendo, & ad praxim eas reducendo, sicut ultrò fatebantur. Hòc principio *Tamburinus* (a) resolvit, & approbat primam: *In conscientis Sacramentis*, inquit, *poterit eorum Minister sequi opinionem probabilem, etiam probabiliori relicta, nisi tamen obstet usus, & consuetudo Ecclesiæ, &c.* Et pro ea allegat *Vazquesum, Basilium Poncium*, & alios apud *Mercollam*. Resolvit, & approbat uti *probabilem* secundam de Judice in æqua juris litigantium probabilitate, *propter extrinsecam honorum Doctorem auctoritatem*. Resolvit itidem, approbatque tertiam, ut infra ostendetur. Ipsissimo principio *P. Sanchez* resolvit & approbat primam (b), quartam, ac probabilem arbitratur etiam secundam. Et sic alii ex eodem principio inferunt, & quidem

le-

legitimè, consequentias eadem; ex illo enim proficiscuntur per inevitabilem illationem. Quòd si ante Pontificium Decretum fuerunt Probabilistæ, qui docuerint vel hanc, vel illam contrariarum opinionum sanarum; *consequentis horror, & nimis de se patens absurditas ipsos deterruit, & in ejus dissensum traxit vel invitò*, ut observat *Camargus*; qui iccirco subdit: *Optimam sententiam tradidit, sed pessimam tenuit consequentiam.*

139 Repercussio adhuc altera majus argumento adjiciet pondus. Est infallibile, Machinam magnam moderni Probabilissimi totam fundari super principia reflexa, quæ supponunt certissima: quorum maximum, à quo cætera pendent, desumptum est ex doctrina fusè à *Terillo* explicata, & à cæteris Probabilistis excepta communiter, quòd scilicet, ubicumque opinio sit probabilis, quæ negat existentiam obligationis, quantumvis concurrat cum probabiliori altera, quæ illam adfirmat; lex non est sufficienter promulgata, & ideò non datur vere lex, quia cum promulgatio sit legis substantiæ necessaria, sine ista non valet

consistere. Hinc potentius redditur argumentum nostrum. Si ante Decretum Pontificium nulla erat lex, quæ prohiberet totum id, quod completuntur quatuor damnatae Propositiones, res est evidens, id totum esse licitum, & practicabile absque scrupulo peccati, nam ubi non est lex, nequit peccatum esse, quod est prævaricatio legis. Atqui in RR. Probabilistarum systemate non erat lex ulla, quæ interdiceret quidquid comprehendebatur in damnatis illis thesibus. Evincitur: Dum inter Authores est controversia, si aliqua existat lex, quæ obliget ad talem, vel talem actionem, & eorum opinio, qui negant existentiam, sit solidè probabilis, id est edocta à quatuor, sive quinque Theologis, lex non est sufficienter promulgata in tali casu, ideòque non est verè lex, quia deest conditio essentialiter requisita. Cùm ergo ante Decretum fuerit inter Theologos controversia, rùm fuerint leges seu obligationes expressæ in Propositionibus damnatis? & Authores numero & qualitate sufficientes ad reddendam opinionem *probabilem*, illas negaverint; se-

H4

cun;

(a) Lib. I. in Decal. cap. 3. §. 4 n. 20. (b) Lib. I. in Decal. c. 9. n. 33.

cundum systema probabilisticum non erat lex, quæ prohiberet quidquid in Propositionibus illis comprehensum est: non erat lex, quæ Ministro Sacramentorum vetaret ea conferre, sequendo opinionem minus probabilem, & tutam: Judici, ferre sententiam favorabilem producenti momenta minus fortia: Infideli, perseverare in sua secta, moto opinione minus verisimili: Cunctis generatim, amplecti probabilitatem vel tenuem in opinionum delectu. Aliunde totum hoc falsissimum est: nam, sicut ex huiusmodi doctrinarum resultat proscriptione, non obstante inter Theologos dictaminum varietate, lex erat, quæ supradicta vetabat, cum non ea fuerit ab Ecclesia promulgata, sed dumtaxat declarata. Falsissimum itaque est capitale principium *reflexum* probabilisticum, à Terillo institutum, & à gregalibus suis omnibus professum: & consequenter solò æquatur tora probabilistica moles, quæ illo fundamento, velut solidissima base fulciebatur.

ARTICULUS II.

Perit fuga à Probabilismo.

§. I.

140 **P**ER Decreta Pontificia aperte Probabilismo subterfugium ademptum est, fugæ locus, modus, potestas, quasi in spelunca ab hostibus obsessa latenti, & circumvento. Sanè *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* curæ fuit Probabilissimi salus; & non est sanatus, quoniam tantum non conciderunt animò docti Iuniores, spectantes licet probabilisticam doctrinam, quam illi *benignam*, & *suavem* vocitabant, binis Decretis confixam, & decem supra centum Propositiones, veluti Probabilissimi consecraria, damnatas. Imprimis enim *Terillus* singularia & absona respondet (a) ad Alexandrinum Oraculum. Obsonius apparet illud, quò se recipit (b) per hæc verba: *Respondeo in primis, nihil horum ad intentum facere. Quia querela illa (Alexandri VII. in capite sui Decreti) solum impetunt doctrinas DIRECTAS nimis laxas; de REFLEXA mentionem non faciunt,*

ut

ut constat ex dictis. Hoc responsum expresserat (a) fusiùs, & his clarioribus verbis: *Hic solum queritur, quid de doctrina REFLEXA Alexander senserit? & an illius extirpationi studuerit? De qua questione ex generali illa exhortatione nihil inferri potest, nisi aliunde probetur, ALEXANDRUM existimasse, doctrinam REFLEXAM de licito probabilium usu esse nimis laxam. Verum hoc nec ex dicta illa exhortatione, nec aliunde probari potest. ALEXANDER ergo, non injunxit GENERALI PRÆDICATORUM curam exterminandi doctrinam communem REFLEXAM, sed solum sollicitus fuit de doctrinis DIRECTIS nimis laxis.*

141 Tantâ facilitate Pontificia eluduntur Oracula responsione tam peregrina! Si damnavit Pontifex doctrinas *directas*, damnavit *reflexas*, quæ ex *directis* eruuntur, utpotè doctrinæ *directæ* sunt objectum opinionum *reflexarum*. Damnatur opinio *directa*, quæ licitum facit contractum *Mohatra*, secus opinio *reflexa*? Porro *Alexander* præstat duo: *Propositiones* peculiare damnat, sed primum omnium ipsum *opinandi modum* declarat Euan-

gelio, & Patribus repugnantem. Ad hoc si animum intendisset *Terillus*, haud obtrudere ausus fuisset (b) hanc argutationem: doctrina *reflexa* de licito usu opinionis probabilis, erat potissima, contra quam, ut laxitatum radicem, clamabant Adversarii; sed illa fuit in discrimen adducta, & nullâ censurâ evasit notata: consistit ergo immunis, & veluti triumphans. Conferatur interpretamentum hoc cum Alexandrinis verbis iis: *Modus opinandi irrepit, alienus omnino, &c.* & continuo palam erit, quam sit infelix *Terilli* ratiocinium. Expressâ & solemnî censurâ non proscripsit *Alexander VII.* Probabilissimum, verum in suo Decreto alienum à simplicitate Evangelica, & Patrum doctrina declaravit. Sed etiam si siluisset, non idcirco salva consisteret *reflexa* doctrinas; quandoquidem, ut significavit *Innocentius XI.* supra n. 136. in fine, non ideò sana est dicenda doctrina aliqua, quia oblata Pontifici, damnata non fuit.

142 Post hæc solemniter obtestata ab Ecclesia, *P. Carpani* audet nihilosecius scribere-

(a) De reg. mor. p. 1. q. 8. n. 15. (b) Num. 25.

(a) Num. 22. & 23. (b) Ibi n. 18.

bere (a): *Ecclesia univèrsa suffragatur nostræ sententiæ* (Probabilissimo); nullamque dari legem generalem, quæ præcipiat ut in rebus moralibus incertis sequamur opinionem PROBABILITATEM, satis suo silentio manifestat. Nam si hæc daretur (utpotè quæ pertineret ad jus naturæ, & esset primaria regula morum, juxta quam nos in rebus moralibus incertis, quæ plurimæ sunt, operari necesse esset) ignorantiam illius, bonis moribus perniciosam, ad hæc usque tempora non permisisset. Conatus iste nixus est falsitate, nimirum, quòd Ecclesia univèrsa non damnaverit probabilissimum quoad sufficientiam, ut quilibet obsequiosus, ac fidelis sectator sensum Ecclesiæ debeat illum improbare tamquam falsum, & prosùs improbabilem, ut dictum est. Quippè Ecclesia univèrsa, sive Ecclesia Catholica Romana (quæ loquitur per os Summi Pontificis) ut damnet, & rejiciat quamcumque doctrinam uti falsam, & improbabilem, non habet opus damnatione formali, & expressâ, sed sufficit vel virtualis, & implicita. Quis negaverit, nisi P.

Zacharias suprâ n. 134. & alter recentior Probabilista, suppresso nomine citatus ab Eusebio Eraniste (b)? Ille novissimè editâ epistola concedit, re ipsa Probabilissimum esse virtualiter, & implicitè damnatum, adhuc licere tamen amplecti, quia non est damnatus formaliter, & expressè. Sed ex ore sodalium suorum judicantur.

143 Quippè P. La-Croix (c) cum sibi objecisset, quòd in I. Propositione, ab Innocentio XI. proscripserat expressè de conferente Sacramenta, damnatum non est, quòd suscipiens licitè sequatur talem opinionem probabilem, responderet: *Damnatum non est* FORMALITER, concedo, VIRTUALITER, nego. *Illâ autem propositio dicitur damnata* FORMALITER, quæ damnatur expressè in suis terminis; illa damnatur VIRTUALITER, cujus falsitas legitime infertur ex damnata FORMALITER: & talis est propositio de suscipiente. Idque, quia eadem est ratio pro uno, & altero casu, nam etiam, ait, suscipiens, committit irreverentiam in Authorem Sacramenti. Et hoc sufficit, ut debeamus etiam de suscipiente

te præfatam rejicere propositionem uti falsam & improbabilem. Idem affirmat P. Carpani (a): *In qua Propositione, inquit, ut videre est apud Dominicum Vivam, damnatur implicitè usus opinionis probabilis relicta tutiore, etiam in Sacramenti suscipiendis.* Et laudatus Viva non tantum eo loci, sed & quamplurimis aliis suæ trutinæ locis, improbat opiniones diversas, quia contentas implicitè, aut virtualiter in expressè, seu formaliter damnatis. Et similiter cæteri Probabilistæ. Atque omnibus illucet ridiculus, temerariusque contemptor decisionum Ecclesiæ, quicumque doctrinam virtualiter ac implicitè proscripserit, uti talem ab ipso agnitam, & judicatam, vellet omnimodè vel sustinere, vel exequi prætextu non expressè, ac formalis proscriptionis. Unde Viva concludit: *Ex regula aliàs tradita, quando eadem ratio, quæ militat pro thesi proscripserit, militat pro alia consimili, hæc etiam implicitè redditur improbabilis.* Et re ipsa satis est levis cognitio quælibet primorum Logicæ elementorum, ut sciatur, legitimam esse illationem falsitatis propositionis, quando

militat eadem ratio, ac pro altera certò falsa, seu (quod est idem) continetur in falsa tamquam in principio, connexo cum ea necessario, ita ut una nequeat esse falsa, quin falsa quoquè sit & altera, ut explicavimus n. 139. Hinc demonstravimus à n. 137. Probabilissimum virtualiter saltè fuisse damnatum in quatuor Propositionibus formaliter condemnatis circa Probabilium materiam; quia vel ratio, quæ pro iis militat, eadem est, ac quæ militat, etiam pro doctrina generali Probabilissimi, vel intimam habet, & necessariam connexionem inter proscripserat theses, & systema illud.

144 Nec refert, à tot bonis Catholicis id defendi etiam post prædictarum propositionum damnationem, Ecclesia non ignorante. Nam imprimis plures præcessere Scriptores, qui re discussa radiciter, ita se habere asserunt, & evincunt. Si ergo probationes, quæ ex illis reproduximus, habent in rei veritate vim, quam mihi videntur habere, nihil juvat, quòd alii plures aliter cogitent, & persuadeantur. Adversarios agnosco nos

(a) Pap. 107. (b) Leter. I. ad Minist. stat. pag. 34. (c) Lib. 6. par. 1. n. 105.

(a) In Thef. 54. Innoc. n. 16.

nos Orthodoxos, & paratos ad sese subjiciendum definitionibus Ecclesiæ, & iis omnibus, quæ ab illis necessario procedunt. At dicam simul cum *Camargo*, laudato n. 138. non esse bonos Logicos, atque falsis ideis præventos, nimiâque pressura placidum systema Probabilissimi sustinendi, videntes non videre, & audientes non intelligere consequentias eas naturales, quas ex propositionibus censurâ notatis educere deberent.

Demus, in aliquo saltem sensu, Ecclesiam rescire, Probabilissimum propugnari, atque ad praxim deduci inter Catholicos, etiam post earum proscriptionem Thesium. Hinc profecto non inferitur legitime, non fuisse damnatum *virtualiter* saltem, & *implicitè* damnatum evincente ratione evidenti. Ecclesia scit, defendi Probabilissimum, nihil obstantibus propositionibus ejus damnatis, ad praximque reduci: eò modo quo scit, defendi & ad praxim deduci tot alias propositiones ab ipsa *expressè* ac *formaliter* proscrip-tas, media qualicumque modificatione, distinctiuncula, vel interpretatione, habente nihil substantiæ: modo quo scit, post

venerabilia sua Decreta comparere in libris multorum Casuistarum, qui aut reimprimuntur, aut noviter lucem aspiciunt, easdem etiam hodiè Propositiones, quæ antea. Quamvis verò in nonnullis apponatur quævis notula, intacta permanent falsa principia, undè proficiuntur illæ, plurimæque non minùs pessimæ consequentiæ, quæ expressè non sunt damnatæ, sed in proscriptione formali earum involutæ, potissimum in Propositione 27. damnata ab *Alexandro VII.* legitimo in sensu accepta.

145 Inde fit, neque nos posse, saltè generaliter, concedere, Probabilistas jam non admittere uti *probabiles* theses damnatas à Summis Pontificibus, & Ecclesia. In factis enim quomodo dici potest, in veritate illas rejicere, si etiam ipsi, qui ex munere assumpserunt earum commentaria, tot commenti sunt subtilitates, tot repagula, tot expositiones arbitrarias, quæ vanas reddunt damnationes, inutilesque? Si asserere non erubescunt cum *P. Señeri, Toletum, Suarium, Sanchezium, Azorium, Lestium, Laymannum, Valentiam, plurimosque alios Probabilistas, numquam*

quàm tradere doctrinis laxas, seque hoc mordicus defendere *implicitè* ab impugnatoribus, casibus particularibus à se proditis? Si *P. Hurtado*, si *P. Viva*, qui super Propositiones præfatas scripsere, numquam, aut ferè numquam concedunt rotundè, fuisse ab Authoribus suæ sodalitatis edoctas, quantumvis multæ sint expressè in eorundem terminis ipsis? Quapropter *P. Joseph Alfarus (a)* meritò luget, quòd talium interpretum causâ res penè sint in eodem statu, quo erant antequam proscriberentur. Hæc illius verba: *Sunt tot interpretationes singularum Propositionum, & novæ inde probabilitates exorta, & ut aliqui dixerint, rem manere in priori statu.* Ecclesia scit, vel saltem scire existimatur, hoc totum. Idcirconè licebit deducere, doctrinas eas non esse ab Ecclesia improbatas, & condemnatas quantum sufficit, ut omnes ipsas improbemus, & rejiciamus uti *falsas*, & *improbabiles*?

146 Porro Ecclesia, si omnes omninò damnare voluisset opiniones falsas specialibus Decretis, priùs finitus esset mundus, quàm finem face-

ret suorum fulminum. Quoad Propositiones jam expressè fulguritas quiescit, & sedet sub umbra bonæ fidei filiorum suorum, præsumitque, sua Decreta simpliciter & candidè accipi, atque exponi secundum intentionem suam: atque si deducuntur consequentiæ, ex iis naturaliter emanantes; particulares propositiones *expressè* proscrip-tas complecti omnes alias doctrinas, quæ cum illis vel intimè sunt connexæ, vel per idemp-titatem rationis sunt *implicitè* condemnatæ: sicut im-præsentialium advenisse Probabilissimo arbitramur. Quoad alias verò doctrinas, quæ tametsi *laxæ* sint, ac *perniciosæ*, adhuc damnatæ non sunt aut *expressè*, aut *implicitè*; fulmina reservat in tempus, quo denuntiabuntur suo tribunali, alia Christianismi negotia magna earum discussione & examini locum dabunt, & opportuniùs faciet, quin scandala oriantur, atque scissuræ. Nec tamen idcirco illas interim approbat, ut explicavit *Innocentius XI.* nuper laudatus. Quare sicut non valet: *In tali Regno ea consuetudo non est à Principe interdicta, ergo non est abu-*

(a) Censura cens. n. 27.

abusus : ergo licet fieri ; ita non tenet : *Hæc opinio non est damnata ab Ecclesia* : ergo licet amplecti. Quis enim nesciverit, plures esse corruptelas quolibet in statu , quas prudens Princeps vel non prohibet ob virandum majus malum , vel ad aliud differt tempus , ut plus proficiat prohibitio ? Norma datur Ecclesiæ à Christo , quòd ad eradicationem zizaniorum non est deveniendum usque ad messem , cum nempe Authorum theses redduntur vel famosæ , vel notabiliter scandalosæ . At quemadmodum zizania non inducunt indolem tritici , etsi non fuerint effusa , & præscissæ ; sic nonnullæ Authorum propositiones sunt falsæ , veraque zizania , quantumvis anathemate nondum sint in frustra sectæ . Si ergo stultus haberetur , qui malam consuetudinem jam pridem introductam in Provinciam vel statum , vellet justificare ex eo , quòd Princeps usque modò eam non interdixit : stultus quoque , dignusque reprehensione erit , qui fecerit , & docuerit opinionem quamlibet , quia Ecclesia nondum ipsam proscripsit.

S. II.

147 **E**O desperationis prolapsi sunt tum temporis Probabilistarum aliqui , ut autoritatem ipsam Pontificiam aggressi fuerint . Disseminavere illi in vulgus , præfata Decreta Pontificem tulisse , non ut caput Ecclesiæ Catholicæ , sed ut caput , & rectorem Inquisitionis Romanæ . Porro , *inquirebant* , Pontifex Romanus , licet ut caput Ecclesiæ universalis , asphaltiâ , sive infallibilitatis fruatur privilegio , secus tamen ut caput Tribunalis Inquisitionis . Futilis , & audacis commentum hujus meminerunt famosi duo Probabilistæ *Casnedi* . & *Cardenas* . P. *Carolus Antonius Casnedi* sic scribit (a) ; *Audiui , & legi aliquos non vulgaris doctrine viros , & quidem non esse paucos : Cum enim hi Doctores diversis in Regnis , & Universitatibus vixerint , videtur in qualibet non defuisse , qui sequentem doctrinam docuerint* (magnificatur numerus Authorum , ut interpretamentum fiat *probabile* ipso eo tempore , quò propugnatur contrarium) . *Dicunt ergo , Decretum INNOCENTII , & utriusque ALEXANDRI...*

XAN-

... non esse EX CATHEDRA , seu non esse Decretum Alexandri & Innocentii UT PONTIFICUM , sed esse eorum Pontificum , ut sunt Caput Inquisitionis Romanæ , cujus auctoritas , licet sit in præcipiendo efficax , seu obliget in conscientia , non minus ac alterius Principis , non tamen est in declarando infallibilis . Infallibilitas enim non est privilegium , nisi Pape , ut loquentis EX CATHEDRA , aut legitimi Concilii Generalis .

Sed ante *Casnedum* hæc P. *Joan. Cardenas* retulit (a) : P. *Mattheus Moya* (b) & *Raymundus Lumbier* in annotatione prævia ad hoc Decretum (Innocentianum) referunt quosdam Theologos , supressis nominibus (evidens argumentum , non fuisse Jansenistas) , *asserentes* , quando Pontifex per Sacram Congregationem Cardinalium prohibet , aut condemnat librum , aut doctrinam aliquam , jubens expressè , quòd ejusmodi Decretum prohibitorium suo nomine promulgetur , tunc non loqui ut CAPUT ECCLESIE , sed solum ut CAPUT , & ut PRÆSIDEM ejus Congregationis . Et ego audiui quemdam Theologum , qui id assertum explicabat hoc exemplo . Nam si Rex Hispaniæ in

Congregatione Ordinis S. *Jacobi* præcipit aliquid , id non præcipit tamquam Rex , sed tamquam Magister Generalis Ordinis *Militarium* , vel potius , ut Administrator ejus *Magisterii Generalis* . Id quòd videtur applicari posse ad cetera Decreta Sacre Congregationis , quæ jubet Pontifex , suo nomine promulgari . Improbatur doctus *Cardenas* recitatam doctrinam , tamquam contrariam universali Theologorum sensui , docentium , Romanum Pontificem tum semper loqui ut Ecclesiæ Caput , quum toti Ecclesiæ sua notificat decreta , Fidelesque adstringit omnes ad eorum observantiam .

148 Ejusmodi Commenta , & tot in Casuistarum defensionem apologiæ magnam constarunt Probabilistis inviviam , & indiès ultimam parabant cladem . Comparatione instituta Probabilistas quosdam inter , & Jansenistas , nonnulli contendebant , non valdè dissimilia esse utriusque oppositæ factionis studia in propriis tuendis sententiis . Negant Jansenistæ , in libris extare Jansenii quinque famosas propositiones damnatas . Negant plerumque Probabilistarum plures ,

pro-

(a) Tom. I. disp. 2. lect. I. n. 1. 2. & 3.

(a) Dissert. I. cap. 4. n. 99. (b) Tom. I. selec. disp. I. q. 6.

Proscriptas ab *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* propositiones reperiri, ut *jacent*, in libris *Cajusistarum*. Subdunt *Jansenistæ*, quinque Propositiones, etiam si in *Jansenio* reperirentur, sensum habere Catholicum. Reponunt *Probabilistæ*, propositiones centum & decem damnatas ab Apostolica Sede, ut *jacent*, in suis habere *Moralistis* sensum sanum, à quacumque damnatione immunem. Utraque pars mutuo sibi exprobrat artes, effugia, & astus in eludendis Sedis Apostolicæ Oraculis decretoriis. Utraque pars in aliena domo zelum sanæ doctrinæ, & obsequium erga Romanos Pontifices ostentat. Interea vix erat qui proprium fateri errorem veller. Veranè, an falsa sit comparatio hæc, historicè tantum à nobis reproducta; aliorum esto iudicium. Ex lectione plurium Probabilistarum, præsertim *P. Vioæ*, qui interpretati sunt damnatas Propositiones, colligi id poterit.

149 Porro unum est certum. Hæretici colligentes 600. Propositiones, librum adornarunt, editum *Londini* 1687. in quo suaderent Populis, Ecclesiam Romanam fuisse tra-

ditam in reprobum sensum. Minister *Jurieu* excepit lectiones avunculi sui *Patri Moulin*, & fideliter eas mandavit executioni, ut contradiceret Romanæ Ecclesiæ istac argutatione: Communitas Jesuitarum; *inquit*, est corpus adeò potens, & acceptum in Ecclesia Romana, ut doctrinæ Societatis possint reputari, & amplecti uti opiniones inter Catholicos communissimæ. *Nunc sic*: certum est, atque certissimum, Jesuitas docuisse: *Non esse obligationem amandi Deum, nè ad se quidem cum eo reconciliandum: tutò posse sequi opinionem minus probabilem: sine peccato posse ignorari existentiam Dei: Hominem posse vel majora perpetrare scelera, & esse innocentem, si non actu advertit ad malitiam actionis.* Est etiam certum, Jesuitas excussisse à culpa *homicidium*, & *calumniam*, atque vel *idololatriam* justificasse: ergo Ecclesia Romana sive approbat, sive saltem tolerat has doctrinas, quæ Religionis invertunt fundamenta. Sic *Jurieu*, & prius quam ipse, alii Protestantes calumniati sunt eam.

Catholici planè nullò negotiò demonstramus multiplicem objectionis hæreticæ calum-

lumniam. Imprimis *Jurieu* noluit intelligere, bina Decreta Pontificia laudata, pluraque alia notoria improbasse, execrasse, damnasse, & anathematizasse eas perversas doctrinas, quarum ille meminit. Rursus finxit, se ignorare tot editas censuras, quibus easdem confixere Episcopi, & Universitates Catholicæ passim, ut visum supra est tantisper. Et hæc est prima, & maxima calumniæ consequentiæ, perperam illata. Secunda huic similis est præmissarum. Neque enim corpus integrum Jesuitarum docuit unquam eas damnatas doctrinas, neque ullas aliquando damnandas. Quis crediderit? Sed et si vera esset impostoris suppositio, inferret quidem, bona fide illas tradidisse; at post damnationem continuo retractasse. Quod si ejusdem corporis unum vel alterum membrum talia docuit etiam bona fide, quin etiam post damnationem sustinuerit utcumque, atque in aliorum existimatione violaverit Pontificia Decreta: num propter unius delictum, omnium corona est

traducenda, seu ob unius membri vitium totum corpus infirmum? Consequens, esset consummata illius malitia, secus approbatio aut tolerantia Ecclesiæ, sui que cæsus. Obstruatur sic os loquentium iniqua.

150 Cæterum negare non possumus, *P. Amicum* docuisse (a): potestatem à Deo datam Ecclesiæ esse eam, quæ ipsa indigebat, ut se gereret humanitus: Deo non gubernante Ecclesiam per semetipsum, sed per homines, dare non debuisset suo Vicario, nisi eam potestatem necessariam, & sufficientem ad quoddam regimen humanum: &, Ecclesiam nihil esse aliud, quam corpus purè politicum; & ideo Christus in præscribendo sua mandata regulabatur ad modum Principum terræ, qui taliter condunt leges, ut hæc non ligent subditos, nisi secundum præcisa verba, quibus exprimuntur. Verbo: non vult *Amicus*, Ecclesiam extendere suas leges ultra sensuum limites. Proterea *Sanchez* (b), *Filiucius* (c), *Laymann* (d), *Coninch* (e), *Escobar* (f), &

I

ci-

(a) Tom. 8. disp. 17. pag. 276. n. 12. 14. & 31. pag. 277. (b) Lib. 1. cap. 14. n. 1. (c) Tom. 2. tract. 7. c. 2. n. 24. (d) Lib. 1. tract. 4. c. 4. n. 6. (e) De Sacram. q. 8. a. 6. n. 291. (f) Tract. 1. exam. 12. c. 1. n. 2.

citatus *Amicus* (a), intelligi conantur, Ecclesiam non posse imperare nisi actus externos, nullumque jus habere in internos; suamque auctoritatem extendi super corpora, secus super animas, quia istæ semper manent independentes, ac liberæ. His ex principiis funestæ oriuntur, & horribiles consequentiæ. Quare haud miror jam duram nonnullorum cervicem Decisionibus & oraculis Apostolicis, Primosque Hispaniæ Pastores lamentantes (b): *Quid namque profuit cura Summorum Pontificum ALEXANDRI, & INNOCENTII in refecandis tot virulentis ramis, IN TOT PROPOSITIONIBUS AB EIS FULGURITIS, si post illis refecatas, alias pejores denuò hanc arborem (Probabilissimum) produxisse, in Propositionibus allatis claris luminibus conspicimus, ingentique animi mœrore dolemus?* Et (c): *Si experientiam consulimus, fere nullam ex Propositionibus (124.) expositis inveniemus, quas absque ullo remorsu HODIE in praxi apud multos vigere, oculis non hauriamus.* Sanè submissio spiritus, obedientia cordis, & intellectus docilitas sunt actus inter-

ni, ad quos, juxta citatos supra, numquam extendi potest Sedes Apostolica, Ecclesiæque: Inobedientia ergo, & contumacia, non est dumtaxat effectus malitiæ, verum etiam consequentia necessaria doctrinæ adoptati systematis. Sed nondum est finis.

§. III.

151 **S**iquidem P. Viva in sua Trutina ad pondus Sanctuarii monet hæc (d): *Præmitto ulterius, Pontifices in laudatis Decretis duo præstitisse, videlicet damnas Propositiones, inurendo illis censuram suam, & simul prohibuisse sub pœna excommunicationis, nè doceantur, aut propugnentur, ac in virtute Sanctæ Obedientiæ nè in praxim deducantur.* Illud autem interest inter condemnationem istam, & prohibitionem: quod *condemnatione, cum sit DECLARATIO censure, quam merentur Propositiones, facta à Spiritu Sancto per Pontificem ex Cathedra loquentem, INDUCAT DE SE JURE NATURÆ, circumscriptâ quavis alia lege Ecclesiastica, obligationem Fidelibus credendi illas*

dig-

dignas eâ censurâ, atque adeò improbabiles, & falsas; ut proinde contra legem naturalem peccet, qui eas docuerit, defendarit, aut in praxim deduxerit. *Contra verò, prohibitio superaddita per LEGEM ECCLESIASTICAM, graviter obligantem, non quidem nè CREDANTUR ille Propositiones tamquam jure merito censuratae, ac falsæ, sed PRÆCISÈ, nè doceantur, defendantur, in praxim deducantur.*

152 Tria mihi hæc sunt difficilia. *Imprimis*: Pontifici adest Spiritus Sanctus tam in prohibitione, quam in condemnatione Propositionum. Ecce ergo *condemnatione* ligat virtute legis naturalis ad propositiones credendum improbables & falsas; & *prohibitio* tantum obligat in vi legis Ecclesiasticæ ad non docendum Propositiones damnatas, quamvis per se ipsas, & non quia dumtaxat prohibita, sint falsa, ac illicita? Cur naturalis lex *condemnationis* adstringit ad non credendum, & lex Ecclesiastica *prohibitionis* dumtaxat ad non docendum damnatas theses? Sanè loquendo metaphysicè, *censuræ declarationi* correspondet actus credendi, & *prohibitioni* obedientia non docendi. Sed ego in-

quiro, cur non detur lex *Ecclesiastica* obligans ad credendum, Propositiones fuisse merito proscripitas? Cur *damnatio* constringat in vi legis naturalis, & *prohibitio* tantum in virtute legis Ecclesiasticæ? Ea ipsa lex naturalis, & divina, quæ jubet cultum unius Dei, prohibet itidem plurium Deorum cultum. Ea ipsa lex naturalis, quæ fideles obligat ad credendum id, quod Pontifex definit *ex Cathedra*, obligat pariter ad non amplectendum, docendumque id, quod ipse Pontifex *ex Cathedra* prohibet docere. Verbo: si naturæ lex præstò est *condemnationi*, pariter etiam *prohibitioni* opinionum damnatarum; atque si non est *prohibitioni*, neque *condemnationi*; quandoquidem idem Pontifex à Spiritu Sancto afflatus est is, qui *condemnat*, ac is, qui *prohibet*.

153 *Deinde*: *Condemnatione* non est *declaratio Censuræ*, quam merentur Propositiones; sed è converso, est actus consequens declarationem censuræ. Declaratur qualitas censuræ, cujus sunt dignæ Propositiones, & censuratae damnantur post. Legatur Decretum *Innocentii X.* in quo omnes quinque Propositiones

(a) Ibid. lect. 2. n. 12. (b) In Mem. cit. pag. 104. (c) Ibidem pag. 107.
(d) In Quæst. Prodronia ad Prop. dam. n. 2.

Jansenii prius censurâ notantur, & postea, declarata qualitate censuræ, damnantur. De prima dicitur: *Temerariam, impiam, blasphemam, & hereticam declaramus, & uti talem damnamus*: Et sic de cæteris. Idem ordo servatur ab *Alexandro VIII.* in proscriptione binarum Propositionum de *bonitate objectiva, & de Peccato Philosophico*, ut alia omittam Pontificia Decreta. Igitur non est verum, *damnationem* esse declarationem censuræ, sed potius effectum, ut *ita loquar*, consequentem censuram; cum sit id damnabile, quod iudicatum jam est falsum, improbabile, ac perniciosum bono communi.

154 *Denique*: Lex naturalis ipse est radius æternæ necessariæ legis, resperæ, ac signatæ super vultum cunctarum animarum rationalium. Lex istæ ligat omnem hominem cujuscumque sectæ. Legis hujus in virtute, omnes subditi tenentur obedire suis Superioribus legitimis. Huic immutabili naturæ legi adjecit Deus suam positivam liberam legem, tam veteris, quàm novi fœderis. Christiani, non modò in vi naturalis legis, cunctis creaturis rationalibus

communis, verùm etiam specialiter in vi legis positivæ Evangelicæ, tenentur obsequiosam reddere obedientiam Summis Pontificibus. Ista Evangelica positiva lex monstrat supremam auctoritatem, infallibilitatem divinam Summorum Pontificum, & imponit obedientiam præceptis eorum. Qui transgreditur Decretum Pontificium, committit peccatum inobedienciæ contumacis adversus suum supremum Superiorem. Peccat directè contra præceptum obedientiæ, peccat immediatè contra legem Ecclesiasticam, & consequenter contra legem æternam naturalem, atque positivam divinam. Lex Ecclesiastica Summi Pontificis talis est, quæ subditos obligat directè ad obedientiam Decretis Pontificiis: verùm quia lex Ecclesiastica valorem haurit à lege naturali, atque divina, quæ Superioribus submittit subditos, hinc est, quòd qui legi Papali non obedit, peccat non solum contra legem Ecclesiasticam, sed etiam contra legem naturalem & divinam. Igitur non modò falsa est doctrina *P. Viva*, asserentis, peccare contra solam legem naturalem, qui violat legem

gem

gem Pontificiam, sed insuper est principium fatalium consequentiarum, ut demonstratur ex iis, quæ ibidem apertius subdit: *Sequitur etiam, non peccare contra legem Ecclesiasticam, nec violare prohibitionem in Decretis contentam, QUI SOLUM INTERIUS CREDERET, PROPOSITIONES ILLAS ESSE PROBABLES, ET NULLÀ CENSURÀ INURENDAS; peccare tamen contra legem naturalem: sicut contra legem naturalem peccaret, qui interius sentiret, veras esse propositiones, quas Tridentinum damnat ut hereticas.*

155 His certè majori claritate *P. Viva* suam mentem manifestat: & nos quoque debemus ostendere majori evidentia funestas consequentias, quas derivat sua doctrina. Ille apertè docet, fideles non peccare contra legem Ecclesiasticam internè credendo, quòd Propositiones damnatæ à Summis Pontificibus, sunt veræ, probabiles, non dignæ censurâ, non impiæ, non hæreticæ. Et hoc docet in *quæstione prodroma*, quam præmittit tamquam basim, & fundamentum totius sui operis. An non nihil dicat pejus eo, quod dicunt *Jansenista* circa 5. damnatas Propositiones? Sa-

piendum esto judicium. Dumtaxat hoc conficiam argumentum: *Jansenista* obtestati sunt semper, sese credere, & internè, & externè, damnatas esse justè in se ipsis, & *ut jacent*, quinque famosas Propositiones. Illorum error expressus & manifestus consistit in obstinata insidiosa pertinacia sustinendi, tales Propositiones non esse hæreticas juxta sensum *Jansenii*, expressum in libro *Augustinus* inscripto. Hic error multoties condemnatus est à Summis Pontificibus. *P. Viva* docet in sua *quæstione prodroma* interpretationibus *Alexandri VII. Innocentii XI. Alexandri VIII. Clementis XI.* Propositiones damnatas à Summis Pontificibus posse internè credi tamquam veras, probabiles, & à censuris liberas, quin peccetur contra legem Ecclesiasticam. Hæc doctrina non versatur circa factum, an Propositiones sint in libris Casuistarum, sed circa meritum Propositionum absolutè spectatarum in se ipsis. Quantum per consequentiam transilierit *Viva* Bullis Pontificiis debitæ obedientiæ confinia, judicent alii.

156 Nec ipsum juvat docere, quòd qui credit internè probabiles, & ab omnî

cenfura liberas Propofitiones damnatas, peccat tamen contra legem naturalem. Qui etenim non peccat contra legem Ecclefiafticam, *probabiles* internè credendo propofitiones damnatas, neque peccat contra legem naturalem; quæ non obligat noftro in cafu, nifi per medium legis Ecclefiafticæ, fi quidem lex naturalis non obligat fub culpa ad eos actus, qui ignorantur invincibiliter. Priusquàm Summi Pontifices proferant Propofitiones, quas *P. Viva* interpretatus eft, Authores, qui eas docuerunt, defenderuntque tamquàm probabiles, peccabant fortè contra legem naturalem? Nequaquàm, respondent Probabiliftæ, confirmantque cæteri omnes, fupposita invincibili ignorantia. Cur enim nos de præfenti peccamus contra legem naturalem, fi credamus internè tamquam *probabiles* Propofitiones damnatas? Certè non alia ratione, nifi quia lex Ecclefiaftica Summorum Pontificum declaravit fub aſſiſtentia Spiritus Sancti, tales Propofitiones eſſe falſas, improbables, ſcandalofas, temerarias, &c. & uti tales condemnare, atque prohi-

buerunt: fi ergo nos in credendo uti probabiles Propofitiones proſcriptas, non peccamus contra legem Ecclefiafticam damnatoriam Propofitionum, neque peccamus contra legem naturalem, quæ niſi intercedente lege Ecclefiaftica, non obligat in hoc cafu.

157 *Clarius*: Si contra Ecclefiafticam legem non peccamus, lex Ecclefiaftica non obligat ad internè credendum uti *falſas, improbables, &c.* propofitiones damnatas. Si lex Ecclefiaftica non obligat ad iſtam credulitatem, nos ſumus in eodem ſtatu, in quo erant Authores tempore damnationem præcedente. Hi, juxta omnes Probabiliftas, non peccaverunt contra legem naturalem, quia non erat tunc lex Ecclefiaftica, quæ illis declararet errores Propofitionum. Secundùm omnes igitur Probabiliftas, nos non peccamus vel adverſus ipſam naturalem legem, admiſſâ doctrina *P. Viva*. Principium itaque evidens eſt, in hoc cafu eum, qui non peccat contra legem Ecclefiafticam, neque contra naturalem peccare. Solus demitur cafus, in quo Fidelis à ſe ipſo agnoviſſet, circumſcriptâ quali-

cum-

cumque lege Ecclefiaftica, falſitatem cujuſcumque Propofitionis. Hac in hypothefi peccaret contra propriam conſcientiam, & contra legem naturalem: ſed hujusmodi hypothefis eſt prorsùs aliena à propoſito noſtro. Unuſquiſque modo judicet, ſi prædicta ratiocinatio ſit juſta, & ſi à doctrina *Vivæ* poſſint *Janſeniſtæ* conſectaria educere ſibi ipſis faventia, ut internè poſſint credere *probabiles* improbatas Propofitiones *Baji, Janſenii, & Queſnelii*.

158 Sed quartum penitùs ignoro; videlicet, dictus *Viva* tum loco citato (a) tum alibi ſuſtinet ex parte una, leges Ecclefiafticas obligare, non ſolum in foro externo, verùm etiam in interno: ex altera verò parte conſtanter adfirmat, hanc legem Ecclefiafticam non obligare fideles ad credendum internè, falſas eſſe, improbables, & juſtè cenſurâ notatas, Propofitiones confixas à Summis Pontificibus. Hæc videntur contradictionem parere, atque confuſionem. Quis poteſt capere, capiat. Unum reſtat notandum, præfatam *Vivæ* doctrinam adhuc legi in Bibliotheca erronea (b), præ-

miſſâ primo tomo *P. La-Croix*. In qua ſic dicitur: *Porro notandum eſt, Eccleſiam in Decretis ſuis duo præſtare, videlicet damnare Propofitiones, inurendo illis cenſuram ſuam, & ſimul prohibere ſub pœna excommunicationis, ne doceantur, aut propugnentur, ac in virtute Sanctæ obedientiæ, ne in praxim deducantur. Illud autem intereſt inter condemnationem iſtam, & prohibitionem: quòd condemnatio, cum ſit declaratio cenſuræ, quam merentur Propofitiones, facta à Spiritu Sancto per Summum Pontificem, & Episcopos, inducat de ſe jure nature, & jure divino, circumſcriptâ quavis alia lege Ecclefiaftica, obligationem Fidelibus, credendi illas dignas eſſe cenſuram, atque adeò improbables, & falſas: ut proinde contra legem naturalem, & divinam peccet, qui eas docuerit, defenderit, aut in praxim deduxerit. Contrà verò, prohibitio ſuperadditâ fert legem Ecclefiafticam graviter obligantem, non quidem NE CREDANTUR ille propofitiones tamquam jure merito cenſurate, ac falſas ſed præciſè, ne doceantur, defendantur, in praxim deducantur. Bini Authores iſti utuntur iſdem verbis cum ſola diverſitate, quòd in memorata Bi-*

I 4

blio-

(a) Num. 2. & 18. (b) Num. 18. Edit. Lugdun. 1729.

bibliotheca docetur, facientes contra Pontificia Decreta, peccare adversus legem & naturalem, & divinam: sed *P. Viva* hoc extendit parùm plus, & restringit culpam contra unam naturalem legem. Numquid animò pertendetur, quòd hi duo Authores copulati, *probabile* reddant interpretamentum?

§. IV.

159 **P**ost itaque censuras coactus est Probabilissimus novam fingere faciem novis adinventionibus. Undè præscribit hodie confinia probabilitatis certæ, rejectâ à nonnullis probabilitate tantum probabili. Assignat condiciones varias, & vocabulorum multitudine studet à quocumque aggressu securitati. Atque ità suffultus tot novis vocibus & recessibus, alacris currit viam suam, ut priùs: & exquisito commento, quòd anathemata cuncta recidunt contra suas capitales Propositiones consideratas *ut jacent*, id est, contra aërem, non contra Propositiones existentes in libris, ex quibus decerpæ fuerunt: spargit re ipsa tamquam licitas eadem doctrinas illas, quas refutat in

abstracto uti damnatas. Libri, in quibus certissimè reperiuntur Propositiones damnatæ ab Ecclesia, typis reiterantur, & releguntur quasi Christianorum morum Magistri. Præjudicata creditur Authorum reputatio, si concedatur, in eorum libris contineri propositiones proscripitas. Hi Authores, qui innocenter eas docuere bono fine, ac bona fide, quòd fuerint veræ, atque opportunæ communi bono; si modò essent inter vivos, semel moniti retractarent suas falsas doctrinas, absque metu decapitationis honoris sui. Modò tamen partium spiritus tentat aëreis subtilitatibus, quòd damnatæ Propositiones non reperiri videantur in præfatis libris, qui Fideium teruntur manibus, propter illusionem falsæ gloriæ, quæ animarum frequenti ruinâ comparatur.

Si mundus seriò recogitaret corde, Probabilissimum, sicut periculosum est legi, & auctoritati divinæ, à qua creaturas eximit non parvula in parte, ita esse nocivum ex natura sua, & insidiosum Pontificum infallibilitati, & auctoritati Supremorum Principum: Si consideratè circumspiceret, infestum

stum esse commercio, societati humanæ captiosis restrictionibus mentalibus in juramentis, contractibus, confederationibus: Item circumspicè consideraret, id commodi, quod credit recipere à Probabilissimo, finiri tandem in spiritualibus, quàm in temporalibus noxium: Si totum hoc, *inquam*, mundus consideraret, uti prospexit *Ludovicus XIV.* laudatus propterea num. 115. proculdubiò accenderentur omnes, & insurgerent adversus systema parturiens mala adeò gravia. Sed mundus tacet, qua ratione infirmus faciliter accipit medicamenta ea, quæ palato placent, etsi temporis cursu sint salutis contraria. Igitur unà cum Antistibus nostris concludam (a): *Cum ex præfatis Propositionibus satis superque appareat, ad quantum laxitatis gradum Morale pervenerit, certòque credamus, tot ramosas, pariterque & virulentas laxitates ex aliqua fecunda, verèque maligna radice prodire, illaque foveri, ac nutriri, suoque influxu in arborem tam grandem sine mensura excrevisse, & indies crescere: & aliundè pro comperto habeamus, quòd sicut*

in arbore maligna parùm prodest ramorum strues amputare, quando truncus illæsus, & radix relinquitur, ita non proderit acie Pontificiæ damnationis, laxitatis ramos peculiarium quarumlibet Propositionum abscindere, nisi præcidatur simul & radix, ex qua procedunt.

160 Neque probabilisticæ huic arbori & radici, suffragantur nova ab aliquibus superaddita repagula, nè in ignem mittatur, nimirum: ut opinio minùs probabilis in conspectu probabilioris, sit reapse, & practicè probabilis: debeat esse fulcita ratione solida, & gravi: debeat esse moraliter certa: non debeat esse contraria D. Scripturæ, SS. Traditionibus, Canonibus, CC. SS. PP. Pontificiisque Decretis; atque (ut eorum nonnulli adjungunt) non debeat esse dumtaxat probabiliter, sed certò probabilis: nec propugnata tantum à quibusdam Catuistis merè Compilatoribus casuum conscientiarum, sed ab Authoribus & Theologis gravibus, & classicis. Hæc, *inquam*, appendicula non impediunt: nam occludunt totum horrorem, quem in sinu recludit Probabilissimus, ut istum reddant sic

(a) In cit. Memor. p. 104.

fic honestum, splendidum, & luminosum. At si discutiantur millia millium quæstionum moralium, quæ in libris modernorum Probabilistarum exagitantur, & in quibus sit ex una opinio minùs probabilis, favens libertati, ex altera verò parte opinio probabilior, stans pro lege, fiatque, ut omnes vel binæ sint in materia graviter dubia; atque postea examinetur, si minùs probabilis decorem induta est prædictarum prærogativarum: vix fortè una de turba extollet connexionem descriptarum postillarum. Sanè juxta Sapientiores Theologos omnium sæculorum chimæra est, querere in materiis graviter dubiis, opinionem minùs probabilem posse in confictu probabilioris incedere stipata societate talium prærogativarum. Et constabit ex Probabilistarum sententiis infra recensendis.

161 Quare similabo Probabilissimum Rhamno, quia in suis principiis abstractis, metaphysicis speculationibus, & infartus suis clausulis, est beneplacens, dulcis, benignus,

ut dicebamus num. 81. Sed quum diffunditur in suis ramusculis, quum parturit practicas sententias, infra videntas, tum comparet crudelis, monstruosus, infinitisque malis foecundus. Et cum *Augustino* (a) dicam: *Quisquis in illum incurrerit, quisquis laqueis ejus fuerit captus, inveniet quàm sit noxium, quod putabat lenes. Etenim, fratres, & spina non pungunt in radicibus. Erue spinas de terra, contraecta radices ipsarum, & vide si sentis dolorem. Tamen illud, unde dolorem sentis in superficie, de illa radice processit. Itaque non vobis placeant Homines quasi lenes, & blandi, amatores tamen carnalium voluptatum: Si adhuc videntur lenes, radices spinarum sunt. Quando sentiebas lenes radices spinarum, tunc, si posses, incenderes, & non esset, unde prodiret, quod te modo pungeret. Proinde, fratres mei, corpus Christi, vel membra Christi, gementia inter tales malos, quoscumque videtis, & inventis, proclives ferri in malas libidines, & in perniciosas voluptates, tunc reprehendite, & tunc castigate, tunc urite. Incendatur radix, & non est unde spina procedat.*

MAN-

(a) Enar. in Psalm. 139. sub initium.

MANTISSA,

SEU

QUÆSTIO FACTI.

162



CCE jam sequuntur suo ordine incommoda, quæ à Propositionibus damnatis ab *Alex. VII.* & *Innoc. XI.* proficiscuntur in Probabilissimum. Materiarum moralium, quas illæ concernunt, & in quibus iste versatur, tenebimus ordinem, quem præscripsit *D. Angelicus*. Quapropter ommissa ejus prima parte, quæ non est circa moralem, à prima secundæ exordiamur opus est. Unde fit

QUÆSTIO I.

DE PROBABILIBUS.

De his censurâ notantur ab *Alex. VII.* propositiones 26. & 27. & ab *Innocentio XI.* 1. 2. 3. & 4. De quibus erit.

ARTICULUS I.

Probabilitas in Judice.

§. I.

163 **S**ignatum est super nos lumen illud Justitiæ, quemlibet Judicem in pronuntianda sententia pon-

duis rationum, non amicitia, aut propinquitatis librare adstringi; & ubi abest claritas, five certitudo, vel suspendere judicium, si aqualis sit utriusque partis litigantis probabilitas, vel adjudicare, fieri petitionem ejus, quæ verifimilior est, juxta tritum illud: *Inspicimus in obscuris, quod*

quod verosimilius est. Lucidum tamen, & inextinguibile principium istud obicure ferunt moderni Casuista tenebrosi introductione contrarii. Hi sunt eorundem sensus. P. Valentia, unus ex quatuor animalibus Escobarianis sic scribit (a): Dico 5. Si Judex reputaret, utramque sententiam esse probabilem, licite potest PROPTER AMICUM secundum illam judicare, quæ amico magis favet. Porro non magis pecuniâ, seu muneribus, quam reverentiâ amicitiae (quæ est sententia Valentiae) depravari potest judicium, proindeque non magno pererravit Tamburinus (b), qui etiam in Veneta editione suorum operum, quæ anno 1753. curata est ab acri ejus amatore, ac defensore, Valentiam illius sententiæ fautoribus annumeravit, quæ Judici pecuniam accipere permittit, ut relicta probabiliore, probabilem in judicando partem sequatur. Sicut è contrâ, non protulit Medinam, quia licet docuerit (c), licere Judici, utram ipse velit, sequi; vel etiam omisâ probabiliore, sequi probabilem: subdit

tamen ibidem: Sed hic duo sunt cavenda: unum est, nè Judex propter munera, & propter affectus particulares existimet, esse opinionem probabilem, quæ omnino est improbabilis. Medinam secutus est Ledesma (d).

164 Plus superaddit P. Di-castillus (e), Theologus primæ classis: Licet Judici, ait, sequi opinionem minus Probabilem, dummodo verè probabilis sit, relicta PROBABILORE, ET SECUNDUM ILLAM ADJUDICARE amico, & consanguineo. Laudatque PP. Salas, & plerisque ab ipso accumulatos. Sane P. Salas ita docet re ipsa cum P. Fagundez, scribens (f): Judex tam supremus, quam inferior, cateris paribus ex parte facti, potest judicare secundum opinionem probabilem ex parte juris, relicta probabiliore; ac proinde ferre sententiam pro ea parte, cui minus probabiliter favent jura, leges, & rationes. Ejusdem item sensus est famosus P. Escobarus, qui postquam dixit, in concursu duarum opinionum nullum esse debitum amplectendi probabiliorem, & tutiorem, adjecit (g): Infero,

pos-

(a) 2.2. disp. 5. q. 7. pun. 4. (b) Lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 7. §. 3. n. 13. (c) 1.2. q. 19. a. 6. Concl. 2. (d) 2. p. tract. 8. cap. 22. (e) Lib. 2. cap. 1. disp. 10. dub. 9. (f) Tract. 8. disp. 7. sect. 12. (g) In Sum. Exam. 3. c. 6.

posse Judicem secundum opinionem probabilem judicare, scilicet, minus probabilem juxta principium ibi à se constitutum. Clarius in suo magno corpore Theologiæ moralis (a) ita exponit alterò ex suis curiosis Problematibus: Judex reputans, unam sententiam esse probabiliorem, DEBET, & NON DEBET juxta illam judicare. Quod valet idem, ac dicere: cum circa talem quæstionem scissi Authorum sint sensus, non cogitur Judex secundum probabiliorem sententiam pronuntiare, sed tutus in conscientia potest etiam secundum minus probabilem.

165 P. Sanchez est consentiens Escobario primum in genere, nihilominus opinionem oppositam judicat probabiliorem. Sed hoc suum probabilius subito restringit (b) binis limitationibus laxis, fisis in spectabiliū autoritate Doctorum. En I. limitationem: Quod bene temperat Vazquez eo cap. 2. n. 6. nisi Judex INFERIOR esset, & opinio, quam MINUS PROBABLEM judicat, esset magis praxi recepta: & crederet fore, ut minus prudens à Judice superiori, ad quem appellatur, notaretur, ejusque sententia revo-

caretur, si lata esset juxta sententiam, quam PROBABILOREM existimat. Tunc enim potest sententiam MINUS PROBABLEM sequi: quòd cum tanta sui honoris jacturâ, & tam modico fructu munus suum obire minimè teneatur. Quasi diceret: præfatum Judicem posse propter humanos respectus tradere justitiam, atque propriam conscientiam. Ecce secundam, quam contra M. Bañez cum PP. Filiucio, & Valentia statuit, limitationem: Quando utraque opinio est ÆQUE PROBABILIS, quamvis Bannez non sine optimo fundamento censet, non dari Judici electionem, sed teneri, vel litigantes componere, vel dividere rem inter ipsos.... AT VERIUS, & integrum esse judicari, quam maluerit, opinionem eligere, & secundum eam judicare: imò, cessante scandalo, nunc secundum illam, nunc secundum aliam. Cujus doctrinæ adfert exemplum notabile Tamburinus, de quo recole n. 16.

166 Quia itaque in prædicto casu licet sequi opinionem probabilem, hæc licebit quoque vendi? Videbor interrogatione ludere. Sed P. Tamburinus istam serio disputat

(a) Tract. 1. lib. 2. sect. 2. Probl. 14. (b) Lib. 1. cap. 9. n. 47.

tat controversiam : *Utrum Probabilissimus sit materia vendibilis*; Hunc enim proponit (a) titulum ; *Venditio sententia probabilis*. Et his verbis oppositam propositionem discutit : *Occurrat hic non absimilis difficultas in Judice. Supponimus, PROBABLEM esse eam opinionem, de qua latè dixi lib. 1. cap. 3. quam præter ibi citatos, sequitur Dicastillus lib. 2. de Just. tract. 1. dis. 5. dub. 7. licere Judici ex duabus opinionibus aequè probabilibus unam eligere, & juxta illam proferre sententiam. Jam inquiri, LICITÈ, ET JUSTÈ ACCIPIET JUDEX PECUNIAM, ut potius illam eligat, quæ mihi favet, quàm illam, quæ meo Adversario?* Respondet modo, quo vidimus n. 16. & subdit: *Eam tamen legat qui velit, apud Lessium lib. 2. cap. 14. dubit. 9. num. 64. Valentiam. 2. 2. quaest. 63. art. 4. ad 5. quaest. 7. p. 4.* Certè merces multa est in Probabilissimo, procul & de ultimis finibus pretium ejus, si propter auctoritatem *bonorum Doctorum* extrinsecam, ad quos remittit *Tamburinus*, Judex in adducto casu pro pecuniam offerente, vel amico, sententiam ferat!

167 Prætermisis aliis, qui

mercis ejusmodi sortem venditioni exponunt, producam *Lessii* doctrinam, quæ, si superis placet, *securior nulla est altera inter Theologos à trecentis annis*. Is loco allegato à *Tamburino*, pluribus confirmat suam opinionem, quarum ratio est altera : *Quia non tenetur ad alteram determinatè; sed liberum ei est sequi, quam maluerit: ergo si aliquid accipiat, ut hanc sequatur potius, quàm illam, non facit ei injuriam; quia cum res non est debita, non est contra justitiam (si solum jus naturæ spectemus) exigere pro ea pretium*. Hæc consequentia, sive potius principium, à quo procedit, difficilè percipietur clarè ab altero, quàm *Lessio*. Quòd si Judex non debet, supposita rationum aequalitate, ad unam potius, quàm ad alteram partem declinare; habet tamen debitum non gravandè partem adversam, quæ producit momenta aequalia: Et hinc debitum suum est in tali casu, vel componere partes, vel dividere bona, quæ sub lite sunt, juxta æquale, quod habent, jus, ut observat *Bañez*, & ipse *Tamburinus*. Sed is qui nescit capere *Lessii* consequentiam,

(a) Lib. 8. in Decal. cap. 7. §. 3. n. 13.

tiam, deponet judicium suum, si credat sub fide *P. Cardenis*, quòd quidquid *Lessius* scribit, totum eo ipso evidenter est verum id ipsum, quod sibi videtur evidenter falsum: *Nam ità solidè, ait, & rationabiliter discurre, ut in omnibus videatur ferè moralem evidentiam facere*.

168 Quod si hæc una *Lessii* auctoritas non ei sufficit, ipsi sufficere debet, hanc esse praxim, quam docuere Doctores Societatis, *P. Escobario* obtestante (a) : *Praxi ex Societatis Jesu Doctoribus. Qui & subdit: Suppono, causam esse aequalem; potestne aliquid Judex accipere? Et respondet: Docet Fagundez in Dec. t. 2. lib. 8. c. 25. aliquid accipi posse, non solum ab Electoribus ad Majoratum, Cathedram, Capellam, sed etiam à Judice, quando (ut supponis) sententiam profert in causa aequali, seclusà lege positiva in contrarium. Quia pro suo arbitratu potest cuilibet parti dare victoriam. Quare datur locus gratificationi, quæ est pretio estimabilis, utpote quæ plerumque cum jactura amicitiae, & gratia alterius conjuncta est. Numquid hæc non est ex to-*

to rigore, ac veritate *venditio sententia probabilis?*

169 Verum si neque his testimoniis vincatur, totius dubii nebulam dissipare valet ex animo *P. Piroti* contestatio in sua *Apologia Casuistarum* (b) edita, & extensa ad horum defensionem à *Litteris Provincialibus*. Ille ultrò fatetur: *Casuistæ sustinent, Judices posse munera accipere, dummodò lex aliqua particularis non prohibeat, semper & quando partes litigantes ea præstant sive ob avaritiam, sive ob agnitionem justitiæ, quam fecerunt, sive ut ad eam inducant faciendam, sive ut obligent ad assumendam specialem curam de suo negotio, sive ut compellant ad citiorem expeditionem, seu ad præferentiam parti adversanti. Poterit ultra dubitari? Audivimus à *Lessio*, *Escobario*, *Fagundez*, & ab *Casuistarum Apologista* quòd lex naturalis non prohibet Judici pecuniam accipere ac munera, potest tamen prohibere lex positiva. Istam supponamus; tenebitur idcirco Judex ad nullam pecuniæ receptionem, aut munerum? *P. Tamburinus* liberat eum à scrupulo (c). Qui postquam docuit, nul-*

(a) Tract. 3. exemp. 2. cap. 3. (b) Pag. 97. edit. Paris. (c) Lib. 9. in Decal. cap. 2. §. 1. n. 7.

nullum esse absolute impedimentum ex jure nature, ut nequeat Judex accipere munera; de lege autem positiva ita decernit: *Dico secundò, Judices seculares non peccare, saltèm mortaliter, ex solo capite quòd adversus has leges seculares operentur. Ratio est: quia* PROBABILITER censent Navarr. Covarr. Valentia, aliique apud Castropalaum... *Seculares leges, saltèm de factò, AD MORTALE nequaquam obstringere, nisi id expressè declarent. At quæ lex civilis est, quæ declaret expressè, præcipere sub mortali, atque obligare?*

170 Quemadmodum Judex licitè potest munera accipere ob favorem unius partis præ alia, quæ jus habet æquale super bonis controversis; poteritne accipere quoque ob pronuntiationem sententiæ injustæ, ita ut non teneatur ad restitutionem? Affirmativè respondet etiam nomine Casuistarum suus Apologista (a). *Verum est, inquit, Judicem non teneri ad restituendum id, quod recepit pro pronuntiatione sententiæ injustæ in favorem alicujus. Lessius assignat bonas rationes contra Cajetanum, qui tenet contrariam, quas tu Do-*

mine à secretis Jansenistarum confutare debes, si conaris obligare istum Judicem ad ejus restitutionem, quod accepit à parte, quæ à sua injustitia reportaret commodum.

Rationes omnes, quas laudat, Lessii adversus Cajetanum omitto propter horrorem, quem ex auditu Lectores perciperent. Sufficiat Lessii textum promere, qui est hujusmodi (b) *Notandum tamen est, Covar. & Cajet. excipere id, quod acceptum est à Judice, nè iniquam sententiam ferat: hoc enim putant, jure nature esse restituendum; quia injusta sententia est perversio judicii, non est res vendibilis. Sed hac ratio non est firma: nulla enim est causa, cur magis debeat jure nature restitui, quod acceptum fuerit pro iniqua sententia, quam quod acceptum est pro iniqua occasione; quasi non esset par debitum restituendi.*

171 *Demum: debitum hoc restituendi bona malè parata, inductum est saltèm à lege positiva? Nequaquam, respondet Lessius, qui hanc aliam instituit thesim: Dico secundò: verius etiam videtur, neque jure positivo id necessariò restituendum... Idem docent Molina,*

Re-

Reginaldus. Re igitur quaquaversum examinata, potest Judex retinere in sancta pace pecunias, & munera, quæ receperat pro sententia injusta; & dumtaxat debet restituere, quando illa accepit pro pronuntiatione justæ sententiæ. Ita docuit Lessius, & ita evincere conantur, non solum P. Pirot, apologista Casuistarum, verum etiam Apologista Societatis P. Honoratus Fabri, qui eorum opinionem ulterius confirmat autoritate PP. Azorii, Turriani, Tamburini, Dicastili, Laymanni, & Busembaum. Si hæc permittunt Judicibus contra primarias naturalis Juris notiones; quid non indulgebunt Reis, & Criminosis ad suam defensionem in eorum tribunalibus, & immunitatem à pœnis debitis delictis suis? Sed de his suo loco. n. 260.

§. II.

172 **P**ROPOSITIONES itaque 26. ab Alexandro VII. & 2. ab Innocentio XI. damnatas, esse Probabilissimi foetum legitimum, apparet non tantum ex eo, quod nè unus quidem Author ante illius nativitatem

eas tradiderit; sed etiam ex turba magna Probabilistarum Scriptorum, qui ipsas post natum Probabilissimum amplexati sunt: adeò ut dicere valeam, fuisse omnes eos, qui systema probabilisticum bene calluerunt, neque damnandas re ipsa timere. Huic veritati testimonium perhibent PP. Salmanticenses (a): *Hanc sententiam, inquit, plurimi antiquitus (id est, ante condemnationem) amplexati sunt, nimirum ferè omnes, qui opiniones probabiles in conspectu probabilioris tutas sentiunt; & multorum judicio satis consequenter. Ad septuaginta usque Auctores secundæ Innocentiæ numerat P. Camargus. Adaugent alii numerum. Neque mirum: nam ex principio eorum communi, qui probabiliter agit, prudenter agit, inferebant (quasi coacti, ne pateret ruina magna machinæ probabilisticæ) tamquam hujus inevitabilem consequentiam, ergo judex ita se gerens, nec temere, nec imprudenter operatur: ut ostensum est hinc, & n. 138.*

173 Probabilistæ, qui post damnationem prop. 26. Alexandri præviderunt damnandam

K

(a) Suprà pag. 123. (b) Dub. 8. cap. 24. lib. 2. de Just.

(a) Tract. 29. cap. 1. pag. 4.

dam ab *Innocentio*, & qui damnatam jam viderunt prop. 2. ut suum salvarent systema ab hoc fulmine subvertente illud, disparitati Judicem inter, aliasque materias studuerunt. Nonnulli hùc adferunt distinctionem *probabilis speculationis*, & *practicæ*: quæ sanè non est nisi pura *petitio principii*, de qua ipsi *Caramuel*, *Terillus*, aliique *Probabilistæ* monent, præfatam distinctionem esse in præsentī argumentō meram verborum illusionem, puram, putamque chimeram. *Recole nn. 18. 19. 20. 21. & 22.* Communior est disparitas, quam assignat *P. Carpanti* (qui novissimus cùm sit *Probabilissimi* defensor, optimam abs dubio eliget) his verbis (a): *Judex in dicto casu sequi debet opinionem pro nullitate testamenti* (quam judicat probabiliorē) *tum attento jure Canonico, in quo habetur hæc regula (45. in 6.):* INSPICIENDUM IN OBSCURIS, QUOD EST VERISIMILIUS, VEL QUOD PLENUMQUE FIERI CONSUEVIT. *Tum, attento jure civili, ubi sic præscribitur:* CREDENDUM EST, QUOD NATURÆ NEGOTII CONVENIT: CONFIRMAVITQUE JUDEX MOTUM ANIMI SUI EX ARGUMENTIS, QUÆ

ET REI APTIORA, ET VERO PROXIMIORA ESSE COMPERIT. *Tum demùm attento jure naturæ: in susceptione enim muneris intervenit contractus implicitus cum Republica, cui Judex se obligat ad ponderandum æqua lance merita causarum, & ad litem adjudicandum illi, cui magis jus favet; alioquin non benè consultum esset publico bono, & periculum immineret, nè pauperes opprimerentur.* A jure igitur nemo in opinionum delectu ligatur, nisi qui Judex sit. Bellè! *Quin & P. La-Croix (b)* vult, hanc Judicis ligaturam esse solùm ad extra: *Quamvis leges, inquit, statuunt, ut tunc (dùm pro utraque parte æqua est probabilitas) neutri parti in foro externo plenè adjudicet; non idèò tamen erit temerarius, si per voluntatem erga suum amicum inclinatus, internè assentiatur ipsius rationibus.* Assensus in se ipso prudens contra leges? *Legem pone mihi Domine viam justificationum tuarum; quis non clamaverit cum Davide?*

174 Legatur laudata lex canonica, legantur & commentaria, & nihil invenietur in ea, unde restringenda sit ad unum Judicem, sed regula est

est generalis pro omnibus casibus obscuris, & incertis. Altera lex Civilis loquitur quidem determinatè de Judice: sed fundamentum, seu principium, cui nititur, commune est etiam iis, qui Judices non sunt. *Credendum est*, ait, *quod natura negotii convenit*, & hinc infert, quòd Judex debeat pronuntiare in favorem illius partis, quæ meliores protulit rationes, atque verosimiliores. Certè non modò in judicio de rebus alienis, *natura negotii convenit* sequela partis probabilioris, sed etiam in judicio de nostris actibus propriis. Haud ergo dumtaxat Judex in officio officinando, verùm & quisvis in directione suarum operationum, sequi tenebitur ductum majoris illius luminis, quod sibi ex verisimilioribus momentis illuxerit. *Præterè*, contractus ipse *implicitus* inter Judicem, atque Rempublicam, qui à jure naturali procedit, cur non dabitur æquanimitè Deum inter, & creaturam quoad Judicium, quod profert, de praxi amplectenda in opinionibus moralibus, hinc inde controversis? Judex astringitur à jure naturali ad *ponderandum æqua lance merita*

causarum, ut faveat ei, qui plus habet rationum: qui ergo idem non præstat propriis tuis operationibus, *non ponderat æqua lance merita* opinionum, quas amplectitur; non autem ponderare æqua lance merita rerum, semper & ubique repugnat dictamini naturæ, quæ præscribit ponderationem rectà & justa lance. Igitur quemadmodum *non benè consultum esset publico bono*, si Judex in prolacione sententiæ partem probabiliorē non inspiceret, ita non benè foret consultum bono privato ejus, qui opinionum in varietate probabiliorē non amplecteretur.

175 Porrò quod est injustitia citra aleam in Judice, non desinit esse injustitia in quacumque persona particulari, cùm varietas personarum in nullo variet essentiam rei, neque possit reddere justum & sanctum id, quod essentialiter est injustum, & iniquum: leges ergo damnantes in Judice praxim sententiæ minùs probabilis, eam simul condemnant in ipso, & quolibet alio particulari. Exemplo erit res manifestior. Theologus *Probabilista* consultus à *Joanne*, qui causâ trini contractus re-

(a) Pag. 141. apud *Patuzzium* pag. 102. tom. 1. (b) *Suprà* pag. 51. n. 43.

ceperat à *Petro* v. g. centum scuta, discussis fundamentis unius & alterius opinionis resolvit, opinionem eximentem ab usura contractum, esse quidem minus probabilem, at solidè probabilem juxta sua principia; quapropter suadet *Joanni*, ut depositis omnibus suis timoribus, illa scuta in pace retineat. Mota interim lite à *Petro*, Judex post maturum examen cognoscit, esse quidem probabile, *Joannem* ea scuta posse retinere justè, verùm probabilius sibi videtur, nequaquam retinere posse; unde contra illum pronuntiat in favorem *Petri*. Hi duo Judices nequeunt esse justi, cum alter alteri contradicat. Quis eorum erit injustus? Plusquam evidens est, saltèm post damnatam propositionem, *Judicis* sententiam esse conformem æquitati naturali, ac justitiæ regulis: ab opposito igitur, *Probabilistæ* sententia credenda est justitiæ, & naturali æquitati contraria, adeoque illicita & injusta. Quod ad hunc casum respondeatur, dicere opus est de aliis. In damnatione itaque propositionum de *Judice*, manet satis comprehensa damnatio Probabi-

listi universalis.

176 Nec me præterit, esse Probabilistas, qui argumento victi fatentur, non esse amplectendum Probabilismum, dum agitur de materia justitiæ, aut de damno proximi. At ceteri ad omnem materiam extendunt, ubi non sit ulla Ecclesiæ prohibitio. Quin etiam ii ipsi, qui sic restringunt, dum resolvunt casus ad materiam ejusdem justitiæ attinentes, amplectuntur, sicut in aliis, probabilistica principia eadem. Porrò cum in omnibus præceptis eadem sit ratio formalis, ut vocant, bonitatis & malitiæ; regula ipsa, quam observare tenemur in præceptis pertinentibus ad bonum proximi, vel damnum, debet admitti in omnibus; vel in omnibus excludi.

ARTICULUS II.

Probabilitas ex uno Authore.

§. I.

177 **M**onitum à n. 74. & seq. traditum, ecce tibi confirmatum falso testimonio plurium Probabilistarum. *P. Thomas Sanchez* (a)

sta-

statuit, quod *authoritas unius Authoris probi, & docti reddat opinionem probabilem*. Et ut hanc sententiam, quæ videtur ipsa damnata, sive complexa in *Prop. 27.* proscripta ab *Alexandro VII.* firmet; inter alios AA. allegat *Angelicum* Quodl. 3. a. 10. ubi ait: (scribit ille) *posse quemquam amplecti* (tuta conscientia) *opinionem, quam à Magistro audivit, in iis quæ ad mores pertinent*. Errantem *Sanchezium* secuti sunt *PP. Filiucius* (a), *Laymannus* (b). Et *Viva* in sua *Trutina* (c) ita recitat verba D. Angelici: *Hinc D. Thomas Quodlib. 3. art. 10. dixit: POSSE QUEMLIBET AMPECTI OPINIONEM, QUAM A SUO MAGISTRO AUDIVIT IN IIS, QUÆ AD MORES PERTINENT*. Pauper confessarius, qui legit in horum Authorum aliquo citatum tantum Magistrum in favorem illius sententiæ, quomodo certam, & securam existimare non poterit? At S. Doctor non solum non eam docet, sed potius in eodem loco ab illis laudato aperte oppositum docet, dicens: *In his, verò, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem*

erroneam alicujus Magistri: in talibus enim ignorantia non excusat. Potest hæc doctrina Angelica esse plus contraria illi, Probabilistis communi, quæ vult, errorem Confessarii, Directoris, vel Magistri nec esse, nec posse esse ullius consequentia Pœnitenti, vel confuſenti funestæ; atque transgressionem legis, quam hi committunt, sequendo opinionem erroneam, quam didicere à Magistro, excusari ob ignorantiam invincibilem, quin ullum contrahant idcirco reatum coram Deo, periculumque salutis æternæ incurrant nullum? Quanam major depravatio textus legitimi *D. Thomæ*, quam ejus negativum effectum facere affirmativum? Et quæ fraus pernicioſa imperitis, qui citationibus ejusmodi Authorum confisi, arbitrantur, tanti Doctoris esse sententiam tam laxam, quæ est quoad substantiam proscripta ab Ecclesia?

178 Doctrina Doctoris Angelici eò spectabilior est, quò eruta est ex communi sensu SS. Patrum, quorum sermo de ignorantibus humanis est omninò diversus à loquela

K 3

Pro-

(a) Tom. 2. tract. 21. n. 134. (b) Lib. 1. c. 5. §. 2. n. 6. (c) Prop. 27. Alex. n. 2. & 3. Innoc. n. 11. in fine.

(a) In Sum. lib. 1. c. 9. n. 7.

Probabilistarum. *Recole n. 71.* Et audi D. Augustinum (a): *Ecce dat tibi securitatem Procurator: quid tibi prodest, si Pater familias non acceptet? Procurator sum: servus sum: vis dicam tibi: Vive quomodo vis: Dominus te non perdet? Securitatem tibi Procurator dedit: nihil valet securitas Procuratoris. Utinam Dominus tibi daret: & ego te sollicitum facerem. Domini enim securitas valet, etiamsi nolim. Mea verò nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini iussa intentè, ac diligenter audiamus.* Et alibi respondens iis, qui Pastoribus tantum statuebant hoc peccatum, quia illi de nobis reddent rationem; reponit S. D. *Reddent planè rationem de morte vestra. De morte ovis malignæ reddet malus Pastor malam rationem.* Iterum de illis, qui cum timore ac tremore suam salutem operantur, ait (b): *Vigiliis continuis excubantes, nè opinio verisimilis fallat, nè decipiat sermo versutus, nè se tenebræ alicujus erroris offendant: nè quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur. Nè trahamur authori-*

tate cujuscumque, sed veritati potius favemus, & accedamus. Nullus hinc temeritati locus est: in æternum stultitiæ poena subeunda, si aut persona inanis, aut opinio falsa de ceperit.

179 Hinc P. Elizalde, obligationem præcisam (spectatis conditione, commodo, & Personarum statu) utendi seriâ & maturâ diligentiam in inquisitione, ac electione boni Directoris, infert ex Christi verbis (c). Sic enim ait (d): *Dominus non dixit: SI VOS FALLANT, NIHIL EST: SI DOCTORES SINT, MAGNAQUE ETIAM APPARENTIA BONI, VERIQUE VIDEANTUR, NIHIL EST; NAM IGNORANTIA ERIT INVINCIBILIS. Non hoc dixit; sed vigilare, attendereque nos jubet. Olim in Synagoga illa erat malorum origo maxima, quod omnes, veri, & falsi, PROPHETE nuncuparentur, & existimarentur. Inde falsi veris perpetuò contradixerunt, & cum numero vincerent, apud populum prævaluerunt, eumque perdidderunt. Notatum porrò est in Superiori libro ex Petro Apostolo, & Sanctis, quod tunc erant Prophetæ, hoc esse modò MAGISTROS. Confusi ergo cum sint omnes, & com-*

mu-

*mune sit omnibus nomen; oportet per signa, & notas utrosque diligenter discernere. Nam Magistris utique bonis, & veris credendum est; malis, & falsis credendum non est, ut in Prophetis cernitur. APERIENDI TUNC ERANT OCULI: ergo & nunc: discernendum tunc erat: ergo & nunc. Omnes in rebus mundi, omnibus meliora quæque requirunt; ... & nihil in hoc genere nimium, nihil durum videtur, sive coquos, sive aurigas, sive famulos, uxoremque eligere oporteat. Falsissimum est, quod multi Viri, etiam Principes & Reges, ac primarii Magistratus ex capite suo supponunt, vel sufficere sibi quemlibet, quomodolibet confessarium, vel omnes esse pares, vel nihil interesse, quem eligant... Cur id non supponunt de rebus ipsis mundi, quas diligunt, de uxore, de coquo, de domo, & omnibus aliis? Vide Chrysostomum (a). Undè Catechismus C. Trident. (b) de scriptis necessariis boni Confessarii partibus, concludit: *Ex quo poterunt Fideles intelligere, cuius maximo studio curandum esse, ut eum sibi Sacerdotem deligat, quem vitæ inte-**

gritas, doctrina, prudens iudicium commendant. Neque dicas, talem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus: quia cum D. Augustino (c) respondebo tibi: Fieri non potest quâdam Divina Providentiâ, ut religiosis animis se ipsos, & Deum quærentibus, id est, veritatem piè, castè, & diligenter quærentibus, inveniendi facultas desit. Sed eò jam revertamur, unde discer-

§. II.

180 **Q**ui primus scriptus sit post damnatam thesim 27. ab Alex. VII. fuit celebris P. Terillus, qui meritò Probabilistarum caput audit, eo quod nemo majori & subtiliori amplitudine discussit questionem, & sua opera publici juris fecit anno 1668. Hunc tamen, sicut etiam P. Amadeum Guimenium, sive Moyam, docuisse cum aliis, fas esse eligere sententiam, unius docti viri autoritate munitam, demonstrat Dinellus (d). Sed adducam PP. Thomam Sanchez, & Laymannum; qui licet scrip-

K 4

se-

(a) Scim. 40. (b) Lib. 22. de Civit. Dei, cap. 23. (c) Matth. 7. v. 15. (d) Lib. 8. q. 9. §. 1.

(a) Hom. 13. super 2. epist. ad Corinth. & Hom. 55. in Matth. (b) De Sac. Pœnit. pag. 2. §. 56. (c) Lib. de quant. An. cap. 14. (d) Epist. 7. n. 168. ad 174. *Recole supra n. 29.*

serint ante proscriptam Propositionem, eorum nihilominus doctrina propugnatur à pluribus Theologis posterioribus, & modernis, illorumque opera fuere absque ulla correctione post Decretum reimpressa. Primus itaque dubium proponit (a) in hac forma: *Dubitabis, an Authoritas unius Doctōris PROBI, ET DOCTI reddat opinionem probabilem? Respondeo, reddere.... Et probatur: quia opinio probabilis est, quæ non levi inicitur fundamento. At Authoritas viri docti, & pii non est leve fundamentum....* Limitat Corduba, ut hoc in viro indocto, utriusque partis rationes expendere nesciente, intelligatur: *Secus in viro docto, qui id novit. At quamvis fatear, id inter doctum & ignarum in opinionibus eligendis distare, ut ille, quò prudenter agat, rationes examinare, ac ponderare debeat; hic verò non, sed satis sit, si viri docti consilium sequatur; potest tamen vir doctus in re dubia reputare, ex hominis docti, & pii sententiâ reddi opinionem probabilem: Cùm hujus authoritas sæpè majoris sit ponderis, etiam apud virum doctum, quàm aliqua verisimilis ratio, quæ ei ad*

probabilitatem sufficeret. Et productâ illorum sententiâ, qui negant licitum discessum ab opinione communi, nisi habenti pro se rationem certam, & convincentem, subjungit (b): At melius Vazquez, & Azorius dicunt, licere viro docto, qui non parùm litteris vacarit, & rectè utriusque partis fundamenta expendit, suam singularem opinionem PROBABILOREM judicare, & illam sequi. Rursus (c): Quodsi quandoque vir doctus (ut num. præced. explicuimus) excusatur, suam singularem opinionem contra communem sequendo, idem à fortiori de indocto censendum est: potest enim prudenter doctrinæ & moribus alicujus ita confidere, ut jure optimo ipsius sententiæ contra communem adhareat. Quod, alios referens, probat Vazquez, Salas, Sayrus. Citra aleam, quia unus Author pius & doctus sufficit ad efficientiam probabilitatis opinionis.

181 *Laymannus* itidem (d), postquam stabilit: *Probabilis opinio, uti COMMUNITER accipitur, ita definiri potest: QUÆ CERTITUDINEM NON HABENS, TAMEN vel GRAVI AUTHORITATE, vel NON MODICI MOMENTI RA-*

TIO-

(a) Lib. 1. cap. 9. (b) Num. 9. (c) Num. 10. (d) Tract. de Cens. c. 5.

TTONE NITITUR. Ubi, ut vides, non utrumque simul, sed disjunctim unum vel alterum exposcit. Continuo determinat, quæ possit, & debeat reputari *gravis authoritas*, dicens: *Authoritas gravis hoc loco censeri debet, quæ est saltè unius viri docti, & probi, si talem doctrinam non inconsideratè, & temerè, sed post perspecta rationum pondera, quæ in oppositum afferri possunt, amplexus sit: quod quidem factum fuisse, alii plerumque præsumere possunt, præsertim qui indocti.* Et allegat authoritatem trium scriptorum insignium *Vazquezii, Sanchezii, & Azorii*, de quibus facile concedere nollent Probabilistæ, unà cum *Laymanno* docuisse sententiam ab *Alexandro VII.* proscriptam. Aliundè quæ rationes Theologi adeò graves concinunt, unicum Authorem, qui habeat condiciones requisitas (quæ Doctorum juniorum maximæ parti asseruntur, aut præsumuntur) sufficere ad reddendam opinionem probabilem, & tutam in conscientia, etsi singularem, sive à cæteris non sustentam.

182 *Clarius* post *Escoba-*

rium, Filliacium, & Martinorum loquitur ad propositum *P. Georgius de Rhodes* per hæc verba (a): *Dico secundo, sufficere OMNINÒ ad opinionem probabilem, ut eam Doctor aliquis magni nominis, & pius, PRÆSERTIM RECENTIOR, teneat. Quia VIRI MAGNI authoritas satis est MAGNA RATIO, ut judicem, rationes illas esse probabiles, quibus sententiam suam confirmat.* Et quantumvis hujus Authoris sententia opponeretur torrenti cæterorum, qui contrariam propugnant; non idcirco desinit esse probabilis, quando illi non eam rejiciunt ut improbabilem, quia in tali casu nequit dici, quòd repugnet torrenti Doctorum: *Si Doctores communiter opinionem aliquam non sequantur, sed unus tantum Doctor; non tamen omninò reprobant ut falsam, & improbabilem: illa opinio non repugnabit torrenti Doctorum.*

183 Deveniamus jam ad Authores RR. sive recentius impressos, vel reimpressos cum approbatione & laude doctrinarum eorundem. *P. Tamburinus* (cujus opus novissimè recusum est Venetiis anno 1755. cura *P. Francisci Antonii Zache-*

(a) Disp. 2. de act. hum. quæst. 2. sect. 3.

cheria) quarit: (a) *An auctoritas unius Doctōris sufficiat ad probabilem prælicè, & proximè opinionem constituendam?* Et respondet: *Tunc solè m. puto sufficere unum, tametsi CONTRA INNUMEROS DD. is doceat, quandò idem est doctus, rem ex professo tractat, firmamque rationem pro se habet, nec apparet contra ipsum aliquid convincens, id est, vel aliqua veritas noviter discooperta, & à succedentibus Theologis reputata evidens, vel quælibet definitio clara Ecclesiæ. Ly firmam rationem, quam requirit Tamburinus, ut possit sufficere unus contra innumeros ad constituendam probabilem opinionem, non est firmitas totalis, aut rationis demonstrativa, sed dumtaxat alicujus momenti, ut ibidem exponit.*

184 *P. La-Croix* inquirat quoquè (b): *An auctoritas unius faciat, opinionem esse certè probabilem?* Et decernit, quòd si is sit Doctōr ordinarius, & ignobilis, non est ad hunc effectum sufficiens, Propositionis ab *Alexandro VII.* proscripæ causâ; erit tamen *unicus Author, si sit omnino exceptione major, afferatque ra-*

tionem, quam alii non considerarint, vel non satis solverint, ipse autem alicorum rationes commodè solvat; quamvis doceat contra COMMUNEM, poterit redere opinionem suam CERTÒ PROBABLEM, donec alii expensas vicissim ipsius rationes solvant, & dicant non esse sufficientes. Author iste reapse nihil differt à cæteris, quia nullus est Scriptor, præsertim doctus, qui non arbitretur, suas rationes non esse sufficienter solutas ab aliis, horumque commodè refutasse, ac prævenire. Croixius suam firmat sententiam, subjungens: Ita tenent 23. Authores cum Cardenas. Plures idem affirmantes referunt Mendo, & Moya, qui assentitur. Idem docent Sporer, Arsdèkin, Tamburinus. Ratio est, quia si istæ circumstantiæ adsint, prudenter judicatur habere rationem gravem pro opinione sua.

185 Fortè *P. Viva* expressius tradidit horum, à quibus didicit, doctrinam. Sic enim scribit (c): *In eo dumtaxat casu admitti potest, ut probabilis, non solum plurium, sed etiam UNIUS AUTHORIS opinio, etiamsi adversus COMMUNEM aliorum sentiat, quoties Author est omnino exceptione major. Et potest*

stea (a) approbat, ut suam sufficienter exprimat, laudatorum DD. sententiam, dicens: *Vazquez, Azorius, & alii apud Tambur. docent, ad probabilitatem extrinsecam non requiri Doctōrum multitudinem, sed sufficere UNUM CONTRA INNUMEROS; dummodò sit doctus, ac pius, & rem tractaverit ex professo, firmamque rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens: quia ex tali Authore, his dotibus munito, meritò prudens judicium nascitur.* Certè *Viva* consequenter locutus est ad id, quòd præmiserat, & intulerat (b), nempe, *posse aliquem consulere plures viros doctos, donec inveniat ALIQUEM, qui ab obligatione v.g. restituendi, vel jejunandi, illum excuset, ut docet Sanchez, Palaus, Zumel, & alii non pauci apud Machado.* Recole n.3.

186 Quicumque oculo simplici damnationem inspiciat Propositionis 27. prædictæ, judicabit, veritatem ab Ecclesia constitutam esse, quòd non sit tamquam probabilis tenenda opinio cujuscumque Scriptoris junioris & moderni, si ea sit ab aliis communiter rejecta, quantumvis non

sit adhuc improbata ab Ecclesia. Recole dicta à n. 146. At *P. Viva* existimat omnimodè non contradicere huic tam apertæ veritati, restringendo proscriptionem ad unum modernum Authorem mediocriter doctum; & docendo cum *Vazquezio Azorio, & Tamburino*, cujus verba ipsissima usurpat, *sufficere UNUM CONTRA INNUMEROS*, quando habet conditiones eas, quæ communiter conceduntur illis modernis, qui simplices non sunt Compilatores, vel colligatores. Quare oportet dicere, *P. Vivam* credidisse non repugnare suæ doctrinæ damnatam à Pontifice, & hac non obstante pergi posse ad eam defendendam vel uti veram, vel saltem tamquam probabilem, sicut habita jam fuerat ab Authoribus citatis, atque ab aliis defensa ante damnationem. Ut quid ergo conditio à Probabilistis tam decantata, nullatenus esse probabilem opinionem eam, cui opponitur qualibet veritas, sive lumini naturali evidens, sive certa per fidem; quando ab illorum penderet judicio, an ejusmodi oppositio debeat admitti, vel negari, sufficitque ipsis sive

au-

(a) Lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 3. n. 4. & 5. (b) De Consc. n. 153. & 155. (c) In Prop. 27. Alex. VII. n. 6.

(a) Ibi n. 8. (b) Ibidem n. 7.

authoritas cujuslibet gravis Theologi, sive quodlibet interpretamentum ab iisdem estimatum probabile, ad illam non agnoscendam, & concedendam?

§. III.

187 **P**Ræcedentis doctrinæ confectarium est deplorabile *P. Berruyer*. Iste junior Scriptor in principio suæ dissertationis de Jesu Christo filio Dei, allegat in margine plures Authores, inter quos duo priores sunt *PP. Suarez, & Vazquez*, ut monuimus num. 72. Horum voto muniri voluit, quin ullum exhibeat testimonium. Laudo studium, quia si illorum sensum ante oculos poneret, nihil ei proficeret. Porro Theologos laudatos, certum est, docuisse, quod Jesus-Christus secundum suam naturam humanam spectatus habet acquiritam novam filiationem, estque verus & naturalis filius Dei, atque diversus valdè à filiis adoptivis. Rationem assignant; quia Jesus-Christus propter unionem suæ humanæ naturæ cum divina in una eademque Persona, est Sanctus

Sanctitate sibi essentiali, quæ ipsum discernit à filiis adoptivis: unde concludunt, esse verum Dei Filium secundum suam humanitatem. Præfatos Authores confutavit solidè *P. Dionysius Petavius (a)* & demonstravit ex doctrina sacre Scripturæ, PP. & CC. rationem, ob quam Jesus-Christus secundum suam humanitatem consideratus, non est Dei Filius adoptivus, sed verus atque naturalis filius, esse, quia est ab æterno genitus secundum suam naturam divinam, & per suam æternam generationem accepit à Patre totam substantiam divinam, quæ est in Patre. Re ipsa non aliam divina Scriptura præstat ideam Filii Dei. Consule *D. Angelicum (b)*. Ego autem, nihil cunctatus in iis, quæ illi dixerunt Theologi, dumtaxat inuam, quàm diversus horum sit sensus ab eo *Berruyerii*.

188 *Primum*: Hi Theologi non dicebant, Jesum Christum esse Filium Dei in tribus Personis, neque disjungebant à Patre, sed semper per respectum ad unum Patrem vocabant Filium Dei. At *Berruyerus* Jesum Christum facit Filium Dei trini, ut non dif-

discernatur à creaturis nisi per particularia dona, & Deus non putetur ejus Pater, nisi quia ipsum formaverit, & honoraverit unione morali cum sua natura.

Secundo. Hi Theologi, attribuendo Jesu Christo quamdam filiationem novam, non transferunt humanitati id, quod proprium est naturæ divinæ. Non asserunt, humanitatem esse æqualem Deo, & rem eandem cum Deo; sed unicuique naturæ servabant operationes singulis convenientes, atque id ipsum, quod dicebant de nova filiatione, fundabant in unione humanæ naturæ cum natura divina Filii geniti ante sæcula. At *Berruyerus* quærit filiationem in natura humana Christi, ut nullam relinquat in divina, totumque includat in humanitate. Itaque juxta *Berruyerum*, tota filiatio Christi oritur à natura humana, quæ secundum alios novæ filiationi locum dabat.

Tertio. Hi Theologi ita censere, quia erant persuasi, Verbum esse quandam Personam divinam æqualem Patri, quæ propter nos homo factus est, & regulat id omne, quod ac-

cidit in sua humanitate, ita ut verba, & actiones naturæ humanæ sint verba, & actiones Incarnati Verbi. Crediderunt itaque, Sanctitatem Christi debere diversam esse ab ea, quæ est filiorum adoptivorum; ac consequenter dixerunt, Christum esse Dei filium, etiam secundum naturam humanam: addentes, Spiritum Sanctum etiam in hoc sensu fore Filium Dei, si incarnatus esset. Cujus ratiocinii falsitatem animadvertere, facile est. Quandoquidem satis est, quod actiones Jesu Christi sint actiones Verbi Incarnati, ut excludatur omnis suspicio, quod fuerit in sua humanitate Filius adoptivus; atque si Spiritus Sanctus fuisset incarnatus, esset quidem Filius hominis, numquam verò Filius Dei. Consulatur *D. Thomas (a)*.

In his ergo Theologis potuit *Berruyerus* invenire sua sensa, & ratiocinia? Ipse Christi humanitatem unit cum Deo Patre, & non cum Verbo; quod (juxta eum) nec dirigit operationes Christi, nec huic præstat scientiam infusam, cum eam accipiat à Deo, Patre, ac unica Persona. In hu-

jus

(a) Lib. 7. de Incarnat. cap. 5. (b) 3. p. q. 23. a. 4.

(a) 3. p. quæst. 3. a. 5.

jus Scriptoris systemate, Jesus Christus nec est impeccabilis, nec esse potuit nisi Filius adoptivus. Siquidem qui se ipsum exinanivit formam servi accipiens, non est Verbum; sed Deus in tribus Personis, qui univit cum Verbo corpus & animam Jesu Christi sine consensu Verbi. Unde hujusmodi unio nequaquam reddit impeccabilem, sed ejusdem generis, ac illa, qua donati sunt *Moyfes*, & *Prophetæ*.

189 A quo igitur, putas, hausit *Berruyerum* hoc novum, inauditum, & execratum systema? Ab unico scriptore juniore ac moderno, videlicet, à *P. Joanne Arduino*, in cujus verba Magistri jurasse videtur *Berruyerus*. Res sic se habuit. Mortuo *Arduino* an. 1729. postea 1741. *Amstelodami* fuit publici juris factum illius commentarium latinum super novum testamentum. *Diaristæ de Trevoux* servaverunt altum & perpetuum silentium, præmium hujus productionis novæ Socii sui. Antiquæ erant accusationes adversus *Arduini* commentarium; sed tandem annorum cursus, scripturatio libri in lingua solis litteratis nota, prohibitio S. Congregationis Indicis, de-

mum inhonoratio Authoris, cui effrænata, & extraordinaria libertas, quâ non tantum amiserat fidem, verum etiam minuerat plurimum æstimationis, merito debitæ ob suam vastam eruditionem; hæc, *inquam*, in causa fuere, quod opus ejusmodi, quamvis plenum interpretamentis captiosis divini Verbi, & perniciosissimis erroribus circa *Trinitatis*, atque *Incarnationis* Mysteria; numquam inferret damnum ulli, ad numerum, & inutile ornamentum in amplissimis Bibliothecis damnatum.

In hoc utique statu oblivionis perpetuæ remaneret in sæcula, nisi *Berruyerus* innovasset memoriam extravagantiarum & errorum ejus. Infelix hic Historicus, nihil territus contradictionibus, & censuris latis in primam partem suæ historiæ de *Populo Dei*, audacter publicavit anno 1753. gallicè secundam partem, quam resperfit doctrinâ *Arduini*, sed suppresso nomine, cui tunc usque omnis pepercerat Catholicus. At ea de causa impropere *Berruyer* ab altero ex suis Adversariis, confessus est, & non negavit plagium, imò adornavit elogium *Arduino* tam magnificentum, quod & Boni,

&

& Eruditi ipsi nausearent super illud levissimum. Partus adeò monstrosus, ut primum lucem aspexit, incredibilem immisit horrorem cunctis bonis Catholicis, vigilantiamque ac zelum utriusque Potestatis excitavit; sed vel Superiores ipsi *Berruyerii* subscripserunt, & vulgaverunt die 22. Octobris ejusdem anni 1753. quandam obtestationem, ut omnibus notum facerent, se nullam habuisse partem in editione & promulgatione novi libri. De hujusmodi tamen declarationis sinceritate dubitatum est. Quippe, *inquirebant*, Societas statuit (a): *Si quis aliquid sentiret, quod discreparet ab eo, quod Ecclesia, & ejus Doctores communiter sentiunt, suum sensum definitioni ipsius Societatis debeat subicere*. Numquid testimonia Dei credibilia facta non sunt nimis: aut non est Sacerdos Summus in Israël, qui in difficilibus & ambiguis judicabit illis iudicii veritatem? Proh dolor! Excrescet nimis, si exaudiat *D. Joannes Petrus Franciscus de Ripert de Monclar* in suo *Compte* not. 27. à pag. 260. ad 263.

Denique *Harduini* proscriptionem decrevit Sacra Indicis

Congregatio die 3. Decembris an. 1754. & *Benedictus XIV.* confirmavit sententiam die 4. Martii 1755. Nihilominus *Berruyerus* pertinax tertiam partem edidit, in qua continetur expositio canonicarum epistolarum, nec erubuit in Prospectu libri confidenter declarare, à quo profecerit in opere suo adornando. Hanc tertiam *Berruyerii* partem proscripsit quoque unâ cum præcedentibus S. D. N. *Clemens XIII.* (quem diu Ecclesiæ suæ servet bono Jesus Christus verus Filius Dei, & hominis) die 2. Decembris 1758. Quid non mortalium pectora cogis probabilitatis ex singulari Authore sacra fames! Expecta plura a. 5. q. 3. modicum hic, modicum hic. *Et recole n. 15.*

ARTICULUS III.

Probabilitas in Sacramentis.

§. I.

190 **T**Utor opinio, quæ vi prop. 1. damnatæ ab *Innoc. XI.* eligenda est in Sacramentis perficientibus, non est *comparativè* tutior, quasi opposita sit *tuta*,
cu-

(a) Declarat. in Const. part. 3. cap. 1. edit. Prag. 1754.

cujus respectu *tutior* dicatur se gerit.

altera; sed *adversativè* tantum saltem loquendo absolute, quando contraria opinio non est tuta. Doctrina itaque, quæ tutioris opinionis usum præscribit in re Sacramentaria, non hunc effert sensum, quod inter tutas tutiorem, seu tutissimam, sed quod inter probabiles tutiorem eligere debeamus. Alioquin teneremur v. g. & contritionem perfectissimam confessioni præmittere, & materiam pro conficiendo V. *Eucharistia Sacramento* nos ipsi præparare, excluso aliorum ministerio.

Ante præfatæ thesif conffixionem, Probabilistæ majori ex parte (circiter septuaginta numerantur) usum Probabilissimi in quacumque materia licitum propugnabant ratione, quæ est unica totius Probabilissimi basis, & fundamentum. *Recole n. 137. & seq.* Inquirebant enim: Qui sequitur opinionem probabilem, omiffa tutiore, prudenter, atque adeo licitè operatur: ergo qui sequitur opinionem probabilem de valore Sacramentorum, quamvis omittat tutiorem, prudenter & licitè

191 Assertores damnatæ propositionis nomine opinionis *tutioris* opinionem intelligebant *probabiliozem*, ut videre licet apud *Dianam* (a). Quia, ut vidimus, illorum principia evincunt, in quacumque materia licitum esse usum minoris probabilitatis. Et hanc sententiam *Diana* loco citato vocat *communem*, quatenus docet ibidem, Sacerdotem, administrantem Sacramentum, relicta opinione probabiliori, non peccare contra reverentiam Sacramento debitam, sed contra charitatem. Quam sententiam tenet *Vazquez* (b). Eandem amplectitur *Thom. Sanchez* per hæc verba (c): *Existimo tamen, PROBABILIUS esse, licere in Sacramentorum administratione uti opinione MINUS PROBABILI, RELICTA PROBABILORE, AC TUTA, non obstante irritandi Sacramenti periculo. Cum duplici tamen limitatione: PRIOR est, ut sit in re, quæ non est contra communem Ecclesiæ usum, præscribentem ut eo modo, & non aliter administrantur Sacramenta.... POSTERIOR est, ne pars minus tuta, quamvis probabilior sit,*

(a) Tom. 8. tract. 1. resol. 2. (b) 1. 2. q. 63. cap. 3. & 3. p. disp. 146. n. 27. (c) Lib. 1. in Decal. c. 9. n. 33.

fit, deroget obligationi charitatis, & misericordia, respicientis remedium proximi. Et hac ratione generali refutare sententiam Ecclesiæ, ac ab ista damnatam postea, stabilire arbitratur: *Sicut credens PROBABILITER, aliquid non esse contra præceptum divinum, & ob id illud faciens, minimè injuriam præcepto divino irrogat; sic non irrogat Sacramento, qui PROBABILITER credit, illum esse convenientem ministrandi modum, & nulli se contravenire præcepto.* Vid. *Eraniſte* (a).

Quare nec ipse *P. Viva* (b) audet asserere, opinionem reconditam *Vazquezii*, & *Sanchezii* non esse implicitè confixam; sed tantum dicit, explicitè proscripam non esse. Quomodocumque tamen, eorum opinio falsa est, & improbanda, tamquam Sacramentorum dignitati injuriosa. Ipsi enim fatentibus, minor probabilitas in conspectu majoris, charitatem erga proximum violat, quatenus neglecto remedio certo, porrigitur minus certum: eadem ergo ratione pessumdatur Religio, & reverentia erga Sacramentum, dum omiffa probabilioze, minus

probabilis eligitur opinio; quandoquidem accidere potest, quod materia, à Christo præscripta in Sacramentis conficiendis, non adhibeatur.

192 Novi Probabilistæ, tametsi absolute subscribant damnatæ Propositioni, variis nihilofeciùs commentis vim damnationis elevare student. *P. Viva* (c) cum aliis distinguit probabilitatem *speculativam*, & *practicam*, ut à censura subducatur doctrinam Card. *De Lugo*, docentis (d): in administratione Sacramentorum licitum esse, opinionem amplecti practicè probabilem, omiffa tutiore. *Quæ sententia* (inquit *Viva*) *neque hic proscribitur, neque est rejicienda.* Hoc commentum, planè vanissimum, penitus deludit damnationem. Damnatæ Propositionis Assertores nùm loquuntur de probabilitate *speculativa*, & non de dirigente operationem, sive administrationem Sacramentorum, quæ *practica* re ipsa est? At, inquiet forsam, nulla opinio est *practicè* probabilis, quum exponit Sacramentum frustrationi. *Reponam & ego: ergo*

L

er-

(a) Epist. tom. 1. pag. 268. n. 9. & seq. (b) In 1. prop. Innoc. n. 9. (c) Ibi n. 10. (d) Disp. 7. de pœnit. n. 273.

erravit *De Lugo* dicens, licitum fore universim in Sacramentis perficiendis sequi opinionem *practicè* probabilem, omiſſa tutiore: ergo & est error pejor priore, *P. Vivam* obtrudere poſt damnatam Propositionem, quòd *Lugonis* ſententia *neque hinc proſcribitur, neque eſt rejicienda*. Recole nota-ta num. 173.

§. II.

193 **C**UM tota difficul-tas in hoc ver-tatur, quanam nimirum opi-nio dicenda ſit *tuta*; plures hoc nomine abutentes, *tutas* eas vocant opiniones, quæ nec probabiles, ſed laxæ ſunt. Inter probabiliffimas, atque *tutas* recenſet *Viva* (a), ad Sacramentum pœnitentiæ ſuf-ficere etiam *attritionem ſuperna-turalem ex metu pœnarum TEM-PORALIU*, ut à Deo vindice *inſtigendarum*, & ALIA HUIUS-MODI: *Idcirco licitè ſequimur hu-jusmodi opiniones PROBABILISSI-MAS, omiſſis tutioribus*. Quam vocat *Probabiliffimam*, & *tutam*, nec opinio reapſè pro-babilis eſt, ſed falſa. Refle-xiones, quas objicit *La-Croix*,

inutiles fore oſtendimus ali-bi (b).

194 Porro citatus *Croixius*, ut vidimus n. 143. apertiſſimè, atque univerſaliter docet, eſſe peccatum mortale ample-cti ſententiam probabilem, relic-tâ tutiore, in iis quæ per-tinent ad valorem tum in col-latione, tum in ſuſceptione Sacramentorum. Laudo. Sed utinàm pedem quandoque non referret, quaſi ſuæ doctrinæ pœniteret eum. Docet utique, quæ tutior eſt in conficien-dis, ſuſcipiendiſvè Sacramen-tis, utendum eſſe ſententiâ; ſed ſimul comminiſcitur (c), id eſſe tenendum, niſi *alioquin adminiſtratio, aut ſuſceptio Sa-cramentorum fieret obnoxia ni-miis ſcrupulis, aut difficultati-bus*: quaſi uſu venire poſſit, ut ſi id, quod tutum eſt, in Sacramentis conficiendis, aut ſuſcipiendis teneamus, ſcrupuli nobis injiciantur, qui nequeant ex animo evelli, niſi ſententia, quæ tutior eſt, de-ſeratur. Profectò docuerat (d) ob prædictam rationem, quòd *poſt omnia conſiderata, quæ in praxi nata ſunt contingere, id quod erat tantum SPECULATIVÈ, habita ratione principii univer-*

ſa-

(a) Ibidem n. 26. (b) Noſtræ *Prædamnationis* tom. 2. pag. 162. n. 212. & ſeq. (c) Cit. lib. 6. part. 1. n. 119. (d) Lib. 1. n. 115.

ſalis, etiam PRACTICÈ probabi-le judicetur. Sic enim explicat diſtinctionem opinionis pro-babilis *ſpeculativè*, ac *practi-cè*. Ecquid tamen minus fe-rendum, quàm *habita ratione principii univerſalis*, eſſe pro-babile, ut ipſe poſtea tra-dit (a), non requiri propoſitum vitandi quodcumque grave peccatum pro abſolu-tione à mortalibus? Quale tandem hoc eſt univerſale principium, quò dumtaxat attento, ferri poteſt, homi-nem accedere ad exomologeſim faciendam, quin aliquod turpe, quod amat, ſtatuat ſibi eſſe vitandum? Nequa-quam ergo id dici poteſt *pro-babile*, quod manifeſtus eſt er-ror, *habita ratione principii uni-verſalis*. Si etenim probabile eſt, propoſitum non eſſe de-bere univerſale: ergo proba-bile eſt, pœnitentem poſſe conſervare affectum erga hoc vel illud lethale: quod eſt tamen apertus error. Sanè cum *La-Croix* aſſerat, ſolum videri *probabilius*, propoſitum iſtud eſſe neceſſarium; juxta ejuſ-dem principia conſequens eſt, *probabilem*, licet *minus*, eſſe opinionem contrariam, quæ

apertè falſiſſima eſt, ut mi-tiſſimè loquar, quantumvis ſubdat (b): *Tamen in praxi vi-detur eliciendum formale propoſitum univerſale de cavendis om-nibus mortalibus*. Reminiſcere nn. 18. & 19.

195 Nec tantum ita diſ-ferit de inſulſa hac, nimium-que abſurda opinione, ſed & cum ſolvere nitatur argu-mentum, quò maximè pre-muntur Defenſores *attritionis*, quum iſtis opponitur 1. propoſitio damnata ab *Innoc. XI.* ait (c): *Quamvis concederemus, ſententiam Adverſariorum eſſe probabilem* (homo totus ex probabilitate compoſitus, vix, ac ne vix quidem, concede-re poteſt, eſſe probabilem ſen-tentiam de amore Dei initia-li, ortam, ſicut oſtendimus alibi (d), cum Chriſti Reli-gione) *tamen non eſſet obliga-tio eam ſequendi ſententiam, per quam adminiſtratio, vel ſuſ-ceptio Sacramenti ſit obnoxia ni-miis ſcrupulis, & difficultati-bus: atqui per ſententiam Ad-verſariorum adminiſtratio, vel ſuſceptio Sacramenti Pœnitentiæ ſit obnoxia nimiis ſcrupulis, & difficultatibus*.

Mea non intereſt modò,
L 2 quem-

(a) Lib. 6. part. 2. n. 898. (b) Ibi n. 899. (c) Ibidem n. 874. (d) *Prædam. Thom.* tom. 1. p. 584. & tom. 2. p. 467. n. 635.

quemadmodum ista refelli valeant. Unum quæro : cur si potuit *La-Croixius* existimare, tot scrupulos & difficultates ex ea sententia gigni, quæ dolorem postulat ex aliquali erga Deum amore profectum; alii putare nequeant, ex altera, quæ propositum exigit vitandi quodvis grave peccatum, eadem nasci incommoda, præsertim quum oportet animum ab iis rebus divellere, quarum amor est inveteratus? ex quo fit consequens, hanc quoque sententiam esse relinquendam, illamque sequendam, quæ negat, hoc propositum esse necessarium? *La-Croixium* rectè docere, omninò esse retinendam sententiam, quæ tutior est, in Sacramentis conficiendis, suscipiendisque, per me licet. Quid tum? Num loco citato (a) hujus doctrinæ meminit? Nihil minus. *Hanc sententiam*, inquit, non esse præfere probabilem, rectè dicit *Gormaz*. Oportebat verò, hic *La-Croixium* reminisci doctrinæ suæ, atque omisso *Gormazio*, obscuro Casuista, Lectorem monere, hanc opinionem ad Sacramentum poenitentiae pertinere, proindeque frustra in-

quiri, aut quidquam decerni de illius probabilitate.

196 Insuper, ipse *Croixius* scripsit (b) hæc: *Qui probabiliter putat, matrimonium esse validum, licetè petit debitum.... Additque rectè Averfa, etiamsi* OPINIO pro invaliditate ESSET PROBABILIOR. *Et hoc est conforme dictis lib. I. à n. 268. de licito usu opinionis probabilis.* Rursus loco nuper citato (c) scribit: *Ex damnatione illius Propositionis (Innocentianæ I.) sequitur, illicitum esse contrahere matrimonium sequendo opinionem tantum probabilem de illius valore, relicta tutiore.... Quamvis enim FILGUERA, explicans hanc Propositionem damnatam, putet non prohiberi praxim illius in rebus, quæ non sunt de jure divino, sed tantum de jure Ecclesiastico, uti sunt multa in materia Matrimonii; sententia tamen illa rejicitur ab omnibus.*

197 Heinc constat, Probabilitas propriis antilogiis semetipfos conficere, atque in re gravissima, qualis est Sacramentaria, imperitis fucum facere. *La-Croix* fatetur, *Filgueram* in ea hæsisse sententia, præfatam Propositionem damnatam, esse intelligendam

ref-

respectu eorum, quæ sunt divini juris, ut sunt materia, & forma Sacramentorum, secus respectu illorum, quæ juris Ecclesiastici sunt. Verum, monet ipse *La-Croix*, *sententia illa rejicitur ab omnibus.* Contrà, *P. Viva* (a), proscriptam thesim accipiendam esse vult dumtaxat respectu materiæ & formæ, quæ sunt juris divini, neutiquam respectu eorum, quæ sunt Ecclesiastici, uti est jurisdictio Confessariorum. Ait namque: *Nihilominus censeo, LICITUM ESSE ABSOLVERE CUM JURISDICTIONE PROBILI, ut fusè docui in expositione illius primæ thesisi ab Innocentio XI. confixæ (b).* Pro hac sententia *Gobat tract. 7. n. 116. numerat centum triginta Doctores.* Quinam sunt isti? Quid, si majoris partis nomina referrem? Alii nullius sunt nominis, alii prohibiti sunt ab Ecclesia ob theses scandali plenas evulgatas. Profectò inter allegatos à *P. Gobat* est Doctor *Joaannes Sanchez*, proscriptus propter laxissimas opiniones. Sed quid, quòd *P. Gobat* scripserit pluribus annis ante Decretum *Innocentii XI.* & neque numerat centum tri-

ginta Doctores? En verba *Gobatii* à *P. Viva* laudata: *Authoritate sexaginta quinque Doctorum firmavi in Clys. Clem. Jurid. Quibus alios addere possum.* Tò alios dilatavit *Viva* ad centum & triginta. Deinde, *La-Croix* asserit, omnes Doctores improbare usum opinionis probabilis, dum agitur de valore Sacramentorum, etiam respectu eorum quæ sunt juris Ecclesiastici, ut sunt jurisdictio, & impedimenta Matrimonii. Contrà, *P. Viva* cum Doctore *Gobat* adfirmat, centum & triginta docere oppositum. Hæc obiter dicta sunt.

198 Porro citatus *Viva* (c) habet: *Demum si alter habeat opinionem probabilem de nullitate Matrimonii, & simul habeat opinionem probabilem de ejus valore, licetè potest petere, & reddere; cum possit amplecti alterutram opinionem probabilem, quam mavult, etiamsi una sit* PROBABILIOR, quam altera. Doctrina hæc videtur contenta evidenter in Propositione damnata, in hac enim agitur de valore Matrimonii. Unum posset reponi, non esse scilicet intelligendam de impedi-

L 3

men-

(a) De Sacr. Poenit. quæst. 8. a. 2. n. 2. (b) Num. 20. (c) De Sacr. Matrim. quæst. 7. a. 3. n. 9.

(a) Ubi sup. n. 898. (b) Lib. 6. p. 3. n. 299. (c) Ibi n. 38.

mentis juris Ecclesiastici, sed de materia, & forma, quæ sunt divini juris: petere autem, & reddere debitum, nec est conferre, seu suscipere Sacramentum, nec est in Sacramentis numerandum. At *La Croix* testatur, omnes improbare illam opinionem, eludentem censuram proscriptæ thesisi: ergo *Croixio* teste, juxta omnes damnata est opinio *Vivæ*, quam hausit ex *Tamburino* (a).

199 Tandem *Croixius* (b) inquit ex eodem *Tamburino*: *Si Matrimonio bona fide contracto, superveniat dubium de valore, & post inquisitionem nihil resciri, nec dubium deponi possit: prima sententia, quam tenet S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, &c. dicit, posse quidem reddere debitum, sed non petere, quia ita videtur esse decisum cap. Inquis. de Sent. Excom.... Secunda sententia, quam tenent D. Soto, Veracruz, Victoria, Lopez, Suarez, Cominch, Laymann, &c. dicit, posse etiam petere debitum.... Atque hæc secunda sententia videtur, saltem spectata ratione, esse probabilior.* Sententia, quæ est evidenter

contra Romanos Pontifices *Lucium III. Innocentium III. Innocentium XI.* aliosque sacros Canones; contra prima Theologiæ lumina, SS. *Thomam* (c), *Bonaventuram*, *Antoninum*, & cæteros gravissimos Theologos, ab ipso *Croixio* citatos, ab eodem ipso asseritur *probabilior, saltem spectata ratione*: Eo quod *Terillus*, *Veracruz*, *Bresserus*, *Cominchus*, *Diana*, *Dicastillus* sint profundiores Metaphysici, & in re Sacramentaria doctiores, atque eruditiores, quam Romani Pontifices, quam Ecclesiæ Doctores! Hæc cursim indicare libuit, ut intelligant Lectores, damnatam eam thesim probabilisticam promoveri à non paucis Probabilistis, ac propugnari, ni mea me fallat opinio. Sed Lectores ipsi sint Judices.

Horum oculis erit etiam mirabile, quod eam adscribat *P. Viva* (d) inter cæteros, *Ledesma*, atque *Serræ* ex relatione *P. Diana*. Immerito quidem, & procul à vero: cum nec præfati *Dominicani* unquam laxitatem confixam docuerint, nec *Diana* ab eo lauda-

(a) Lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 7. n. 12. & 21. (b) Lib. 6. part. 3. n. 302. (c) In 4. sent. quæst. 38. in fine expof. literæ. (d) In 1. Prop. damn. ab Innoc. XI. n. 8.

datus, illos adnumeraverit ejusdem proscriptæ thesisi Patronis; quibus tamen adcesserunt *Lorcam*, *Villalobos*, *Sanchez*, *Henriquez*, *Salas*, *Vazquez*, &c. Certè turbatus est ab amore suorum oculus *Vivæ*, & legit *Serram* pro *Sanchez*, & *Ledesmam* pro *Henriquez*, *Salas*, vel *Vazquez*.

ARTICULUS IV.

Probabilitas tenuis.

200 **D**Octissimus ac juxta piissimus *P. Camargus*, Innocentiano Decreto cœtaneus testatur (a): *Vix illud Innocentii Decretum in Ecclesia vulgatum est, cum anxius quidam timor, & non mediocris sollicitudo animos eorum invasit pro BENIGNA sua sententia. Cujus sanè timoris haud leve præbebat indicium, quod statim cœperunt multa cogitare discrimina, quæ nullo etiam petente reddebant, ut ostenderent, damnationem illius articuli tertii de TENUI PROBABILITATE non tetigisse sententiam benignam.* At frustra. Quia ibi damnatur sententia admittentis prudentem, & licitam actionem, regulatam ab opi-

nione probabili, quamvis tenuiter probabili, quæ à *Probabilitatis finibus non exeat*: si ergo proscripta propositio 3. loquitur de opinione contenta intra probabilitatis confinia, debet esse vera probabilitas, debet habere conditiones essentialiter requisitas à definitione opinionis probabilis, quæ stabilitur morum regula: id est quod *vel gravi autoritate, vel non modici momenti ratione nitatur*. Verbo: debet à *probabilitatis finibus non exire*, aut esse improbabilis; hoc enim totum exprimit damnata thesisi. Est itaque falsissimum, istam intelligi de opinione, vel probabilitatis adeò tenuis, quæ potius sit IMPROBABILITAS, sicut parva prudentia est potius imprudentia; vel nixa uni aut duobus Authoribus modernis, & inexpertis, qui probabiles non efficiunt suas opiniones; sive ratiunculis levissimis, & nullius ponderis. Quippe communior hæc Probabilistarum interpretatio est adeò voluntaria, ut *P. Viva* permiserit veritati scribere (b): *Nomine opinionis TENUITUR PROBABILIS hic non est intelligenda opinio, quæ est probabilis cum addito*

(a) Lib. 2. cent. 2. a. 1. (b) In Prop. 3. Innoc. n. 7.

distrabente, ita ut nullatenus intra fines probabilitatis contineatur; aliter hæc thesis non indigeret proscriptione, cum nemo sana mentis docuerit, HOMINES PRUDENTER, AC LICITE OPERARI, si opinione nullatenus probabili nitantur.

Certè Tamburinus unus est ex Authoribus, in quibus expressa iisdem terminis legitur damnata thesis. Ille rogat, quæ sit opinio probabilis? Et respondet (a) eam esse, quæ fulcitur ratione vel auctoritate alicujus momenti. In mentem cui venerit, Tamburinum non loqui de opinione, quæ sit verè probabilis, sed improbabilis potius; nisi veit; Tamburinum constituisse pro morum regula tuta, etiam improbabilitatem? Unde resolvit, quòd dum quis operatur motus opinione probabili, bene operatur, & sine peccato: quia in humanis, ut cum prudentia, quæ est certa regula humanarum actionum, operemur, non nisi PROBABILITAS necessariò requiritur. Etiam his citra dubium loquitur de probabilitate, quæ sit verè talis, & non jam improbabilitas, quæ nequit esse regula certæ humanarum actionum. Post subjungit, opi-

nionem, quæ probabilis sit, posse amplecti prudenter, & licitè, etiam opinione probabiliore relicta, & etiam ommissa tutiore, IN QUOCUMQUE TEMPORE. Hanc generalem conclusionem confirmat his conceptis verbis: Quia, inquit, dum probabilitate (notate verba) sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis TENUI, modò à probabilitatis finibus non exeat (ut explicabitur mox n. II. in fine) confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Nonnè hac in terminis est Propositio damnata; quæ additione vocis generatim complectitur totam doctrinam antecedentem Tamburini? nam tò semper Tamburini, fortius est, quam tò generatim, quod plures exceptiones admittit, nullam verò semper. Nec enim additamentum generatim factum ab Ecclesia est, ut Tamburini propositio reddatur scandalosa, sicut nonnulli Probabilistarum dixerunt (absit) sed ut compendiò configeret assertiones præmissas: motus ex opinione probabili, &c. Totum hoc comprehendit Ecclesia verbo generatim. Et hic est legitimus suus sensus, si simpliciter accipitur, & sincere.

Et

Et ne antidictum virulentæ doctrinæ videatur præparari eo Tamburini parenthesi, ut explicabitur n. II. in fine, hæc est ibi ejusdem explicatio: Hæc ratio (prudenter operari) aliam doctrinam probat, etiam si altera pars sit probabilior: modò major probabilitas alterius dictæ partis non sit tanta, UT DEJICIAT A PROBABILITATE illam oppositam; quia tunc EXPULSA JAM PROBABILITATE, non est mirum, si inclinari ad assentiendum illi oppositæ nequeat prudenter intellectus. Ergo in præmissis loquitur de opinione verè probabili, quæ gradu veræ probabilitatis non cadat. Sed limitatio hæc est ipsissima, quam præmiserat, & continetur in propositione damnata, cum voce tenuis differant tantum: vera ergo est probabilitas, quæ proscripita est in sensu Tamburini, quamque qui sequitur, prudenter non operatur; falsum proinde est principium potissimum, imò unicum Probabilissimi: Quisquis probabiliter operatur, prudenter operatur. Et nihilominus Viva scribere audet (a): Videtur tamen non improbable, quòd TENUIS PROBABILITAS SUFFICIAT ad prudenter operandum, dummodò

PROBABILITAS TENUIS sit re vera probabilitas. Excusatur Tamburinus, quia scripsit ante Decretum Innocentii; non ita facile Viva.

201 Sed nec P. La-Croix. Secundum hunc, opinio tenuiter probabilis ea est, quæ nititur tenui motivo: Tenuis, inquit (b), motivum non est prudens, nec dignum assensu viri prudentis: ergo si ita res se habet, cogitur La-Croix cum suis Probabilistis decernere, numquam esse licitum quocumque in casu sequi, & ad praxim deducere opiniones sic indignas assensu Viri prudentis? Vah! Ita sanè resolvit, attenta Propositione damnata. At subjungit quoddam per se, quò explicet, dari casus, in quibus possunt ad praxim deduci, non obstantibus damnatione Pontificia, & imprudentia talis praxis ab ipso confessæ. Dixi, subdit, PER SE LOQUENDO. Nam in gravissima necessitate, & quando opinio tutior non posset reduci ad praxim, licitum esse operari secundum OPINIONEM TENUITER PROBABLEM: neque hoc ab INNOCENTIO XI. damnatur, uti rectè notat Cardenas; quia necessitas gravissima quodammodo auget probabilitatem.

(a) Lib. I. in Decal. cap. 3. §. 3. n. 1. & 3.

(a) In Prop. 3. Innoc. n. 2. (b) De conf. n. 366.

tem. Licebit ergo in quibusdam casibus, juxta nobilem hanc decisionem, amplecti opinionem indignam assensu viri sapientis. En quò ducit systema Probabilisticum! Eadem quæ *Croixius*, habet *Viva* (a), licet appareat negare. Sed hinc quæ incommoda non consequuntur, homine constituto Judice sui ipsius?

Bini RR. isti non modò agnoscunt pro tuta moris regula opinionem certò probabilem, sed illam etiam, quæ fit tantum probabiliter probabilis, id est, cujus probabilitas negatur à pluribus, aliis affirmantibus. *La-Croix* proponit (b) systema PP. *Vazquezii*, *Sanchezii*; *Salas*, *Merole*, *Tamburini*: *utrùm licitum sit, quærens, sequi sententiam, quæ probabiliter est tantum probabilis?* Et de illorum opinione affirmante decernit: *hac sententia est probabilis*, incluso *Tamburino*, qui eam absolutè defendit in omnibus casibus. Atque præter allegatos DD. pro eadem rursus laudat *Illung*, *Banholtz*, *Arfdekin*. Similiter P. *Viva* (c), assertà negante sententia, adjecit: *Estò opposita sententia gravium DD. non ca-*

reat sua probabilitate. Atque probabilis admitti debet generatim à Probabilistis; cum tot, ac tales sint affirmantes, quòd suas sententias efficiunt certò probabiles.

At P. *Señeri*, alique *Terilli* asseclæ contendunt, in præfata 3. Propositione Decreti Innocentiani, esse damnatum usum opinionis, probabilis tantum probabiliter: ergo damnari sunt Doctores classici, & prima lumina Probabilismi, & juxta eorum doctrinam vel ipse Probabilismus, venefica radix damnatæ Propositionis. En quomodò Probabilistæ mutuo sese condemnant, quoniam nesciunt aliter à damnatione Probabilismum purgare. Qua etenim ratione probabilitas directæ reddit, juxta Probabilistas, operationem honestam, eadem probabilitas reflexa reddit probabilitatem directam regulam rectæ conscientia, si ergo quum judico, probabile esse, operationem meam esse licitam, prudenter operor; etiam prudenter operabor, dum probabiliter judico, hoc esse probabile. *Accedit*: major probabilitas non destruit minorem probabilitatem: ergo neque certa pro-

ba-

babilitas elidit probabilitatem probabiliter probabilem. *Prætereà*: juxta Probabilistas classicos, & primi nominis, cujusmodi sunt *Vazquez*, *Sanchez*, *Salas*, *Tamburinus*, alique, ad rectitudinem conscientia non requiritur, quòd dictamen ultimum sit absolute certum: vel si juxta alios Probabilistas certum esse debet, hæc certitudo statim vi unius reflexionis habetur. Nam sicut probabilitas directæ satis est ad dictamen certum; ita probabilitas reflexa fundamentum esse valet novæ reflexionis, quæ pariat ultimum dictamen certum. Secundum illos itaque Authores æquè damnata erit probabilitas certò probabilis, ac probabiliter probabilis. *Denique*: æquè opinio certò probabilis, ac probabiliter probabilis, gradum habere potest tenuis probabilitatis. Quis enim negaverit, opinionum certò probabiliū alteram esse magnæ, minoris alteram, alteram tenuis probabilitatis? Assignent nobis Probabilistæ præcimum gradum probabilitatis veræ, ac practicæ, quam scimus esse ab Ecclesia proscriptam, quæ non iis regatur principiis, quibus proba-

bilitas absolute accepta. Interim, cum istam nos distinguere non didicimus, quamlibet minorem in conflictu majoris probabilitatis damnatam arbitramur.

ARTICULUS V.

Probabilitas in Infidelibus.

§. I.

202 **L**utheranus *Basiliensis* nomine fervidè insurrexit, & dixit: *Christianismus* PROBABILISSIMA Religio est: & sub ipso dantur *Seclæ antiquiores*, *juniores*, *severiores*, *benigniores*. *Lutherana est Christianissima*, & probabilis, & multò Romanâ benignior. Hanc argutationem contra Probabilismum refutare studet *Carmuel* (a). P. *Casnedi* etiam solvere quoquo modo tentat (b). Antiprobabilistarum argumenta quibus evincunt, Probabilismum consequi Atheismum, Polytheismum, omnesque hæreses: quæque quia nimis horrida, Probabilistæ subterfugia captantur infelici conatu, videre licet apud *Vincentium Baronium*, *Jacobum à S. Dominico*, aliosque communiter.

Qua

(a) In Prop. 3. Innoc. n. 13. (b) Loco cit. n. 368. (c) Loco cit. n. 12.

(a) Theol. fund. n. 1362. (b) Tom. 2. disp. 15. sec. 3.

Quapropter cæteri Probabilistæ, technis positis, aperte fateantur, hæreticos posse in propria Secta salvos fieri Probabilissimi virtute.

203 Quippe P. Herardus Billius (a) ita effatur: Etiam puer baptizatus non peccabit credendo hæresi sibi propositæ, & quam à Parentibus edoctus est; nisi habeat argumenta convincentia, & PROBABILITATEM excludentia sue sectæ. Quoad enim PROBABILIS est, non peccat eam sequendo. Quò fit, ut multe puellæ usque ad vigesimum annum vix censeri possint hæreticæ. Quis enim dicat, eas non habere argumenta PROBABILIA sue sectæ? At nemo peccat sequens opinionem probabilem.

204 P. Thomas Sanchez (quem impræsentiarum laudat P. Viva (b) hæc scripsit (c): Dum Infidelis sibi persuasum habet, suam Sectam esse PROBABILEM, quamvis contraria sit PROBABILIOR, teneretur utique in articulo mortis constitutus, veram fidem, quam PROBABILIOREM judicat, amplecti, utpote qui in eo articulo est constitutus, in quo de aeterna salute agitur (quasi de ea non sit agendum ante mortis ar-

ticulum) ac proinde partem, quam TUTIOREM & PROBABILIOREM judicat, amplecti tenetur. At extra eum articulum non tenetur (quasi aliud sit pro tunc Evangelium) quòd adhuc PRUDENTER existimet, se posse in sua Secta perseverare, tempusque rei melius examinandæ supersit. Quasi illud: ne tardes converti ad Deum, tamquam nihilum, & inane reputandum ei esset. Adde, subdit, Mysteria fidei tam sublimia esse, ac Christianos mores adeò carnis & sanguinis legibus repugnare, ut non quævis MAJOR PROBABILITAS sufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem. Audistin, mysterium probabilisticum? Ut Infideles excusentur ab amplectenda vera fide, exaggeratur arcta via, & paucitas ingredientium per illam, altitudoque divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei. Ut verò Fideles eximantur ab hac Religionis austeritate clamatur: jugum meum suave est. Sic alloquuntur Probabilistæ Christianos! Doctrinam Sanchezii defendit P. Moya (d). Eandem propugnant Bussembaum, Escobar, aliique Probabilistæ.

babilistæ. Vid. Eraniste (a).

205 At P. Castropalaus discernit (b): Mibi autem dicendum videtur, PROBABILIOREM esse, nullo unquam tempore te obligatum esse amplecti fidem propositam intra terminos TANTUM PROBABILES; sed necessarium esse, proponi tamquam evidenter credibilem, ut tenearis illam amplecti. Et subjungit: He rationes, meo judicio, æqualiter probant de articulo mortis, ac de reliquo tempore, ideòque nullus ex Doctores citatis, præter Sanchez, hanc distinctionem fecit. Atque concludit: Est PROBABILE Infideli veram Religionem habere; non videtur obligandus errorem deserere.

Similiter Terillus de Hæreticis, sibi in Anglia notis, ubi erat Missionarius, statuit (c): Nec desunt plurimi in sua secta VALDE RELIGIOSI, qui juxta instructionem, quam habent, Deo servire satagant. Hi certè HÆRETICI NON SUNT, nec unquam fidem in Baptismo acceptam perdidierunt. Hinc Bussembaum scribit (d): Rustici, aliique homines simpliciores in Germania, qui hæretici habentur, & tamen

pertinaces non sunt, possunt ab solvi à suis Parochis. Ratio: quia non sunt hæretici formales, habentque Fidem Catholicam in Baptismo acceptam. Quid? vel de hæresi formali, & explorata asserit constanter P. Matthæus Stoks (e) hæc: Ab hæresi incurrenda excusat quævis ignorantia, etiam affectata.

206 P. Plateilius quoque propugnat, Hæreticum, qui usque ad finem impubertatis judicavit citra dubium, suam Religionem esse plus veram, non esse adstrictum ad credenda nostræ Religionis Mysteria, imprudenterque operaturum, si ea crederet; atque teneri Catholicorum fugere societatem, quia hos ipse ut Seductores evitat. Et concludit (f): Hinc Tannerus, & alii ajunt, non magis repugnare, Fidelem rudem, & ignarum, casu quò ei per Viros magnæ auctoritatis proponantur motiva credibilitatis, juxta ejus captum efficaciora pro fide hæretica, quam pro Catholica, prudenter, & meritorie Catholicam deserere, & hæreticam amplecti.

Denique citatus Terillus arguit

(a) Epist. tom. 1. pag. 272. n. 11. & seq. (b) De Fide, tract. 4. disp. 1. punct. 12. n. 13. & 14. (c) De reg. Mor. p. 2. q. 64. col. 1. n. 59. (d) Lib. 2. tract. 1. c. 4. dub. 3. n. 5. (e) Tribun. Pœnit. lib. 1. p. 3. q. 3. a. 1. §. 1. col. 1. n. 120. (f) Comp. Cur. Theol. p. 3. c. 1. §. 2. n. 61.

(a) Tract. 3. de fine. c. 1. (b) In Prop. 4. Innoc. nn. 3. & 12. (c) Lib. 2. in Decal. c. 1. n. 6. (d) In Selec. par. 2. in Appen. ad disp. 5. q. 2.

guit pro Probabilifino (a) sic: *Certum est, quòd in materia fidei liceat amplecti partem minùs tutam, tutiori reliéta: ergo idem licebit in materia morum.* Idem affirmat P. Estrix (b). Et P. Gobat refert (c), Mercatorem Lutheranum in articulo mortis egiffè, ut fuæ Religionis Minister advocaretur; fed fervitores conduxiffè Sacerdotem Catholicum: Qui ante omnia laudavit nonnullas *Lutberi* bonas qualitates, & subindè de rebus Religionis instruxit, at fecundùm Catholica dogmata. Moribundus tamen adhuc credidit, feffe confiteri Prædicanti Lutheranò. Nihilominùs Sacerdos abfolvit illum, atque communicavit. Prædictus *Gobatus* factum approbat, & adfert fimiles alios casus. Atque id afferit *La-Croix*, & conciliare nititur (d).

§. II.

207 **E**N ex una parte *Decalogum*; en ex altera *Symbolum*. Non est minùs verum quodlibet Decalogi mandatum, quàm quilibet Symboli articulus. Sentus 4. Propositionis ab *Inno-*

centio XI. damnatæ fatis clarus est. *Ex hac damnatione* (inquit tamen *La-Croix* (e)) *certum est, Infidelem non excusari, si non credat, quando nostra fides ipsi proponitur* UT PROBABILIOR, *quamvis infidelitas ipsi adhuc videatur* PROBABILIS. Quæstiones æquè super Symbolo, ac super Decalogo passim occurrunt. Ecce quæ ratione securam conscientiæ regulam efficiunt Probabilistæ opinionem minùs probabilem in quæstionibus Decalogi; Protestantés nequeunt hanc minorem probabilitatem in controversiis fidei efficere tutam conscientiæ regulam? Antesignani Probabilistæ legitima utriusque generis agnoverunt consecraria. Idcirco tam in fidei, quàm in morum causis, ut visum suprà est, usum minoris probabilitatis concesserunt. Recentiores modò nequeunt hæc concedere consecraria in materia fidei, quia vetat Ecclesia, & quia sequeretur, quemquam in sua secta posse salvari. At si præscindamus nùm ab Ecclesiæ proscritione, dumtaxatque spectemus, quid vi proprii systematis sequatur, hoc illi nega-

gare non possunt; vel assignent nobis discrimen non confictum, sed verum.

208 P. Viva, qui ex *Joanne Sanchez* sibi objecerat argumentum, & benè præviderat necessariam consequentiam, ut istam posset declinare, respondet (a): *Jam diximus, opinionem* MINUS PROBABLEM *in hoc casu esse solum probabilem* SPECULATIVÈ, *non tamen* PRACTICÈ: *ut non est probabilis* PRACTICÈ *opinio minùs probabilis de valore Sacramenti in conflictu tutioris ob imminens periculum damni gravis.* Et nos quoque diximus pag. 17. n. 20. distinctionem probabilis *speculativè*, & *practicè*, ob usum & abusum, quem faciunt & *Viva*, & communiter alii Probabilistæ, vanam esse. Impræsentiarum nihil juvat *Vivam*.

Imprimis etenim juxta eundem *Vivam* (b), falsum est, opinionem minùs probabilem de valore Sacramentorum, non esse *practicè* probabilem dumtaxat propter *imminens periculum damni gravis*, sed etiam quia illà exponuntur *periculo frustrationis*. Sed his prætermisissis, dicat nobis *Viva*, cur præfata Propositio *in hoc casu*

est probabilis *speculativè*, & non *practicè*, præscindendo à fulminante Decreto, quod illi abstulit probabilitatem, non modò *practicam*, verùm & *speculativam*? Authores, qui eam asseruerunt, nonnè probabilem & *in speculatione*, & *in praxi* crediderunt? Fundamentum, quò innixi sunt, nonnè ipsam efficit tutam tam *speculativè*, quàm *practicè*, juxta systema probabilisticum? *Recole Tamburini effatum n. 19.*

Cerrè opinio, de qua nùm sermo est, ab ipso *Tamburino*, cæterisque assertoribus agnita est, & præconizata *probabilis*; talis igitur erit non solum *speculativè*, sed etiam *practicè* in principiis eorum probabilisticis. Præterea, ratio ipsa, quæ militat pro probabilitate *speculativa*, & *præctica* præsentis propositionis, æque militat pro aliis omnibus, ut liquet ex ratione, seu principio ex *Joanne Sanchez* adducto à *Viva*. Igitur si ratio, aut principium illud generale non consistit post damnationem opinionis minùs probabilis in Infideli, neque similiter subsistere valet in favorem aliarum.

Exem-

(a) Loco cit. n. 7. (b) In Prop. 1. Innoc. nn. 16. & 21.

(a) P. 1. q. 2. assert. 2. col. 2. n. 35. (b) In Diat. Theol. (c) Tom. 1. tract. 7. n. 619 (d) Lib. 2. cap. 2. n. 41. & 49. (e) Ibi n. 43.

209 Exemplo planum erit. Lutherano, discussis momentis suæ Sectæ, atque Religionis Catholicæ, hæc videntur firmiora, ita ut iudicet *probabiliorem* nostræ Religionis veritatem; at veritas propriæ sectæ adhuc ei videtur simul *probabilis*. Erit in tali casu immunis à peccato, si non deserat suam sectam, *ductus opinione minus probabili*? nequaquam. Cæterum purè attento systemate Probabilistarum, excusatus debet haberi ab omni peccato. En Lutherani rationcinium: ego verè habeo fundamenta majora, ut credam, Religionem Catholicam esse veram, sed simul habeo valida & fortia in favorem Religionis, quam profiteor. Solum hoc sufficit mihi ut non teneam istam deserere, in eaque possim perseverare tutâ conscientia: Quandoquidem doctrina est, quam celebres Doctores mihi asserunt *certainam*, quod ego possim absque minimo scrupulo persistere in opinione minus probabili in concursu probabilioris, & quod ita operando prudenter me gero. Quamvis verò contingat, me falli permanendo in mea Religione, mea fallentia est innocens, & in-

culpabilis coram Deo. Quis poterit negare, hunc discursum esse concludentem legitime, supposita veritate systematis probabilistici?

Item, dictus Lutheranus firmari poterit in sua persuasione, ex illo principio inter modernos Probabilistas communis; quod nempe, dum quis non potest, præmissis diligentibus & inquisitionibus necessariis, veritatem assequi certò, & evidenter; si declinando ad sententiam, etiam minus probabilem, in errorem adducatur, suus error, aut ignorantia est invincibilis, & ideo excusatus apud Tribunal divinum. Supponamus itaque, Lutheranium illum post exactas diligentias & discussiones, reperire certò & evidenter nequivisse veritatem Catholicæ Religionis, sed solum majorem verosimilitudinem, sive probabilitatem, adeò ut persuadeatur, suam sectam permanere, tametsi minus, solidè probabilem. Si is, motus tali opinione suam non deserit sectam, suus error vel ignorantia dicetur, & erit invincibilis, & excusabilis. Hoc autem est falsissimum, cum sit appositè ipsa damnata Propositio: ergo & Probabilismus,

mus, & principium ejus reflexum, quò munitur, ut contrarium definitioni Ecclesiæ. Hoc tu quidem, dicam cum

Augustino (a), non sentis; sed hoc sequitur illa, quæ sentis. *Multa ergo antecedens, si vis cavere sequentia.*

QUÆSTIO II.

DE LEGIBUS.

Quæ proscripita sunt ab *Alexandro VII.* in Propositionibus 28. & 45. quærimus in præsentia. Erit ergo

ARTICULUS I.

Populus Legem non acceptans.

§. I.

210 **C**UM Judæi ad rebellandum Principibus exteris proclives essent, & inter eos orta esset, *Herodis magni* tempore, secta *Galileorum*, authore *Juda* quodam *Galilæo*, qui Judæos tributum alienigenis non pendere, nec quemquam, præter unum Deum, *Dominum* appellare debere asserabant; idcirco docet *Apostolus* pluriès, omnes homines Principibus, & Potestatibus, ac Magistratibus ab eis constitutis, ex divinæ Legis præcepto parere

debere, & hanc subjectionem atque obedientiam à Christiana Religione imperari. *Omnis homo*, inquit *(b)*, *Potestatibus superioribus subditus sit, & obediat ex animo*, in iis quæ ad illarum jurisdictionem pertinent, & quæ Dei legi non adversantur. Nullus est Principatus aut Magistratus, etiam Infidelium, & Idololatrarum, nisi à Deo authore, cujus proinde reverentiâ eis subijci, & parere necesse est. Quæcumque sunt in mundo Potestates legitimæ, à Deo constitutæ sunt. Seu, quicumque sunt homines verâ, & legitimâ potestate præditi, his parendum est ut à Deo missis & institutis, qui potestatem in varios ordines distribuit, illisque rever-

M

ren-

(a) Lib. 2. de adult. Con. cap. 4. (b) Ad Rom. 13. v. 1. & 2.

rentiam, & obedientiam exhiberi præcepit, ut vices suas gerentibus, ad iustitiam, publicamque pacem tuendam. Confer cum *epist. ad Titum*, c. 3. v. 1. & 1. *Petri* c. 2. vv. 13. 14. 15. 16. & 17. Videque *S. Thomam lect. 1. in c. 13.* laudatæ *epistolæ ad Rom.*

Nulla verò antilogia est *Pauli* loci cum *Osee*, ubi (a) scriptum est: *Ipsi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi.* Distinguendum enim est inter potestatem, & modum adipiscendi potestatem, atque usum potestatis. Ipsa Potestas à Deo est, per quem Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt. Adeptio autem & usus potestatis, si benè ac legitimis viis fiant, à Deo quoque sunt; sin malè, & mediis illicitis, non sunt à Deo, sed ex hominis perversitate, qui ex ambitione, vel quocumque aliò modo legi Dei contrario, potestatem adipiscitur, vel eà abutitur.

Itaque, concludit Apostolus, qui adversus potestatem insurgit; qui Principibus, Ducibus, & Magistratibus, legitima potestate instructis, subdere se renuit, qui eorum Le-

gibus, edictis, & mandatis obedire recusat, Dei ordinationi adversatur, & in ejus præceptum peccat. Ipsi sibi condemnationem, & pœnam arcessunt, non temporalem solum à Magistratibus infligendam, sed æternam à Deo iusto Judice inferendam. Quid clarius hac doctrinâ Apostolicâ? Sed neque est minus manifesta nulla cura, ne dicam contemptus ejus, quem doctrinis variis & peregrinis moderni Moralistæ inspirant.

211 A principio egredietur de cubili suo famosus *P. Escobar* cbrctans, sese quæstiones resolvere graviorum & acceptiorum suæ Societatis Theologorum autoritate. In suis amœnissimis Problematibus inquirit primùm (b): An requiratur acceptatio Populi, ut lex humana Civilis, à Principe promulgata, imponat obligationem in conscientia? Et quid decernit? *Ut lex humana Civilis* (respondet) *obliget, REQUIRITUR, & NON REQUIRITUR populi acceptatio.* Quò significat, ut benè nosti, *probabile* esse, requiri consensum, vel acceptationem populi; & pariter esse. *probabile*, quòd non requiratur. Quare in Po-

pu-

puli erit arbitrio acceptare, vel non acceptare hujusmodi leges. Quod damnatur in *Propo.* 28. Verùm si subditi motivum habuerint nullum legem refutandi, saltèm tùm peccabunt, non acceptando legem legitimè promulgatam? etiam reipondet: *PECCANT, & NON PECCANT subditi, sine causa non recipientes legem à Principe legitimè promulgatam.* Limpidam rationem, quare non peccent, hanc assignat: *NON PECCANT; quia Principes semper promulgant leges dependenter ab acceptatione subditorum, nec illos aliter intendunt obligare. Unde qui absque causa sufficienti legem non acceptat, aliquam culpam non incurrit, nisi grave inde Reipublicæ proveniat incommodum. Sic Megala, Diana, Valentia, Fylliucius. Idem ego existimo: quia acceptatio est conditio ad legis obligationem requisita: & consequenter non delinquit, qui illam non acceptat. Quum ergo jubet Apostolus omnibus, esse subditos sublimioris potestatis ordinationibus, accipiendum id erit, quando velint subdi, atque submitti, & non aliter.*

Pergit *Escobarius* (a): *Subest dubitatio, an lex sit usu re-*

cepta, necne? Respondet de more: *Præsumendum est, & NON EST præsumendum, esse acceptatam.* Hanc ergo secundam partem, quæ tibi erit commodior, graviorque amplecti poteris. Et quid, si legis jam acceptatæ experientiâ gravaminis, subditi supplicent Principem pro revocatione; licet tunc illis erit, pendente tali supplicatione, non eam servare? In promptu est *Escobarii* responsio (b): *LICET, & NON LICET subditis, supplicationem super promulgata lege exponere; & interim eam non observare.* Adeoque non peccant, quia eos liberat à culpa probabilitas, quam amplectuntur, opinionis. Hujusmodi sunt in præfenti materia *Escobarii* problemata gratiosa. Quæ omnia quantum ad substantiam post confirmat (c) generali doctrina, quæ, ut ipse asserit, est *Praxis ex Societatis Jesu Schola*, videlicet: *Leges sub hac tacita conditione feruntur, SI FUERINT ACCEPTATÆ, ET USU RECEPTÆ. Quod valet idem, ac: Legum vis & valor dependet ab acceptatione, & usu, quem facit Populus, qui proinde confirmat, & invalidat.*

212 Fortè repones, commu-

M 2

nio-

(a) Cap. 8. v. 4. (b) Tom. 1. Theol. Mor. lib. 5. c. 14. Probl. 10.

(a) Loco cit. Probl. 14. (b) Ibi Probl. 16. (c) In Sum. tract. 1. exam. 1. cap. 3.

niorem esse sententiam, etiam Probabilistarum, Leges Civiles, dummodò justæ sint, acceptari à subditis debere, atque obligare in conscientia. At hoc facillè admissò (præterquàmquòd Authores, qui oppositum propugnant, tamen in minori numero, tales ac tanti sunt, ut probabiles reddant opiniones suas) animadvertas velim, quantum illi extenuent hanc obligationem, quotque in casibus dispensent ab obedientia. Audi novum illum Moysen Legis Christianæ, ut vocitant, Tamburinum dico, qui cum aliis, ab ipso citatis, ita definit (a): *Dico, Leges civiles de facto, vel* RARÒ, *ex Cajet. Inola, Felino, vel certè ex Bonac. NON FREQUENTER obligare sub mortali* (distinctiones istiusmodi non sunt Apostoli, qui absolute pronuntiat: OMNIS ANIMA PUTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS SUBDITA SIT) *Ecclesiasticas item NEC MULTUM FREQUENTER, ut latè diximus opusc. de Sacrif. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 8. n. 7. & 9.* In hoc libro, relatis duabus sententiis circa obligationem Legum pœnaliùm, & mixtarum, subdit: *Tertia sententia, quam libens amplector, asserit universaliter, nullam legem pœ-*

nalem, sive mixtam in quacumque pœna temporali, quantumvis gravi, obligare in conscientia ad culpam. Ita Valentia, Vilalobos in Summa, citans Navarr. aliosque apud Dianam, probabilemque fatentur Azor, Filiuc. alique. Ratio potissima, allata à Valentia, est: quia, quoad Legislatores seculares, cum ipsi rarissimè, ne dicam NUMQUAM, SOLEANT OBLIGARE IN CONSCIENTIA; certè, si se expressè non explicent, sed solam pœnam, licèt addito etiam imperio expriment, JUDICABIMUS, illos more suo in conscientia non obligare; & verè nihil aliud intendisse, nisi id quod expriment, nempe pœnam.

Vult itaque Tamburinus, leges Civiles, aut rarò, aut non frequenter esse obligatorias sub gravi culpa; & absolute adjicit, nullam legem pœnalem, vel mixtam (cujusmodi esse solent omnes leges Principum sæcularium) inducere obligationem in conscientia, eò quòd eorum mos non est ita sese explicandi, solà contenti notificatione sui imperii. Hunc esse Principum sæcularium morem condendi leges, verissimum est: nulla ergo futura est lex eorum, de qua Casuistæ non possint suaderi, alioque

que persuadere, non ligare conscientiam. Et ecce in sumum abiit subjectio, quam edicebat Apostolus; & in satum publicum introducta erit libertas præstandi, vel non præstandi obedientiam.

213 Sed & aliis principiis probabilisticis aërem verberat laudata subjectio. Ipse rursus Tamburinus docet (a): *Si dubium sit, AN LEX SIT JUSTA? (quàm parum sufficit Probabilistæ ad dubii fabricam!) non obligor illi parere; quia lex debet esse certò justa, ut fuse probat Januar. Nec sufficit esse justam opinabiliter, vel dubiè; neque enim mea libertas certa cedere debet legi dubie.* Item: *In casu dubio AN VERBA ALIQUA LEGIS, PRÆCEPTUM OBLIGANS IMPORTENT, AN CONSILIUM? tamquam regulam certam ponunt Doctores (Probabilistæ) reputanda esse consilia; quia cum lex sit gravis, & onerosa, semper in benigniorem Subditorum partem est intelligenda. Adde, subdit (b), quòd in dubio melior est conditio possidentis. Ergo in dubio, LEXNÈ SIT OBLIGANS? melior est conditio humana libertatis, que tali obligatione immunis est.* Hoc ipso principio

resolvit (c), quòd quum dubitas, an lex extendatur ad quemcumque casum, sit usù recepta, sufficienter promulgata, vel introducta cum obligatione? In his omnibus, & similibus casibus non teneris ad illam.

§. II.

214 CÆterum ut clarè appareat, hos non esse peculiare Tamburini, & paucorum Casuistarum sensus, juvat producere principium generale, & præcipuum reflexivum, quòd Probabilissimi machinam gubernat, ab omnibus Probabilistis adoptatum in præsentia, nimirum, *lex dubia non est lex; consequenterque non imponit obligationem ullam in conscientia.* Hoc principium extendunt universaliter ad omnes leges divinas, & humanas. Tunc igitur lex haberi debet dubia, quòd sunt rationes probabiles contra legem, faventes libertati, hominumque inclinationibus. Et hic est Achilles, sive momentum magnum, quòd conficiunt ex P. Terillo (d) ita pronuntiante: *Nul-*

M 3

la

(a) Lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. L. n. 10. (b) De meth. Conf. c. 1. §. 6. n. 50. (c) Ver. Leges & Præcepta. (d) De Conf. q. 23. n. 14.

(a) Lib. 1. in Decal. c. 3. §. 8. n. 12.

la lex obligat, nisi sufficienter promulgetur: at quoties rationes adsunt PROBABILITER arguentes, partem minus tutam esse licitam, IMPOSSIBILE est, legem præcipientem esse sufficienter promulgatam: ergo IMPOSSIBILE est, illam legem obligare.

Hac regulâ, inter Probabilitas communi, nonnè evidens est, in nihilum devenire obligationem cujuscumque legis, quæ non videatur affatim clara; nullosque casus, in quibus sit qualecumque dubium, vel probabilitas, esse sub illa comprehensos? Ex pluribus, qui proponi possent, ecce propositum ab Escobario (a) hunc casum: Certus es de lege imposta: sed tamen dubitas, num ratione alicujus necessitatis, vel alterius circumstantiæ excuseris? Cum Salas sentio, non teneri, si ejus executio mihi incommoda sit, & molesta. Et subdit: Praxis ex Societatis Jesu Schola. Cui si adjicias istam propositionem alteram: Modò omnis lex semper adfert incommodum, & molestiam; numquàm deerunt ejusmodi dubietates, in quibus subditi nequeant licite eximi ab obedientia legum, vel certiorum.

215 Potest frequenter accidere, quod quamvis subdito quidem Probabilis opinio sit pro negatione obedientiæ Superiori, probabilior tamen esset Superioris opinio ad impositionem præcepti: erit enim tùm obligatio acquiescendi, & obediendi, aut poterit absolutè habere se excusatum? Dicit P. Escobar suis problematibus: TENERIS, & NON TENERIS At P. Castropalaus decretoriè respondet (b): Non est controversia, inquit, quando daretur opinio probabilis ex parte subditi, quòd non teneatur obedire, tametsi contraria sententia sit probabilior: tunc enim licitum est ex supradictis, amplecti, quæ tibi gratior fuerit. Ita notavit Thomas Sanchez lib. 6. in Decal. c. 3. n. 6. Neque obstat, superiorem tunc justè præcipere, ut tu teneris obedire; quia non undequaque justè præcipit, sed probabiliter; ac proinde probabiliter solum obligatus eris obedire, & probabiliter deobligatus. Hæc certè Palai, & Sanchii ratiocinatio decisiva est, supposito systemate probabilistico. Princeps ergo, etiam supremus, vel quilibet alius superior, licet quidquam jubeat

ca-

cathegoricè, non idcirco subditus (si quamcumque habeat contrariam opinionem, vel minus probabilem quæ sibi faveat) judicare poterit sese obligatum ad obediendum, sed deobligatum; quia à tali debito eum reddit immunem probabilitas suæ opinionis. Quæ sunt incommoda, quæ non derivet doctrina prælens? Quid facilius subdito benè instructo principiis probabilisticis, quàm concipere probabilem opinionem, quæ gratior sit præsentæ libertati, genio, & concupiscentiis suis?

216 Sint, quantum velint, omnimodè certæ, & non dumtaxat probabiles & potestas Legislatoris, qui jubet; & justitia legis, quam imponit & promulgatio, quam fecit: Probabilita tandem sese propterea submittet promptè ac fideliter obedientiæ? Vah! In spatio armamentario probabilistico est etiam secretum & occultum scutum; quod unum sufficit, præcipuè ad exemptionem à legibus humanis. Et quod rogas, umquam esse potuit? Quod? In promptu aderit tibi in ipsa damnata thesi 28. ad Theologicam trutinam revocata juxta pondus

Sanctuarii, si superis placet. Sic enim P. Viva intonat (a): Constat, PROBABILE esse, quòd si lex sit ARDUA, tunc ex benignitate Legislatoris præsumi possit, non solum quòd velit illam tacitè revocare, si ea non acceptetur, sed etiam quòd feratur sub ea tacita conditione, quòd acceptetur: ut proinde probabiliter non peccet, qui per Epichejam credit, ad legem nimis arctam etiam à principio non obligari, quousque Legislator non insistat ad ejus observantiam: quòd præter Suar. docent etiam Salas, Bonac. & alii. Atque quasi surdis dixerit, rursus extollit vocem suam. Sanè vix est lex ulla, quæ subdito non videatur ardua nimis & molesta: ferè nulla ergo ligabit. Unde præsumi potest, nisi omninò voluntariè, Legislatorem benignum nolle tùm obligare? Nonnè quò benignior, eò erit præsumptio rationabilior, illum, uti Sapientem, atque prudentem non edidisse legem, nisi post maturam deliberationem, ac consultationem arduitaris ejus; qua nihilofeciùs stante, necessarium judicasse, communi-que bono expediens, illam promulgare?

M 4

In-

(a) Tract. 1. exem. 1. c. 12. (b) Lib. 1. tract. 2. p. 6.

(a) Ibi n. 10. penes medium & n. 11.

217 Inquires : si multifariam multisque modis Casuistæ dispensant communitatem Populi à subjectione debita Potestatibus sublimioribus, quam Apostolus præscribit ; adstringent saltem Ecclesiasticos & Religiosos, qui pars illustrior sunt Communitatis, & stri-ctioribus tenentur vinculis ad sequelam Ordinationum Apostolicarum, parati ante faciem omnium populorum ad dandam scientiam salutis verbò, & exemplo fidelis legum adimplentionis ? nequaquam. Ultrò fatemur, Principum sæcularium benignitatem quamplurima dedisse Privilegia Ecclesiasticis & Religiosis : erubescimus idcirco eorundem ultra omnem mensuram extensionem, qua re ipsa tollatur debita Potestatibus sublimioribus dependentia, atque subiectio.

218 P. Molina sic loquitur (a) : Clerici jam hodie à Civili Potestate sunt exempti, ita ut neque in Criminalibus, neque in Civilibus à secularibus Judicibus judicari possint ; sed ab Ecclesiasticis dumtaxat : exempti etiam sunt à tributis, & aliis oneribus. Principum ergo

legibus obedire non tenebuntur ? Respondent, non unus vel alter, sed Casuistarum infinitus numerus, non esse obligatos directè, sed tantum indirectè. Id est : non sunt obligati, quia sint Principum subditi, sed quia ex eo, quòd si nullam haberent rationem legis illorum, publicèque eas transgredierentur, veniret scandalum ; quo cessante, transgressi non fierent Rei culpæ gravis. Undè P. Escobar (b) deducit : Infero, Clericos, secluso scandalo, non peccare mortaliter, Principum secularium leges violando, quia legibus hifce directè non tenentur.

219 Repones fortè : si Ecclesiastici & Religiosi suæ immunitatis gratiâ non tenentur legibus, quas Reges imponunt Civibus ; neque poterunt quoque Civium privilegiis gaudere ? Respondent tamen, gaudere, & majori quidem amplitudine. P. Escobar inquirat (c) : Cuinam est concedendum privilegium ? & respondet : Solis subditis ; quia per privilegium homo à lege eximitur : non autem eximitur à lege nisi qui aliquo modo legi subiciebatur. Valdè obvia, & natura-

ralis erat consequentia, ut dissimulari potuerit. Quare continuò sibi objicit : Ergo Religiosi, & Clerici, qui subditi non sunt, privilegia à Principe seculari consequi non possunt, neque illis frui. Respondet : Nego consequentiam. Quia licet non sint directè subditi Principibus secularibus ; nihilominus si Princeps concedat legem civilem purè favorabilem, possunt illius beneficio frui. Sunt enim aliquo modo subditi, quatenus Principem agnoscunt in iis, quæ Ecclesiastica non officiant immunitati. Verbo : subditi sunt, & non sunt. Subditi sunt favoribus & gratiis impartitis Principum, secus oneribus & gravaminibus impositis. Singularis planè subiectio, risibilis, & digna, quòd ejus intuitu auferant ab illis omnibus privilegia, quibus onerati sunt. Absit ! ait Escobarius cum Suarrio, & est praxis ex Societatis Schola.

Si etenim Principes possunt concedere privilegia Clericis & Religiosis, quia aliquo modo sunt eorum subditi ; non item possunt auferre, quia directè non sunt subditi. Comparatè itaque ad communicationem pri-

villegiorum & favorum Principis, recurrunt ad primam partem, esse nimirum aliquo modo subditos : relatè verò ad Privilegiorum abolitionem, appellant ad secundam, non esse scilicet subditos, constituuntque, nequire Principes concessum tollere privilegium, aut revocare. Atque nè videar exaggerare, seu Veritatem alterare, judicium profero Escobarii verbis. Loco citato (a) quærit : Privilegium concessum non subdito, estnè revocabile ? Respondet : Negativè affirmo cum Suarrio. Talia sunt, quæ à secularibus Principibus conceduntur Ecclesiasticis.

Si non modò Escobar, verum etiam Suarez, cujus opiniones sunt tutissimæ, tradit hanc doctrinam, existimabitur tuta & tutissima in conscientia, ad praximque absque scrupulo deducetur, quantumvis reclament Principes suis revocationibus, quas fecerint aliquandò. Infallibilis est consequentia, dicent Probabilistæ omnes. At si ad aures regias pervenerit, alteram forsàn deducunt Principes consequentiam, nempe numquam concedendi eis privilegia, nè contentur, nullâ habita ratione

re-

(a) De Just. & Jur. tract. 2. disp. 31. (b) Tract. 1. lib. 5. sect. 2. c. 15.
(c) Tract. 1. exam. 15. c. 2.

(a) Ibi cap. 6.

revocationis propter abusum, aliave motiva, sibi prævalere. Discernent justè ac sapienter Principes, nullus dubito, eos qui præfatas improbant doctrinas, & systema, ab illis qui approbant, sicque abutuntur regia ipsorum benignitate, ac pietate.

ARTICULUS II.

Dubia legalia.

220 **Q**Uæ La-Croixius recenset, satis erit ordinare. Sed notandum, Authorem hunc, quum non judicat, sententiam aliquam esse præcticè probabilem, exprimere id solem, sicut sese declarat, quando loquitur de sententia, parvitatem materiae in re venerea admittente, atque de aliis. Quare ubi non se aperit, dicendum est, judicatas ab eo fuisse sententias in praxi probabiles, vel saltè non judicatas improbabilis. Impræsentiariùm exorditur ita (a): *Quid dicendum sit in variis dubiis circa Leges?* Atque solitò principio probabilistico resolvit: *In dubio, an lex sit, vel non sit, præsumi potest non esse; quia*

possessio est pro libertate, ut dictum est. Sufficit ergo dubium existentiae legis, ut ab ejus observantia subditus sit immunis, & possessio suæ auctoritatis, quam habet Princeps, cedat oportet possessioni, quam subditus habet, libertatis suæ.

221 Pergit (b): *In dubio an lex sit usu recepta, necne? Bonacina, Sanchez, & alii dicunt, præsumi debere, quòd sit recepta.... E contra Azor, Salas, Dicast. negant: quia quando dubitatur de receptione, dubitatur de eo, an lex umquam obligaverit, necne? ergo, non lex, sed potius libertas est in possessione. Videtur tamen esse distinguendum. Nam si sit talis lex, ad cujus obligationem Legislatores prærequirit acceptationem populi, PROBABILIOR esse videtur secunda sententia. Si autem non indigeat acceptatione populi, prima videtur præferenda.* Supponit, Principes solem aliquando prærequirere acceptationem populi sive subditorum, priusquam eos ligent Lege, quam promulgant. Secunda sententia, quæ aperte contraria est juribus Principatûs, erit certò probabilis, utpote innixa tribus gravissimis

Au-

Authoribus, quorum primus est unus potissimum ex octo decantatis classicis à PP. Cardenas, & La-Croix. Ratio, quam assignant, simpliciter efficit, legum validitatem pendere ab acceptatione populi, ut patet.

222 Rursus docet (a): *In dubio, an Legem ferens sit legitimus Superior, v. g. an legitime sit electus, necne? Sanchez dicit, subditum teneri obedire.... E contra Mendo, aliique docent, non teneri. Quia, cum dubitetur an sit superior, nulla est certa possessio pro jure præcipiendi.... ergo hujus (subditi) libertas non est de certa sua possessione dejecta.* Oviedo PROBABILIOR sic distinguit, &c. La-Croixius tò probabilior, relinquit probabilem, & licitam eam sententiam secundam; quæ aliundè etiam erit probabilis, cum propter auctoritatem asserentium, tum propter probabilissimi principium, quò nititur. Deinde addit (b): *In dubio an superior potestatem habeat hoc imperandi? Aut, an hoc, quod imperat, potestatem ipsius excedat? Diana, Oviedo, aliique apud Mendo defendunt, ut PROBABILE, subditum non teneri*

obedire. Sed Sanchez latè ostendit oppositum. Evincat, quantum velis, oppositum, sua sententia erit probabilis; verum erit pariter probabilis altera, quam talem judicant graves illius defensores; & ad quam spontè accedent subditi, nè derogent possessioni suæ libertatis.

Subjungit iterum (c): *In dubio de justitia legis aliqui apud Dianam, & cum Dicastillo dicunt, PROBABILE esse, quòd subditus non teneatur obedire.... Sed Oviedo dicit, oppositum sibi esse CERTUM.* At hujus certitudo non impedit probabilitatem sententiæ oppositæ. Recole n. 16.

223 Praterèa decernit (d): *In dubio, an lex contineat præceptum, an tantum consilium, aut exhortationem? Dicendum est posterius, uti notant Sanchez, & alii. Similiter, in dubio: an lex obliget sub mortali, an sub veniali tantum? tenendum est, obligare sub veniali tantum; quia libertas est in possessione.... Hinc sententiam nostram tenent Navarra, Sanchez, Diana contra Laymanum, & alios apud eundem Dianam. Cùm itaque probabilis sit sententia Doctorum gravium, Prin-*

(a) Lib. I. de Legibus q. 88. n. 589. (b) Ibi n. 591.

(a) Ibi n. 593. (b) Ibi n. 594. (c) Ibi n. 595. (d) Ibi n. 596.

Principum sæcularium leges vel non obligare in conscientia, vel saltem non obligare sub culpa gravi; hæc ad minus excitabit dubium; & in tali casu, ut *La-Croix*: & alii volunt, non erit obligatio saltem sub mortali eas servandi; quia libertas agendi quæcumque placent, est jam in possessione.

Sequitur casus satis frequens, à *Croixio* subindè definitus: *In dubio, ait, an fuerit, vel non fuerit causa sufficiens ad excusandam legis observantiam?* *P. Salas existimat, non esse servandi obligationem, si lex sit molesta; quia faciendum est libertati, quantum possumus* (robustissima ratio, & demonstrativa): *quod Dicastillus dicit, non esse improbable. Sed alii tenent oppositam, & est communior.* Et si hæc secunda sententia sit *communior*; prima tamen, cui cum aliis favet *P. Viva* (a), prorsus reputatur à *Dicastillo* non *improbabilis*. Quod idem est, ac *probabilis*, ut notavit *Tamburinus* supra n. 16. Sicut pariter *probabilem* relinquit *La-Croix*. Erit ergo tuta operationum regula.

224 Insuper, aliis præter-

missis, scribit *La-Croix* (b): *Putat Garzias, probabile esse, ad tollendam obligationem legum non receptorum, etiam ignorante Legislatore, non requiri decennium; sed sufficere actus contrarios in numero sufficiente secundum arbitrium prudentum.... Pro quo citat Navar. Felinum, Botta. Sed contradicunt Suarez, Salas cum communi requirentes, ut hoc fiat, sciente, & tacente Legislatore.* Si hæc communis est, citra aleam opposita non erit *probabilis*, nec sequenda? Ita planè, nisi accederet *Probabilissimus*. Jam enim Princeps *Probabilistarum Terrillus* constituit, tres Authores quatuorve doctos, & pios quamlibet opinionem efficere *probabilem etiam contra communem*, & obtestatus est, hoc esse in confesso apud omnes. Recole n. 29. Dummodò igitur non evincas, quatuor illos pugnantes pro sententia opposita communi, non fuisse doctos, & pios, *Probabilistæ probabilem* habebunt, atque licitam, & re ipsa *P. La-Croix*, eam in pace finit gaudere sua *probabilitate*.

Ex eodem principio resolvit (c): *An durante appellatione, vel supplicatione, sub-*

di-

diti debeant observare legem? Resp. *Si lex observari possit sine magna rerum mutatione, vel periculo scandali, Suarez putat, observandam esse: Quia certò possidet.... Idem tenent Vazquez, Lorca, Garzias.... E contra, Bonacina, Salas, Rodriguez, Granados, Stephanus, Honoratus Fabri, & alii apud Moyam putant, obligationem suspendi: quia, &c.* In præsentia plusquam quatuor sunt *Doctores docti*, & *pii* (hæc certò prærogativa non negabitur ulli) ac proindè nequit non esse *probabilis*, & plusquam *probabilis* opinio, quæ durante appellatione aut supplicatione subditorum, suspendit legis obligationem, sicque possint absque scrupulo, & impunè actus contrarii exerceri. Sed hinc quæ non consequuntur incommoda?

Jam non mirabor quæ nuper legebam (a). *D. Philippus Pardo*, Archiepiscopus Manilen. in Insulis Philippinarum, pro munere suo volebat observantiam & executionem Bullæ *Clementis IX.* atque Rescripti Regis Catholici, quibus severè interdicebatur Ecclesiasticis exercitium negotia-

tionis. Et quia nonnulli Religiosi reperti sunt, qui, his nihil eos impediens, mercedoniam insequerentur; contra tales processit secundum formam juris. Hi verò reclamavere, sese jam retrò antea supplicationem providè præsentasse Matri, atque Romæ pro dispensatione, cumque nondum accepissent responsum, credi esse in libertate negotiandi. Nemo non videt, in tam terrâ, marique disitis Provinciis facilè aut supplicationem, aut responsum posse sumergi & evanescere, quantumque temporis debere transire, priusquam ad suum perveniret terminum una, vel altera. Sed hoc quid refert? Satis fuit Religiosis illis *Probabilistis*, ut arbitrentur, subditos non esse legitimorum judicio Superiorum, neque cogi recedere à telonio prætextu appellationis, sive supplicationis.

225 Denique scriptum est in *La-Croixio* (b): *Si Legislator, sive Princeps, prohibuerit efferrî fruges, vel arma ex Patria; si quis semel efferat, secundum Granados, & alios cum Diana, est materia levis,*

&

(a) Apud *Vincentium Salazar*, 3. p. Hist. Prov. SS. Rosarii Philip. lib. 2. c. 29. & seqq. Edit. Manilæ 1742. (b) Ibi n. 670.

(a) Suprà cit. (b) Ibi n. 633. (c) Ibi n. 639.

excusatur à mortali. Quod PROBABILE est.... E contra alii cum Sanchez equè PROBABILITER dicunt, etiam semel efferrì, esse materiam gravem. Hoc pacto hic & illi subditi efferent semel fruges vel arma extra statum sui Principis, non obstante severâ prohibitione; atque beneficio probabilis opinionis, sese habebunt excusatos à culpa gravi, & etiam à pœna promulgata contra Transgressores; quam credunt non posse imponi justè propter culpas leves.

ARTICULUS III.

Legalia tributa.

226 **L**eges, quæ concernunt gabellas & tributa à Principe imposita, meritò appellantur nervi Principatûs, & Republicæ, sine quibus nec posset consistere, nec satisfacere regiminis indigentis, nec conservationi pacis, subditorumque tranquillitati. De iis in specie monet Apostolus supra laudatus (a): Ideo tributa præstatis, id est juxta expositionem D. Thome: præstare debetis in sig-

num subjectionis. Hinc Apostolus infert: REDDITE ERGO OMNIBUS DEBITA: CUI TRIBUTUM, TRIBUTUM; CUI VECTIGAL, VECTIGAL. Et subdit Angelicus: quia scilicet Principibus tribuitur pro generali regimine, quò Patriam in pace & quiete gubernant. Huic tamen debito detrahunt moderni Casuista propositionibus, quarum praxim reddit Probabilismus licitam, atque tutam, ut vidisti n. 10. & colliges ex sequentibus.

227 P. Escobar consequenter ad systema sic loquitur (b): Princeps justè tributum imponere potest secundum opinionem PROBABILITER affirmantem, illud esse justum: & subditus justè potest tributum illud denegare secundum PROBABLEM opinionem oppositam, affirmantem illud esse injustum. Laudat pro hac decisione PP. Sanchium, Lessium, Molinam, Filliucium: qui omnes sunt Authores classici, suas opiniones efficientes probabiles. Et confirmat postea hoc problemate (c): Subditi EXCUSANTUR, & NON EXCUSANTUR solvere tributum per opinionem probabilem. EXCUSANTUR certè: quia sicut Princeps justè tributum imponit juxta sententiam

PRO-

PROBABILITER affirmantem; sic etiam subditus justè denegare poterit tributum juxta sententiam PROBABILITER affirmantem, illud injustum esse. O quàm faciliter Probabilista invenit vel aliquam ratiunculam qualiscumque ponderis, vel binos, aut trinos Theologos, ad firmandum hac de re opinionem probabilem; sed & facilius dispensat subditos à solutione tributorum, hac judicando probabiliter injusta!

228 Tamburinus quoque inquirat (a): Subditus, qui, omnibus expensis, dubitet, an gabella sit justè imposita, teneat illam solvere? & respondet: Teneri docent alii.... Non teneri, putant Villalobos, Casstrus, Arag. Molina, Fillic. Sylvest. aliique apud Caramuel: quia possessio stat pro libertate Subditorum. Verùm ipse Caramuel sic philosophatur: Justitia tributi, vel est certa, vel probabilis. Si certa, omninò debetur: si probabilis, non debetur. Et concludit: Omnes hæ tres sententiæ sunt probabiles; quia bonis fundamentis innituntur. Ergo etiam sunt in conscientia tutæ, juxta Canonem ab ipso Tamburino editum à principio. Sed præter-

missis plurimis aliis antiquioribus, redeamus ad La Croix recentiorum, de quo duos tresve tantum transcribam textus in materia præfenti.

229 Imprimis habet (b): Navar. Angelus, Beja, aliique multi docent, leges de solvendis vectigalibus esse tantum pœnales, & non obligare in conscientia. Quam sententiam Lessius, Bonacina, aliique dicunt, esse probabilem. Probabilius tamen est, quòd obligent in conscientia. Itaque prima sententia docetur à multis Authoribus, & ab aliis existimatur probabilis, quos inter est Lessius, cujus unum testimonium est sufficientissimum, judicetur verè talis. Quid desideratur ultra ad ejus praxim licitam, & securam?

Deinde asserit (c): Si conflet de potestate imponendi tributum, & dubitetur, an tributum sit justum? sitque dubium negativum, id est, si pro neutra parte occurrat ratio positiva: dicendum est, deberi censeri justum, & esse obligationem solvendi, uti tenent Suarez, Soto.... Licet multi cum Sanchez, Diana, Lugo.... Putent, non esse obligationem, saltem si tributum,

(a) Ad Rom. 13. v. 6. & 7. D. Thom. ibi lect. 1. (b) Lib. 2. lect. 2. cap. 6. (c) Num. 18.

(a) Lib. 1. in Decal. c. 3. G. 1. (b) Lib. 3. p. 2. n. 269. (c) Ibi n. 277.

tum, vel gabella nova imponatur. His consentit Sporer.... dicens, veram esse, & tutam.

Notate verba, & signate mysteria, quibus in fumum abire jubet Probabilismus obligationem, quam subditi habent, solvendi tributa, sive gabellas legitimis suis Dominis supremis. Hic sermo fit de dubio *negativo*, id est, quum nec pro una, neque pro altera parte ullæ sunt *positivæ* rationes: quemadmodum non sunt ad asserendum, vel stellas cœli, vel maris arenas esse numerò pari, aut dispari. Ejusmodi in casu supponitur, subditos ignorare motiva impositionis tributi, dum Princeps non ea manifestat, uti non tenetur: supponitur itidem, subditos ex se non habere causam, quæ à solutione illos eximat. Rebus sic stantibus, allegati Authores docent, non esse obligationem in conscientia ligantem ad solutionem. Quid vobis videtur? erit ergo necessarium, Principes declarare momenta eos compellentia ad exactionem tributi, atque ista ea esse, quæ valeant subditis persuadere *justitiam* impositi; aliter excusatos sese

habebunt à solutione.

Denique La-Croix subdit: Si dubium sit *POSITIVUM*, id est, si sint rationes *PROBABILES* pro eo, quòd sit, & etiam pro eo, quòd non sit *justum*: Sanchez, & alii *sedecim* apud Mendo dicunt, non esse obligationem solvendi; quia possessio videtur esse pro libertate subditorum.... Praterèa, quia sicut in plerisque aliis materiis, ita in hac videtur esse licitum sequi unam *probabilem relicta alia*. Et hanc *sententiam* probabilem esse dicunt Sà, Bonacina, Diana, Bosco, Tamburinus, Sporer, eamque sequitur Lugo, & probabilem esse agnoscit Dicastillius. *Oppositam tenent*, & c. *Oppositum* teneant quotquot velis; citati tamen Authores plusquam sufficientes sunt ad eam reddendam *probabilem*, & in praxi licitam. Quemadmodum etiam non potest non esse *probabilis* & licita hæc alia, quam ipse La-Croix recitat (a): Clerici non tenentur ad gabellam contractuum, nisi negotientur: nec ad gabellam rerum à patrimonio suo. Praterèa, bona, & Coloni Religiosorum Mendicantium eximuntur ab omni exactione, ut habet Sà v. GABELLA. Et de hac exemptione

Cle-

Clericorum videri possunt Sanchez, Lugo, Dicastillius, Diana. Nonnè hæc, quamplurimis omisis, satis sunt, ut laudemus viros gloriosos, & parentes nostros, qui ante thronum Apostolicæ Sedis non cessant (ut vidimus n. 5.) clamare quotidie: *Leges Civiles pro minimo jam haberi, & à tributis non solvendis, etsi justis, sine ullo remorse, quia multa PROBABILIA circa hæc inveniuntur, quamplurimos se excusare?*

ARTICULUS IV.

Pœna Legales.

230 **C**irca pœnas transgressoribus legis debitas, P. La-Croix miram adducit (a) doctrinam, quæ abs dubio erit *probabilis*, inspectato *classicorum* asserentium numero. Navar. Sà, inquit, & alii cum Tamburino putant, etiam pœnas civiles, si extraordinariæ sint, non incurri ab illo, qui invincibiliter ignorat, illas esse transgressionem annexas. Quod *PROBABLE* etiam reputant Suarez, Sanchez, & Castropalao: quia si pœna sit extraordinaria, etiam in foro externo præsumi

potest non præcognita à delinquente: ergo nullò modò potuit illi se subicere. Injustum autem esset obligari ad pœnam, cui nullo modo se subiecit. Hoc principium videtur Magistratum reflexione dignum. Si namque verum esset, vix unus reperiretur delinquens, à Judicibus damnandus absque injustitia ad pœnas extraordinarias, quæ in legum promulgatione injunguntur; nam cuiusvis facile esset, prætextu ignorantia uti. Magistratus tamen regulantur, & justè regulari aliis principiis credunt, neque umquam agnoverunt *voluntariam* subditorum ad pœnam subjectionem. Ex hoc forsàn injustos eos dicent omnes Casuista; istos interim illi merito ridebunt, & legum violatores ad pœnas damnare pergunt.

231 Recentius P. La-Croix scribit (b): Clericos directè, & per se obligari potestate *directivæ* legis Civilis, docet cum aliis, quos citat, Castropalao. Hinc consentit cum eis etiam Diana, Clericos peccare mortaliter, si eis non pareant; quia sunt *Cives*, & pars præcipua *Civillis Reipublicæ*: Et hanc *sententiam* dicit esse valde *probabilem* Burgh.

N

HI

(a) Num. 280.

(a) Num. 768. lib. I. (b) Ibi n. 678.

Hi Authores justè decernunt: laus Deo. Sed heu mi! Quia subdit Croixius: *E contrà Suarez, Vazquez, Azorius* (Trinitas hæc primæ classis merito terret; eorum unusquisque, etiam solus, suam reddit opinionem probabilem, atque in conscientia tutam) *Filliucius, Bonacina, Tannerus, Laymann, Barbosa, Bussembaum etiam* PROBABILITER dicunt (hi quoque ejusdem generis sunt, in aliorum sensu) *non obligari directè, cum secularis in Clericos non habeat jurisdictionem.* Ergo non peccabunt Clerici & Religiosi saltè graviter, transgressione legum civilium, cum de illis nihil curæ sit legibus prædictis.

Colligit tandem Croixius: *Hinc refert Burgh. cum Salas, Caspensi, Bonacina, Del-Bene, & aliis, Clericos* PROBABILITER peccare tantum venialiter, si agant contra hujusmodi legem civilem... *Quòd si ejusmodi transgressioni imposita sit pœna, v. g. si fruges efferantur è Patria, ut eripiantur à Fisco; communis sententia est, huic pœna non subiacere Clericum, neque res ipsius, que gaudent privilegio personæ, cum Clerici non teneantur ulla vi coactiva Legum Civilium, uti rectè Del-*

Bene suprâ. Verùm quibus interest, dicent: quid ad nos? Dum invenerimus Clericos vel Religiosos in ejusmodi culpam lapsos, Fisco adjudicabimus eorum bona, quæ foris extra Provinciam efferunt contra regias ordinationes. Quid vultis vobis reponam? Authores illi ita docent, atque suam opinionem asserunt *probabilem.* At quia vobis non negabunt, contrariam esse *æquè probabilem*; poteritis quantum placuerit, & judicaveritis Republicæ expediens, facere. Neque ab ipsis judicari poteritis Rei culpæ lethalis aut venialis, nisi prius vale dicant suis principiis, Probabilismoque abrenuntient.

ARTICULUS V.

Potestas Principum, atque firmitamentum.

§. I.

232 **P**RO penitiori futurorum intelligentia, post Casuisticam invasionem jurium inviolabilium supremi Principatus seu Throni circa leges, quas Populis promulgat, atque tributata, & pœnas quas imponit; ope-

operæ pretium est, doctrinas eas alteras, quæ adoriuntur directè contrà eandem Principum potestatem spectatam in se ipsa, & sacrarum ipsorum Personarum securitatem, atque tutamen, exponere. Profectò Apostolus, n. 210. laudatus, non modò commendat omnibus fidelibus subjectionem suis supremis Dominis, quæ potissimum attingit leges ab istis editas, verùm etiam eorum potestati resistantiam quamlibet interdicit, adeò ut apertè pœnam annectat damnationis æternæ. Unde *D. Angelicus* ibi ait: *Ex duabus præmissis concludit* (Apostolus) *propositum. Si enim potestas Principum à Deo est, & nihil est à Deo sine ordine, consequens est, quòd etiam ordo, quo inferiores potestatibus superioribus subjiuntur, sit à Deo. Itaque qui contra hunc ordinem resistit POTESTATI, Dei ordinationi resistit :: Deinde ostendit, hujusmodi subjectionem non solum esse honestam, sed necessariam; quia qui resistunt, sibi damnationem acquirunt, contra potestatis ordinem agendo.* Ab hac antiqua Scripturarum, Patrum, & Ecclesiæ doctrina, utinàm recentior non esset aliena! & non

vidissemus horrorem in Israël. Nonnulli etenim ex Authoribus modernis ideam habent de potestate regia, sententiæ Apostoli adeò adversantem, ut vix agnoscat eorum veritas: *non est Potestas, nisi à Deo.* Ita enim deprimunt, ut illam vilescere faciant, & ad chimæram, quasi dixerim, & ens rationis deducant, tamquam dependentem & subditam beneplacito Populorum.

233 *P. Antonius Fernandez* (a) sic scribit; *Omnes Monarchias :: non esse quid stabile, sed imaginarium; adeoque regalem in eis præminentiam re vera non esse realem, sed verè fictitiam.* Unde Prover. 14. dicitur: *IN MULTITUDINE POPULI DIGNITAS REGIS: quia videlicet nemo dicitur Rex per aliquid in se inventum re ipsa, sed per affirmationem, qua illum sibi multitudo prælegit, quod totum referri debet ad beneplacitum populare.* Vides, hujus Authoris sententiâ, dignitatem Principum, & potestatem integrè dependentem à populo, populumque adstruentem, atque destruentem ad nutum Republicas, & Reges. Idem Author sensum Isaïæ 40. v. 23. *JUDICES TERRÆ VELUT INANE*

N 2

PE-

(a) Vilio vigesima prima. Dan. cap. 2. sect. 2. n. 3.

HECIT DEUS, contorquens, subjungit (a): *Id est, mera quasi nomina sine re.... Quia dignitatem regiam non habent radicam in se, sed in alio, videlicet in ipsa opinione, & beneplacito multitudinis, ut supra dictum est. Itaque dignitatem eam non sativam, non nativam, aut naturalibus radicibus, sed alienis suffragiis inherentem habent... Monstratas ideò Monarchias in somniis, quia nihil amplius sunt, quam phantasmata ludicra, nihil rei habentia, præter fictitiam pompam.*

Certè allegatus Isaias dixerat ibidem v. 17. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo (Deo) & quasi nihilum, & inane reputatae sunt ei.* At complexum illud assertionum, quo pacto exprimuntur à Fernandezio, opponi videtur directè oraculo Apostoli, & parere viam rebellionem, & seditionibus contra supremos Principes legitimos, quorum dignitatem, & potestatem dejicit, simul atque rememorat, & exultat Populi potentiam eam, quæ ipsi inconvenit.

234 Insuper P. Dicastillus (b) asserit: *Si supremus Princeps negligat, vel non audeat*

illatas injurias vindicare; in tali casu necessitas licentiam tribuit (subditis) bellum inferendi hostibus, eosque pro meritis puniendi, nè improbitas impunita majores assumat animos. Nonnè hoc quoquè est fieri tumultus in populo, qui leviter credere potest, Principem, qui absdubio non sine causa dissimulat, esse in officio suo subditos tuendi, injurias, damnaque ipsis ab hostibus illata vindicandi negligentem, neque de iis quidem cogitantem? Incommoda, quæ ex sua doctrina promanant, videre haud nequivit ipse Dicastillus; quare adjecit (c): *Solum id licere puto in casu, quo bellum reputaretur omninò necessarium ad coercendos malefactores, nè novam injuriam inferant: tunc enim non tam vindicta est, & punitio illata injuriæ, quam defensio, quæ à jure naturali concessa est.* Atque ita temperat Molina doctrinam, quam ipse adducit ex Victoria. Ait enim Molina: QUANDO ITA NECESSE ESSET, UT AB INJURIIS INFERENDIS SE CONTINERENT. Consentit Suarius, Koning, &c. Cæterum prædicta doctrina, etiam ita temperata non po-

te-

terit non consistere saltè probabilis; quia si ad hunc effectum sufficit vel unus Suarez, vel unus Vazquez, melius sufficent, comitantibus tot aliis Doctoribus doctis, & piis? Nec tamen videtur propterea minus seditiosa: nam etiam his temperamentis armat subditos sine consensu, & contra Principum voluntatem ad impediendos novos insultus eos, qui facile timentur ab iis, qui alios jam sustinuerunt. Sanè judicio Populi dumtaxat relinquere, bellum inferre Inimicis & Malefactoribus, est evidenter offensâ regalis Majestatis, & incentivum ad excessus horribiliores statûs, rebellionemque in suum Principem, in quo sæpè malignatur populus.

235 Præterea, ex doctrina P. Escobarii, aliorumque, supra memorata, nempe, Clericos, & Religiosos esse, & non esse subditos supremis Principibus, in quorum ditionibus vivunt; subditos ad capiendum favores, non subditos ad portandum onera, & obligationes communes. Ex hac, inquam, doctrina, consequentia inter multas est altera: ergo rebellio Ecclesiasticorum con-

tra legitimum Principem, non est delictum læsæ Majestatis. Juxta illud enim principium est consequentia necessaria, cum istiusmodi delictum non sit nisi subditorum. Ita philosophatur P. Emmanuel Sà in suis Aphorismis, qui probabilisticæ Theologiæ stillicidium sunt purius. Clerici, ait, rebellio in Regem, non est crimen læsæ Majestatis; quia non est subditus Regi. Nullus dubito, Judicibus non defuturas rationes, quæ illis reddant certò probabile atque tutum procedere, ubi necesse fuerit, contra rebellem, & subvertentem populos, ramquam contra reum læsæ Majestatis, in eumque animadvertere poenâ tanto sceleri congrua. Interim tamen Authores graves nolunt, id illis licere. Adduxi jam Molina doctrinam, Authoris gravis, imò gravissimi, ut Ecclesiastici sint hac tempestate omninò immunes à Potestate Civili, ita ut neque in criminalibus, neque in civilibus à secularibus Judicibus judicari possint. Alias centum id genus doctrinas reportare possent; sed nulla clarior eâ, quam P. Cosmas Magballianus præsertim tradit his conceptis verbi (a):

N 3

Nul-

(a) Ibi n. 4. (b) Lib. 2. de Just. & Jur. tract. 1. disp. 10. Dub. 16, 9. 3. n. 272. (c) Ibi n. 273.

(a) Comment. in Josue.

Nullum jus occidendi Sacerdotes, aut alios Ecclesiasticos Ministros, etiamsi crimen morte dignum admiserint, habent Laici Principes. Expenfis itaque hisce doctrinis, exemptioneque generali à foro laicali, qua gaudent; aliam nullam facultatem habebunt Principes erga Ecclesiasticos reos vel atrociorum criminum, quam istos admonendi, aut fraternè corrigendi ad emendationem. Ablit!

§. II.

236 **R**Epones: ergo Principibus relinquitur aliud nihil, saltè quibusdam in casibus, quam gloria supremæ dominationis in Regnum, turbarum ad pedes suos supplicatricum obsequia, atque quòd sua eminentiâ regali fruantur in sancta pace? Minimè gentium; nam etiam ab his prerogativis lex Spolii per proprios subditos illis imminet. Res est incredibilis, & horroris, attamen vera juxta placita Casuistica. Pateat. Ex quatuor Escobarianis animalibus, triumphalem gloriæ Domini currum ferentibus alterum,

quod spectari volunt tamquam unus ex verè primariis Theologis Jesuitis, & uti talis agnitus in omnibus Tribunalibus Ecclesiasticis, & Sacularibus pro Authore classico, videlicet P. Valentia statuit (a) conclusionem sequentem: *Quarta assertio: Si crimen hæresis, sive apostasie à fide, ita sit notorium, ut nulla possit tergiversatione celeri; etiam ante judicis sententiam incurritur ex parte predictæ poena: nimirum eatenus, ut subditi quidem licitè possint negare obsequium Domino heretico, aut apostata à fide. Ita docent Cajet. & Bannez.... Est etiam observandum, poenam hanc privationis authoritatis in subditos, juxta tenorem tertiæ, & quartæ nostræ assertionis, incurri per excommunicationem, non solum ob hæresim, sed etiam ob quamcumque aliam causam. Quare si quis velit traducere, atque cum fundamento, vel sine illo, quòd Princeps reputetur, & compareat veluti hereticus, aut Hæreticorum fautor, ac etiam aliquantisper excommunicatus, ita ut suis artificiis fiat tam notorium, quòd credatur, occultari non posse: tum ecce jam Princeps regiâ Dignitate casus,*

sus, sine corona, sine dominio ullo, vel autoritate supra subditos.

237 Adhæc, P. Sà, unus ex 34. senioribus Escobarianis, hisce præcis terminis loquitur (a): *Rex potest per Rempubliam (subditos) privari (Regno) ob tyrannidem; & si non faciat officium suum, & cum est causa aliqua justa, eligi alius à majore parte populi. Quidam tamen solum tyrannidem causam putant.* Idem P. Sà v. TYRANNUS docet: *tyrannicè gubernans, justè acquisito dominio, non potest spoliari sine judicio publico. Lata verò sententiâ, potest fieri quisque executor. Potest autem deponi à Populo, etiam qui juravit ei obedientiam perpetuam, si monitus non vult corrigi.* Ejusmodi doctrinis, ut Princeps sua non gaudeat celsitudine in pace, ac tranquillitate spiritus, fat est, quòd major Populi pars conveniat in judicando, sive nonnulli persuadeant, Principem tyrannicè regere & gubernare, statum gravare ultra mensuram, non adimplere officium suum, ad id ineptum esse, & similia, ut licitum habeatur, è throno eum ejicere, aliumque, qui existimetur justior

& aptior, substituere. Quæ in statibus vicissitudines continuæ regiminis non vereantur, quiescentibus in pace prædictis doctrinis, quas Probabilissimus efficit probabiles, & in praxi licitas?

238 Nihilofeciùs venit in adiutorium earundem P. Suarez, qui ob magnam quam obtinet autoritatem, reddit non solum valde probabilem & tutam, sed etiam tutissimam præfatam opinionem. Is proponit confectarium, quòd proficiscitur ex præcedente doctrina, quam ipse post approbat, vel non improbat propter fundamenta, quæ hic (b) adducit, quorum alterum est hujusmodi: *Postquam Rex legitime depositus est, jam non est Rex, neque Princeps legitimus, & consequenter non potest in illo subsistere assertio, quæ de legitimo Rege loquitur. Imò si talis Rex post depositionem legitimam, in sua pertinacia perseverans, regnum per vim retineat, incipit esse tyrannus in titulo: quia non est legitimus Rex, nec justo titulo Regnum possidet. Declaratur hoc amplius in Rege Hæretico. Nam statim per hæresim IPNO FACTO PRIVATUR aliquo modo dominio, &*

N 4

pro-

(a) T. 3. disp. 1. quæst. 12. punct. 2.

(b) In Aphorif. verb. Princeps. (b) Defen. fid. lib. 6. c. 4. pag. 259. col. 2.

proprietas sui Regni: quia vel confiscatum manet, vel ad legitimum Successorem Catholicum ipso jure transit. Et nihilominus non potest statim Regno privari (non sibi constare videtur) sed justè illud possidet; donec per sententiam, saltem declaratoriam criminis, condemnatur.... Verùm subjungit postea: At verò post sententiam latam omninò privatur Regno, ita ut non possit justo titulo illud possidere. Ac prosequitur: Hæc difficultas supponit, contra Regem supremum etiam in temporalibus posse depositionis pœnam, & privationis Regni sententiam ferri: Quod Rex Angliæ audire detrectat. Est autem verissimum, & ex principiis positus in lib. 3. evidenter colligitur, & in sequentibus iterùm dicitur. Concludit tandem: A quo verò possit talis sententia ferri? magna questio est. Breviter nunc supponimus, potestatem hanc deponendi Regem esse posse, vel in ipsa Republica (id est communitate subditorum) vel in Summo Pontifice; diverso tamen modo. Nam in Republica (seu subditorum communi) est solùm per modum defensionis necessariæ ad conservationem suam. Ideoque si Rex

legitimus, sit tyrannicè gubernans, & Regno nullum aliud subsit remedium ad se defendendum, nisi Regem expellere, ac deponere; poterit Respublica tota, publico, & communi consilio Civitatum, & Procerum, Regem deponere: tùm ex vi juris naturalis, quò licet vim repellere: tùm, quia semper hic casus, ad propriam Respublicæ conservationem necessarius, intelligitur exceptus,

239 Si hæc doctrina Doctoris tam eximii viam non sternit amplam seditionibus popularibus, factionibus, rebellionibus, adeò ut neque Rex, neque Principes supremi queant in pace suo gaudere dominio: quænam erit alia? Maximè, propter exemplum; quò utuntur Casuista in descriptione regiminis tyrannici. Tyrannus ratione administrationis est, inquit P. Becanus (a), ut si is, qui est verus Princeps, tyrannicè administrat Principatum, onerando subditos injustis exactionibus, vendendo officia Judicum, condendo leges sibi commodas, Publico parum utiles. Porro quid facilius, quàm de his commoveri ac persuaderi plebem universam à male feriatis & sceleratis hominibus?

bus? tùm ergo credent Populi, licere adversus supremum suum Dominum sublevari, apprehendere arma, & à throno expellere, ac regimine, unà cum excessibus cunctis naturaliter consequentibus.

240 De potestate autem Romanorum PP. ad depositionem Regum subjungit Suarius: At verò in Summo Pontifice est hæc potestas, tamquam in Superiore habente jurisdictionem ad corripiendos Reges supremos. Circa hæc quæstionem ibi diffunditur; sed non est modò instituti mei discussio. Juvat animadvertere, Antifites Summos nullum jam à tempore benè multo usum exercuisse authoritatis, concessæ à Suario, & aliis quàm plurimis: nec tamen contrà sentientes dici idcirco posse, Catholicos non esse, interim fuerint sintque pro bonis Catholicis agniti ab ipsis Romanis Pontificibus cum tota Ecclesia, & ad pacem, atque benedictionem admissi: Quin, veris Pontificiæ authoritatis prærogativis certissimis, ac præ eminentiis derogare qui ultra mensuram extendunt illam,

quasi omnibus incircumscriptam terminis.

241 Ad præsens igitur quod attinet, P. Joannes Mariana de Principe regni gubernacula pravè administrante, sic loquitur (a): Si medicinam respuat, neque spes ulla sanitatis relinquatur; sententiâ pronuntiata, licet Respublica, ejus imperium detrectare primum: & quoniam bellum necessario concitabitur ejus defendendi consilia explicare, expedire arma, pecunias in belli sumptus imperare Populis, &c. Potuit seditiosior dari doctrina? Sed in hujus designii magni executionem à quo petendum est consilium? Quis consiliarius ejus erit opportunior? Obstupescite super hoc.

Celebris P. Gretserus laudat P. Sebastianum Heisium, ad quem sese remittit in materia gravissimâ, de qua dicam suo loco. Dicitur P. Sebastianus (b): Cum de rebus, inquit, politicis, & mutandis Regibus agitur (audetque subdere) De quo consultare, non minus Jesuitarum proprium munus est, quàm gravante lue curare, ne desint amuleta necessaria, theriaca proba, aliaque alexipharmaca.

Er-

(a) Lib. I. de Rege, & Reg. Instit. cap. 6. (b) Declar. Apol. ad Aphor. Jesuit.

(a) In respon. Aphor. Calvin. Aphor. 9.

Ergonè credibile est, quòd ad Jesuitas pctissimùm attineat, de rebus adeò magnis, de repeilendo scilicet à sede magnitudinis suæ supremos Principes, eos spoliando potentia omni?

Audite jam doctos, & zelantissimos *Parochos Parisienses Clero Gallicano deferentes* (a) de libro *P. Becani*, in quo fit sermo de hac materia: *Sedes Apostolica notavit censurà cum declaratione, quòd in hoc libro essent plures Propositiones falsæ, ac seditiosæ, &c. Et cum ordinatione, quòd corrigeretur. Collige quantum abhorreat Sedes Apostolica ab ejusmodi doctrinis contra Principum temporalium auctoritatem. Pergunt: Dièlus P. Becanus, ut videretur obedire mandatis de expungendo ex suo libro multitudinem Propositionum censurà confixarum, nihil aliud fecit, quàm expungere unum dumtaxat articulum, & Papæ dicavit in tali statu, ac si expurgasset ab omnibus erroribus juxta illius intentionem: ita ut iste liber, qui in presentia habet liberum cursum, inter ceteras Propositiones furiosas continet sequentes: REX DEBET EXCOMMUN-*

NICARI, ET DEPONI, SI PROMERUERIT: AD SCIENDUM, SI PROMERUIT, STANDUM EST JUDICIO PERSONARUM PIARUM, ET DOCTARUM: DEBET ESSE EXCOMMUNICATUS, ET PRIVATUS SUO STATU, QUOTIES VIOLAT PRIVILEGIA IMPARTITA RELIGIOSIS. Cumque commota fuisset Sorbona contra Propositiones adeò detestabiles, & contra reliquas, quæ ibi sunt; Casuista in sibi- lum & derisionem eam insensibiliter vocaverunt, efficientes suis artibus, quòd hac de re judicium non assumeret prætextu censuræ cujusdam Romanæ, hancque ipsam postea eludentes supradictò modo, qui est illis tam familiaris. Qui possit capere, capiat.

ARTICULUS VI.

Prohibitio Librorum.

242 **C**elebratissimus Joannes Mabillonius gravissimè obtestatur (b): Postquam Neotericorum plurimi sibi campum vendicarunt de humanis actibus, & peccatis differendi, inconsultis Sacris Ecclesiæ Canonibus, eò devenit moralium opinionum relaxatio, ut nul-

nullum penè ex criminibus censetur, quin aliquo indulgentiæ colore calamifretur. Tantum abest, ut istorum Summistarum studium ad Christianæ Philosophiæ consecutionem quadantenus dirigat, quòd potius ex libera ipsos legendi facultate NON MODICUM SEQUATUR DETRIMENTUM. Non sine animi nostri dolore compertum est, Ethnicorum Ethiceu quorundam Theologorum summis aliquandò fuisse pudori... Fructus longè major ex Ciceronis DE OFFICIIS lectione hauritur, quàm nonnullorum Summistarum, qui præter amplam doctrinarum, ac ratiocinationum farraginem, nihil aliud sæpè sapius ingerunt, præterquàm molestas legentium tricas, unde difficillimè subinde emergunt. Hoc de argumento videndus omninò Sapientissimus P. Elizalde pluribus in locis sui operis pretiosè; potissimùm suadet (a), Authorum Probabilitatum libros neque legi, neque iis studere, nisi magnà cautela & circumspectione, debere; quia, inquit inter bene multa (b): Oraculo Pontificio constat nobis, quibus Sedes Apostolica in loco suo est, irrepsisse modum de rebus

conscientiæ opinandi omninò alienum à simplicitate Evangelicæ, Sanctorumque Patrum doctrinæ. Hic porrò modus, & hæ opinioniones alicubi sanè sunt, & in aliquibus libris sunt.

243 Porro legendi non sunt libri, quorum doctrinam qui ad praxim deduceret, certissimè damnabitur. At juxta *RR. Tyrsum* supra laudatum (c), non est dubium, quòd si sua Societas defenderet Probabilitatum doctrinam, esset causa & occasio, ut multi moti ipsius auctoritate, amplecterentur opinioniones minùs tutas, sibi que minùs probabiles: & tamen est manifestè saltem probabile, quòd ejus auctoritas non sufficeret ad excusandum à peccato eos, qui sectantur opinioniones minùs tutas, sibi que minùs probabiles, relictis tutioribus, & sibi probabilioribus, quia in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur sententiam erroneam sui Magistris, ut docet *D. Thomas n. 177.* laudatus. Maximè modò: nam antea (pergit *RR. Tyrsum*) non affulgebat illa lux, quæ postea orta est ex Pontificiis Decretis, neque deventum erat ad

(a) Scripto 6. Edit. Avinion. 1759. pag. 111. & 112. (b) De Stud. Monast. pag. 1. cap. 16.

(a) 2. p. lib. 6. q. 6. 3. p. lib. 8. q. 7. (b) 3. p. lib. 8. q. 8. (c) Supra n. 14. pag. 10. & n. XIX. Prologi.

fundum gravissima controversia; neque patef:ta ingentes aquivocationes, fallaciæ, & falsa suppositiones quibus unice nititur Probabilismus; neque collecta tot, tanta, & tam manifesta absurda: neque occurrerant Authoribus probabilistis efficacissima argumenta auctoritatis, & rationis, quæ postea aliis occurrerunt. Iisdem ergo rationibus, multò minùs excusabuntur à peccato ii, qui ad praxim deduxerint principia & doctrinas, quas ex lectura didicerint Authorum probabilisticorum: atque consequenter hi, cæterique Professores Probabilissimi rei fient apud divinum tribunal culpæ gravis, omniumque peccatorum ab aliis admissorum propter suam auctoritatem.

244 Neque juvat, præfatos libros, aliosque hujusmodi, nondum fuisse ab Ecclesia prohibitos. Hæc enim objectio jampridem præoccupata manet ab *Alexandro VII.* prop. 27. & canone sequenti (a): *Quod præcipimus, semper placet. Quod permittimus, nolentes permittimus; quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.* Recole à n. 141. ad 146. Sed & quid

Probabilistis proficeret prohibitio? Ordinatur certè, ac maximè consulit animarum salutis, ut non solum non retineantur libri prohibiti absolute, verum etiam ut non retineantur prohibiti sub ista formula, *donec expurgentur;* nec enim minùs horum, quàm illorum retentioni inest erroris periculum: quod provida & pia Mater Ecclesia summo studio à fidelibus conatur avertere. De prædicta prohibitione hypothetica dixere, quod non obsit hujusmodi librorum retentioni ante expurgationem; quasi laudatæ clausulæ non esset sensus: *non retineantur nisi post expurgationem,* ut proscripserit Propositione 45. ab *Alex. VII.* declaratum est. Sed de altera etiam prohibitionem absoluta, quæ Hæreticorum libri vetiti sunt, ut confundantur illi, & infamiæ subeant pœnam in propriorum foetuum supplicio, amplè locuti sunt.

245 Quippè libri nomine non venire Hæretici concionem, orationem, epistolam, brevemque disputationem hæreses continentem, atque illas legentem non incurrere excommunicationem docet cum aliis

aliis *P. Thomas Sanchez (a).* Quasi non etiam libri appellentur Epistolæ, Conciones, Sermones manuscripti, ut patet ex SS. Patribus, qui alienos Sermones frequenter libros nuncupant: stylo quoque Romanæ Curia ipsæ hæreses libelli vocantur. Sanè quid nuncupatio libri refert ad hærescos virus propagandum? Hinc *P. Sporer (b)* ex dicto *Sanchez, Laymann,* aliisque asserit, non incurrere excommunicationem Bullæ illum, qui legerit scripturam Hæretici, minorem decem foliis: quia, *inquit,* LEX ODIOSA EST LIBERTATI HUMANÆ, AC IDEO STRICTÈ INTERPRETANDA. En falsum illud principium, quod nituntur, & sæpiùs perperam reponunt Probabilistæ.

246 Porrò circumstantiæ tam personæ legentis, quàm materiæ, quæ legitur, finisque legendi sunt spectandæ, ut gravitas materiæ, inducens excommunicationem definiatur, vel parvitas, quæ ab ea excuset. Absolute nihilofeciùs

P. Fagundez decernit (c): *In assignanda parvitate materiæ major est difficultas. In qua mihi magis placet sententia Sanchez, Emmanuelis Rodriguez, Vivaldi, & Sà afferentium, esse unam solam paginam.* Et subdit: *Quod benè explicat Sanchez, etiam quando liber fuerit ex voluminibus magnis, quæ vulgò vocantur DE MARCA MAYOR.* Quid, si quis aperiens librum hæreticum, statim offenderet ad hæresim (accidere namquè potest, virus hæresis in paucis occludi lineis) & curiositate, aut levitate ductus prosequeretur lectionem paucarum linearum, vel etiam totius paginæ grandioris formæ, in quibus tota contineretur hæresis? Laudati Authores, respondebit Probabilista, Viri sunt *Docti,* atque *Pii.* Satis est. *Recole quæ scripta sunt num. 92.* Et adeas *Josephum Catalanum* lib. 1. cap. 9. de præcipuo Secret. Congr. Indicis munerè in prohibet. Libr.



QUÆ

(A) Cap. *Hac ratione* 31. q. 1.

(a) Lib. 2. c. 10. n. 29. (b) Tract. 2. in 1. Præc. Decal. c. 3. sec. 4. n. 39. (c) In 1. Præc. Decal. lib. 1. c. 14. n. 4.

QUÆSTIO III. DE FIDE.

De qua I. Propositio *Alexandri VII.* & 16. 17. 18. 19. 20.
21. 22. 23. 64. & 65. *Innocentii XI.*

ARTICULUS I.

Fidei præceptum.

247 **C**ertum est, cum *Alexandrum VII.* qui damnavit Propositionem ordine I. tum *Innocentium XI.* qui proscripsit 16. 17. & 65. non ignorasse, distingui solemus à Casuistis obligationem per se ab ea, quam per accidens appellant, & quamquam nemo unus hanc posteriorem negare auderet præcepto virtutum theologalium; esse tamen plerosque, qui priorem inficiarentur, & nullam omnino esse contenderent; proindeque eò spectasse Decretis suis, ut horum improbam, perversamque doctrinam exterminarent. Hinc ergo *P. Vivam* ferre non possum, cum Propositiones illas ita exponit, ut impij erroris Assertores, qui Fidem, Spem, & Charitatem ex animis Christianorum funditùs

evellere conarentur, excuset calumniâ eorum, qui inter innocentes lavant manus.

Porro *Tamburinum*, inter alios, damnatarum propositionum earum Authorem fuisse constat. Imprimis ita disserit (a): *Si sermo sit de actu fidei necessario necessitate salutis; & hunc quidem semel in vita elicere satis esse, modò vidimus n. 3.... Vel secundo est sermo de actu fidei ex necessitate præcepti, quia scilicet obligamur credere ea, quæ diximus n. 5.... Puto PER SE & DIRECTÈ numquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria (Trinitatis & Incarnationis) nec implicitè, nec explicitè ex vi necessitatis præcepti fidei (nam medii simul & præcepti, jam modò dictum est, qua ratione semel, & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sapissimè verò obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum. Ratio prioris dicti est, quia, ut diximus*

in

in Opusc. de exped. Sacrif. 6. 9. §. 16. n. 5. numquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum; cum enim non possit ut indeterminatum exire in executionem, non censetur prædictè esse complexum. En rationem ipsam, qua ultrò fatetur Viva (a) usos fuisse Assertores damnatæ I. Thesis ab Alex. VII.

248 Quid jam *Viva*? Is, proposita distinctione duplicis obligationis, quarum alteram per se, alteram per accidens Theologi appellant, impavidè scribit: *Hanc secundam obligationem EX VI ALIORUM PRÆCEPTORUM nemo unus negavit. De prima dubitarunt nonnulli apud Tambur. lib. 2. de Præc. Decal. cap. 5. Imò Sanctius, Serra, Bannez illam negare ausi sunt. Quid impudentius scribi potest? Nam illud magno perè reprehensione dignum: De prima dubitarunt nonnulli apud Tamburinum; siquidem eò comparatum esse video, ut Lectores non intelligant, domi suæ Authorem esse damnatæ thesis. Hoc etiam decrat, ut Ecclesia, cum eas Propositiones proscripsit, nihil aliud damnasse diceretur, nisi quod nemo unus ne per somnium*

quidem cogitavit, nullam esse necessitatem (ne per accidens quidem, & ex vi aliorum præceptorum) elicendi in vita actum fidei plusquam semel. Itaque, si loquamur de necessitate salutis, satis est, actum fidei semel in vita elicere, aut sufficit illa mysteria semel credidisse: Si autem sermo sit de necessitate præcepti, homo nullo unquam vite suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium: neque eos Casuistas, qui hæc docerent, Ecclesia damnavit; sed illos tantum, qui tum hanc vim per se obligandi, tum etiam obligationem per accidens, & ex vi aliorum præceptorum negarent. Sed cum nulli fuerint, qui obligationem per accidens negarint, teste ipso *Viva*; sequitur id, quod est insolentissimum, & Ecclesiæ valdè injuriosum; proscriptas ab ea fuisse Propositiones quatuor cum Fide, Spe, & Charitate maximè pugnantes, quæ tamen nusquam repe-
riantur.

249 Sed unde, hausit *Viva* convicium illud: *Serra, Bannez illam negare ausi sunt;*

ni-

(a) Lib. 2. in Decal. c. 1. n. 8. 9. & 10. edit. Lugdun. anni 1700.

(a) In. Prop. I. Alex. VII. n. 1.

nisi ex sua libidine communicandi cum *D. Thoma*, & omnibus Thomistis damnatarum Propositionum perversitatem! Quam libidinem calumniandi impræsentiariùm, demonstrat *Dinellus*, omninò videndus (a). Unum est mirandum qui fieri possit, ut cum *Alex. VII.* & *Innocentius XI.* jussèrint, nè amplius typis ederentur eæ Propositiones, quas proscripserant, aut nè quisquam de iis, neque publicè, neque privatim, nisi fortè oppugnandi causâ, disputare auderet, & audentem excommunicationis poenâ plectendum statuerint; identicè tamen edantur, editaque fuerint non ita pridem Venetiis opera *Tamburini*, in quibus & quatuor prædictæ de præceptis Fidei, & aliæ pleræque apertè, explicatèque propugnantur morum sententiæ, quæ laudatis Decretis apertè proscribuntur.

Quòd si dicas, corrumpi Scriptorum opera, si quidquam ex iis expungatur; eademque ita, ut ab Authoribus profecta sunt, typis edi oportere. Respondebo, tanti non esse Casuistarum opera, ut non pluris salus Christia-

norum, Romanorumque PP. Decreta, quàm illorum operum integritas æstimanda sit: præsertim, quòd ad tuendam famam Authorum nihil obstiterit hoc integritatis studium, quominus ea, quæ reprehensione digna essent, Authorumque nimium proclive ad laxitatem ingenium patefacere, omninò tollerentur. Notum enim, ut cætera exempla præteream, sublatam esse ex operibus *Thomæ Sanchez* sententiam eam, quâ in genere luxuriæ tueretur materiæ parvitatem. Sed demus, integra edi oportere Casuistarum opera. An hoc impedit, quominus errores, proscripseratque morales sententiæ, quas illi bona fide defenderunt, adjunctis animadversionibus emendantur? Cur, ut sæpè vindictis, eorumque, à quibus oppugnantur, reprehensionibus, ita non augmentur notis, & animadversionibus, quibus errata, potissimum ea, quæ ab Ecclesia proscripta sunt, Lectoribus demonstrantur? Cur is, qui Venetiis curavit non ita pridem operum *Tamburini* editionem, maluit ineptè cavillari, & *Tamburinum* ipsum (nihilò *Moya*, aut hujus simi-

li

li meliorem Casuistam) tueri, quàm dare operam; ut quæ in *Tamburino*, nimium laxa, seu falsa essent, ea non nisi confutata legerentur? Satius foret hoc perficere, nè quem imperitum, aut parum intelligentem in eo legendo falli contingeret, ut evenit *P. Sporerio*.

250 Qui *Tamburini*, quem laudat, autoritate nixus asserit (a): *Eo assensu semel habito, præceptum hoc affirmativum fidei PER SE DIRECTE amplius non obligat... Quia ex una parte nullum potest assignari tempus certum, & determinatum, neque Christi, neque Ecclesie lege, quo PER SE DIRECTE obligaret præceptum fidei quoad actum internum... Ideo Christus D. prudenter creditur non voluisse imponere præceptum PER SE distinctum fidei. Sed & Leander à SS. Sacramento habet (b): An obliget per se præceptum fidei ad actum credendum semel in singulis annis?... Probabilius certè respondeo, non obligare: quia non est, unde talis obligatio colligatur.*

Rursus (c): *Probabilius respondeo, hoc divinum præceptum*

nullò modò obligare per se; aut ex vi ipsius præcepti ad eliciendos actus fidei in articulo mortis: quia nec ratio, nec textus aliquis cogit ad oppositum asserendum. Neque coget saltè Ecclesie consuetudo per Sacerdotes suos excitantis, ad monentisque Infirmos, dum Sacro Viatico reficiuntur, ut fidei professionem edant, atque fidei actus repetant? Quis hæc poterit sustinere, nisi Probabilista, in cujus systemate nequit dici, saltè generaliter, ipsas theses damnatas ab Ecclesia non esse adhuc probabiles?

ARTICULUS II.

Fidei actus.

251 Propositiones 19. & 20. ab *Innocentio XI.* confixæ ad eò falsæ, impudentesque apparent, ut induci quis vix possit, quò credat, Theologum quemquam repertum fuisse, qui eas docuerit; illas tamen propugnatas fuisse Antuerpiæ testatur *Sandaus* apud *Vivam* (d). Sanè assensus fidei nititur fir-

O

mi-

(a) Tract. 11. in Decal. c. 2. sec. 3. §. 3. (b) Tract. 11. de Fide, disp. 2. q. 37. (c) Tract. 2. in Decal. c. 2. sec. 3. §. 3. n. 19. (d) In Prop. 19. & 20. Innoc. XI. n. 1.

(a) Epist. 7. à n. 157. pag. 362.

mitati divinæ revelationis, idcirco infallibilis est. Rationes, quæ in fidei confirmationem adducuntur, haud evincunt evidenter, objectum creditum existere; neque satis sunt ad eliciendum infallibilem assensum: voluntas ergo alio principio uti debet, ut assensus fidei firmus evadat. Hinc nempe prudenter rejicere non valet assensum fidei supernaturalem. *Recole dicta à n. 202.*

252 Hinc merito damnata est Propositio 21. quæ *probabilitatem* ad assensum fidei supernaturalis mirifice extendit. Plures Neotericos pro hac sententia pugnantes indicat *P. Viva*. Inducit (a) *P. Ripaldam*, defendentem primam Propositionis partem, nimirum, solam probabilitatem revelationis ad credendum aliquid fidei supernaturali, satis esse; negantem verò, sociari hanc fidem posse cum formidine, sine locutus Deus, an non? ut habet secunda Propositionis pars. His in tuto posuisse *Ripaldam* suum arbitratur, quasi sicut pars, quam negat, non esset pars posterior damnatæ thesisi, sicut prior, quam affirmat: quin

quasi hæc non esset, titulum damnatæ Propositioni præfixit dumtaxat, *De assensu fidei formidoloso*. Porro ipsissima *notitia probabilis* definitur à *D. Thoma (b)*: *Adhæsiō intellectus uni parti cum formidine alterius*, ad differentiam assensus fidei supernaturalis, qui est, *firma adhæsiō*, ita quod, ut ipse *S. D.* loquitur (c): *Homo est certior de eo, quod audit de Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione*. Inconsequenter itaque negat *Ripalda* formidinem assensui fidei supernaturalis, cum eidem asserit probabilitatem.

253 Ecce hoc secundum non damnatur in *Ripalda*? *Quando enim* (respondet *VIVA*) *solum probabile est dari revelationem, & nullum datur moti- vum in oppositum, videtur tunc stare probabilitas de existentia revelationis absque formidine actuali de opposito*. Ecce tota sua trutina ad pondus Sanctuarium. Ut commodum hauriat suo Probabilissimo, quin hujus damnationis sentiat incommodum, quasi arguit: Si prudenter se gerit, qui credit quidquid prudenter judicat iudicio probabili, esse à Deo

re-

revelatum; prudenter quoque se geret, qui operationes suas dirigit iudicio tantum probabili. Subditque: *V. g. Quando Parochus proponit rustico, revelatum esse Mysterium Incarnationis, auctoritas Parochi non dicitur parere rustico notitiam probabilem talis revelationis, sed moralem evidentiam consentaneam rustico: & idcirco potest rusticus tunc fide divina utili ad salutem credere Incarnationem*. Hoc argumentum sub aliis terminis confecerat *P. Fabri (a)*: *Si non teneor, ait, illud credere, quod certò mihi non constat, revelatum à Deo fuisse, & ab Ecclesia propositum; non teneor etiam illam legem servare, quam constat, non certò à Deo, vel ab Ecclesia latam: & sicut certò iudico, me non peccare: dum illud primum non credo; ita certò credo, me non peccare, dum illud secundum non facio. Solvat hoc mihi Baronius (Vincentius), & erit mihi magnus Apollo*.

254 Hic est Probabilistarum mos, grandiloquis & inflatis vocibus sua jactare sophismata, cum sint Vesicæ tumentes vento, atque veritate omni vacuæ. Argumenta à paritate arcessita aliquo pede

communiter claudicare, trito fertur proverbio. Recensitum verò non claudicat tantum, verum & pedibus orbatum jacet. Non plus habet virium, quam istud: *Gallus cantat, ergo Turca saltat*. Non solum non teneor, sed neque licite valeo credere Mysterium Fidei divinæ, quod certò mihi non constat, à Deo esse revelatum: ergo pariter nequeo licite legem servare, nisi certò sciam, esse à Deo revelatam? Non teneor fidei theologicæ credere, Christum esse in hac numero hostia, tametsi sciam à Sacerdote pio consecratam: ergo nec teneor illam adorare, nec licite possum colere? En robur argumenti ab Apolline vix solvendi. Non datur præceptum credendi fidei divinæ, nisi quod certò scimus à Deo revelatum: ergo nec præceptum custodiendi legem, quam nescimus certò promulgatam? Non datur lex servandi virginitatem: ergo neque servandi aliquam continentiam? Proprius ad rem. Nullum datur præceptum credendi fidei divinæ, quod infallibiliter assecutus sum æternam salutem: ergo non datur præceptum me obligans ad

O 2

eam

(a) In Prop. 21. n. 1. (b) 2. 2. quæst. 2. a. 1. (c) Ibidem quæst. 4. a. 8. ad 2.

(a) Apol. Dial. 5.

eam procurandam? Non teneor, fide divina credere, hunc hominem esse meum Patrem: ergo nec teneor eum honorare, licet iudicio fallibili & probabili talem credam? Quis non videat, manibusque ferè contrectet, Probabilissimum esse puram putamque larvam; quum viderit, argumenta, quæ acutissimi & doctissimi Probabilistarum primores extollunt gloriantes, ineptissima esse commenta?

Fide itaque infallibili divina credimus propter auctoritatem Dei revelantis. Ut igitur sic credamus, de hac ejus locutione seu revelatione nobis certò constet, necessum est. Contrà verò, fide humana, sive opinione possumus prudenter credere tamquam revelatum à Deo, quamvis possimus prudenter formidare aliquatenus de existentia revelationis, absolutaque objecti veritate. Quis imprudentiæ postulabit eum, qui congruis fundamentis credit humanitus alicui privatæ revelationi? Quis damnabit Catholicos Doctores, qui probabiliter & opinativè Libros Sacros interpretantur?

255 Dicimus, iudicium verè probabile esse sufficientem

regulam actionis honestæ: quia licet non sit adeò certum, ut falsitas ei repugnet; non est tamen ita fallibile, ut frequenter fallat, sed rarò tantum, aut ferè numquam. Illud enim in nostra sententia est probabilè probabilitate conscientiæ, quod plerumque verum est, ac perquam rarò contingit esse falsum. Quare periculum errandi remotum est, & quammaximè leve. Lex autem prudentiæ non jubet abstinere ab operatione ob ejusmodi vitandum periculum: alioquin eundem de mundo esset. Unde stultus haberetur, qui propter id genus pericula suas suspenderet operationes. Tale itaque iudicium verè probabilè, tametsi non excludat omnem omninò formidinem, excludit tamen omnem formidinem prudentem, omnem anxietatem, turbationem, atque fluctuationem, & reddit intellectum firmum & tutum securitate, non metaphysica, sed morali, ac imperfecta, quæ in hac mortali vita haberi potest. Utique salutis æternæ negotium exigit certitudinem omnem, securitatemque possibilem: at possibilem juxta leges humanæ prudentiæ, & juxta naturam actio-

num

num hujus vitæ contingentium. Summa vero certitudo, quam contingentium harum actionum & eventuum fert natura communiter, moralem & imperfectam non excedit, nec diligentiam plusquam humanam ab homine exigere, jure potest. Iudicium autem in quacumque actione infallibile Angelis, non hominibus congruit, juxta Augustinum (a).

256 Denique allegato P. Ripaldæ, Propositionem 23. de fide latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, quæ ad justificationem sufficiat, nonnulli adjudicant; sed ab hac nota illum absolvere nititur P. Viva (b). Verum non sit, an falsum, mea non interest modò discutere; cum falsitas hujus Propositionis manifesta sit ex eo, quòd fides ad justificationem necessaria, divino nititur testimonio: qua ipsa ratione demonstravimus falsitatem Propositionis 21. Et certè necessarium est ad justificationem & salutem eam fidem in Deum habere, qua; inter alia, divino testimonio fulcita Spes nostra in Deum excitetur. Quomodo autem Spes nostra in

Deum excitabitur, nisi credamus, quia est, & inquirentibus se remunerator sit? ut habet *Apostolus* (c), & declarat *Innocentius XI.* Propositione 22. rursus infra.

ARTICULUS III.

Confessio Fidei.

257 **C**onfiteri fidem, inquit D. Angelicus (d), non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide (à Potestate publica) taceret.... Et ex hoc crederetur, vel quòd non haberet fidem, vel quòd fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide.... In hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis. Hinc S. D. ibidem docet (e), neque expedire, neque utilem, neque laudem dignam fore fidei confessionem, cum Ethnicis Catholicis molesti non sunt, estque periculum,

O 3

(a) Lib. 2. cont. Donat. c. 5. (b) In Prop. 23. Innoc. n. 3. (c) Ad Hebr. 11. v. 6. (d) 2. 2. q. 3. a. 2. (e) Ibi ad 3.

lum, ut non modò nihil Religioni ea proficiat, sed etiam nè Infideles conturbet. *D. Angelicum* laudat *P. Thomas Sanchez* (a), & subdit (b): *Hinc deducitur, Christianum videntem Christum ab infidelibus contumeliis affici, vñ Imagines contumeliam, & temendam fidem, nisi causam ejus publica fidei confessione tueretur, teneri ad id; quia tunc contrariè subtrahitur bonos Christo.*

258 Hæc *Sanchezii* doctrina, quæ est communis, *Castropalao* non placet. Qui propterea omisso *Sancho*, quem prius appellaverat, statim subjungit (c): *Quòd si timeres, Irrisores ex tua laudatione magis irritandos fore, & in blasphemias processuros; non credo, te esse obligatum, siquidem cessat finis, ob quem tua laudatio precipitur, qui est Fidei Christianæ excellentiam promovere.* Porro cum generatim statuatur *Sanchez* ex *Angelico*, tunc Fidem Christiano publicè confitendam esse, dum honos Christo contrariè subtrahitur; idque, ut idem explicat *Sanchez*, eveniat, quotiescumquè Christus, vel fides, quam nobis attulit, ab impiis irridetur: nulla esse

causa potest, nè illa quidem quam adfert *Castropalaus*, cur sibi Christianus fidei confessione supercedendum putet; nec cur *Castropalaus*, qui secutus est *Sanchezium* affirmans, modò negans deserat. *Castropalai* opinionem, communiter Authores rejiciunt: nam tunc Fides Catholica despicitur, Deoque honor debitus subtrahitur per contrariam contumeliam: ergo confitentæ fidei præceptum urget; adeoque suâ publica confessione tenetur, quoad fieri potest, injuriam Deo & Sacris Imaginibus irrogatam propulsare. Nec curare Catholicus hoc in casu debet, sintne ex hac confessione, & defensione in blasphemias prolapsuri Infideles; qui ex propria pravitate, non ex alieno impulsu in Deum, Divosque sacri-lega evomerent convicia.

259 Ex his collige quàm merito damnata sit ab *Innocentio XI.* Propositio 18. Interrogationi factæ à persona publica non respondere, suapte naturâ Deo contumeliam, proximo scandalum infert. Quod ergo in præcitata Propositione damnatur, est quòd fidelis absolute à persona publica in-

ter-

APPENDIX

De judiciaria proprii sceleris Confessione.

§. I.

260 PRIMUS omnium

(graviorem enim inter Probabilistas Authorem producere nescio) *P. Thomas Sanchez*, præter casus suo commemorandos loco, in quibus indulget tam testi, quam reo eludere variis modis mentem Judicis; dubium excitat (b), an Reus, qui à Judice legitime interrogatus, negavit veritatem, possit absolvi à Confessario, quin se præsentet ad ingenuè confitendum, aliundè perseverante adhuc iudicio, reoque sub Judicis potestate? Asserit, sententiam negantem propugnari ab Authoribus bene multis, quos laudat, & ipse *probabilem* dicit. Nihilofecius subjungit (c): *Quamvis autem hoc SATIS PROBABILE sit: at mihi PROBABILIUS est, non teneri hunc se offerre ad fatendam veritatem, sed satisfacere dolendo de præterita culpa.* Sed quid dicendum, si reus, qui semper negavit veritatem patrati à se sceleris,

~ O 4

post

(a) Lib. 2. c. 4. n. 3. (b) Ibi n. 5. (c) Tract. 4. punct. 13. n. 7.

(a) Tract. 3. q. 8. (b) Lib. 3. in Decal. c. 6. n. 6. (c) Ibi n. 8.

post fuerit evidentibus argumentis convictus, & ad extremum damnatus supplicium; saltèm hoc in casu tenebitur veritatem fateri? respondet (a): *At dicendum est, ad minimè teneri, nisi in aliquo speciali casu notabile alicui tertio damnum sequeretur. Quem casum rarissimum fore credo, imò moraliter impossibilem.* Et inter alias probationes vagas, reflexione digna est hæc ultima: Tandem, quia frequentissima Theologorum sententia habet, reum non teneri veritatem fateri, nisi ipsi aperiatur status cause, & quæ in processu contra ipsum probata sunt, ut vel sic certò illi constet, juridicam esse interrogationem. Hoc autem Judices reum interrogantes numquam solent facere, freti alià Jurisperitorum quorundam sententiâ dicentium, id non exigere, ergo saltèm sequendo communem Theologorum sententiam, posset hic reus ab ea delicti confessione excusari, etsi rationes prædictæ non urgerent.

261 Sequitur Tamburinus, præfensus novus suis Moses, quærens (b): Reus, & testis dubitant, an legitime interrogentur à Judice, obligabuntur ad ejus mentem respondere? Cer-

tè nihil reo, vel testi plùs favere volenti, quàm Justitiæ, facilius hac dubii fabricas; quàm Casuista tot invenerint prætextus, undè credatur illegitima Judicis interrogatio, vel saltèm in dubiam adducatur. Quid tamen apertus Probabilista? Respondeo, inquit, non obligari. Ita Fagundez, De Lugo, Sanchez, Pasqualigus. Ratio est (ipsa systematis Probabilissimi) quia Reus, & testis sunt in possessione sua libertatis valendi equivocare ex causa: ergo ab hac non possunt deturbari propter dubium legitime interrogationis. Causa autem hic semper intervenit (nec extraordinaria, nec difficulter reperta) quia semper ii possunt velle custodire suum jus, quò possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa, & manifesta obligatione non debent.

Et subdit: Scio, quosdam nostram responsionem admittere, si timeatur à Reo, vel teste magnum malum, non verò exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere. Sed hos sequi non possum; quia prædicta possessio libertatis in Reo, & teste aequè prævalet, sive grave, sive leve damnum timeatur. Lege DIANAM, qui sine distin-

ctio-

ctione universaliter nostram sententiam amplectitur. Et concludit: Unde colligit (Diana), quando Superior inquit generaliter super aliquo notorio delicto, cujus Author nescitur, posse te vocatum ad testificandum equivocare, si dubites, num infamia, vel indicia sint contra delinquentem, licet jure delinquentem scias. Nec contrarium docent Sanchez, & De Lugo, ut quidam putant.

262 Colligam & ego, imprimis, in judiciali cujuslibet facinoris notorii inquisitione fore impossibile revelari umquam, & apertè constare de aggressore. Si etenim casus est rarus, in quo dubitari non possit, an sit infamia, seu indicia sufficientia contra reum; qui ad iudicium vocatur, ut testimonium perhibeant veritati tametsi sint conscii, viderintque propriis oculis perperationem, poterunt præfensa uti possessione libertatis equivocandi, & ita respondere amphibologiis, restrictionibusque, ut penitus elusa maneat Judicis inquisitio.

Deinde colligam iterum, quòd si reus sit Ecclesiasticus, vel Religiosus, & ipse, aut alii certam habentes notitiam,

sint vocati ad reddendam rationem in iudicio, poterunt eadem semper uti libertate, quam eis concedit Probabilissimus, abscondendi æquivocis veritatem sub prætextu, quòd sæcularis Judex non est conveniens & legitimus Judex: atque hòc pacto numquam aperientur, semperque impunita evadent scelera vel atrociora. Ipse Tamburinus, ut videbimus, concedit pluribus in casibus occultationem veritatis Judici æquivocis, & restrictionibus, etiam firmatis solemniore juramento. Et hoc posito ut citra aleam licito, proponit, num Reo liceat negare ante legitimum Tribunal quodvis delictum, quòd re ipsa commiserit, dùm de incursione agitur pœnæ mortis?

263 Eandem discutiendo quæstionem P. Bussembaum scripserat (a), quòd erat communior & verior sententia D. Angelici, Antiquorumque omnium: Si Reus legitime interrogetur à Judice teneri in conscientia aperte veritatem dicere. At subjungit: Probabile tamen est etiam, quòd ex Sylv. docent Sà, & Lessius, non teneri saltèm sub mortali, in causis capitalibus,

&

(a) Ibi n. II. (b) Lib. I. in Decal. c. 3. §. 5. R. I.

(a) Lib. 4. dub. 7. a. 1.

& gravioribus, si spes sit evadendi, & nullum grave damnum Republicæ timeatur. His limitationibus satis probabilem arbitrati sunt etiam Tannerus, & De Lugo. Verùm liberalior five audacior Tamburinus prædictam opinionem mordicè sustiner in tota sua majori amplitudine, quâ cæteri non crediderant probabilem. Suum longum textum patienter audiamus oportet, ut magis splendeant progressus licentiæ probabilificæ.

264 Jam, inquit (a), si legitimus est Judex, legitimèque per semiplenam probationem interroget.... Celebri quæstione quaeritur, an ob periculum vitæ, quod sincerè respondendo subit, possit excusari, atque adeò ipsi negare veritatem cum equivocatione liceat? Et recitata sententia negante D. Thomæ, & Discipulorum ejus, adjicit (b): Sed jam alii Recentiores, ut De Lugo, Joan. Sanchez, Sanchez cum Doctõribus viginti duobus advertentes, onus esse SUPRA NATURÆ VIRES difficile ad inferendum testimonium capitale contra se ipsum, docent, PROBABILISSIMUM esse & TUTUM, reum minimè obligari ad fatendum crimen suum, unde tantum ma-

lum sibi parari videat. Potissima ratio illa mihi videtur; quia nemo obligandus est concurrere ad se ipsum occidendum. Adde, subdit, esse doctrinam communem, rem multùm difficilem reputari moraliter impossibilem, ad quam præcipiendum nulla potestas humana extendi potest: At præceptum de dicenda hac veritate, quod nunc tradit Reo Judex, humanum est, & positivum: ergo non se extendit ad rem tam difficilem, qualis est ea confessio, quæ reo mortem parat.

Igitur D. Angelicus, pauper, & humilis cum omni retrò antiquitate injunxit onus, quod quidem Patres nostri portare potuerunt: at jam ampliùs portare nequeunt in præsentia homines, qui alterius temperamenti absdubio esse debent. Ab initio sæculi ea sententia vix probabilis erat, post paucos annos ascendit ad satis probabilem, tempore Tamburini exaltata est ad probabilissimam; quid erit nùm post decisum sæculum illud? Verùm res istæ flocci est; quia dùm de re moraliter impossibili agitur, non ita scrupulatim docendum, ut nequeat facilitate summa quicquæ, quamvis scelestissimus

li-

liberari æquivocò, sive mentis restrictione.

265 Juvat adhuc audire Tamburinum respondentem objectionibus, quas ex Angelico, Doctoribusque aliis quàm plurimis proponit. Prima est: Ratio potissima est, inquit, quia inter partes justitiæ potissima est obedientia, quæ tenetur quis obedire superioribus, justè & legitimè præcipientibus; sed jam supponimus legitimè præcipere, idque jam noscere reum: unde ergo excusari poterit à parendo? Respondet: In re tam ardua Judex superior non est. Quod si is soleat cogere, ideò est, quia sequitur contrariam opinionem, quæ saltèm ob auctoritatem Doctõrum PROBABILIS est. Instat dicens: Adde, non vulgare Republicæ detrimentum fore, si talis obligatio fatendi crimina negaretur; passim enim hac impunitatis spe grassarentur maleficia. Respondet replicæ: Alia enim via, nempe inquirendo testes, & incutiendo timorem torture reo ut fateatur, potest se tueri Republica. Adde, non esse certum, quòd ego pro bono communi, ad quod non teneor ex stipendio, seu ex justitia, obliquè mortem subire. De qua re alibi.

Interim lege Joannem Sanchez in Selec. disp. 43. n. 41. Et concludit (a): Doctrinam hætenus à nobis allatam limitant citati Doctores asserendo, posse à Reo negari sub equivocatione crimen, modò aliqua tandèm eluceat spes effugiendi mortem. Ego verò censeo, etiam nulla elucente tali spe, saltèm à mortali esse hujusmodi reum excusandum. Excipio cum Sanchez... casum hæresis; convictus enim de illa, fateri debet, ne negativus hæreticus cum scandalo pœnam subeat. Ergo, si exceptio firmat regulam in contrarium, numquàm erit facinus adeò enorme, etiam læsæ Majestatis in primo capite, ut Reus teneatur confiteri.

266 Eusebius Eraniſte refert (b), in diebus suis quemdam Reum capitis, Venetiis numquàm induci potuisse, ne in articulo quidem mortis, ad confitendum suum crimen, quantumvis probationes unà cum aliis circumstantiis perpetrationis delicti forent adeò evidentes, ut evidentiores nequiverint fortè inveniri in actis humanis; qua de causa fuit tandem capite percussus, & exiit fama hujus luctuosi lapsus per universam

Ita-

(a) Lib. 3. c. 7. n. 4. (b) Ibi n. 5.

(a) Ibi n. 7. (b) Letter. ad Minist. Status, 8. tom. 2. pag. 87.

Italiam. Sed & ego ipse adfuiti jampridem ad triste spectaculum aliud pejus priore: in quo Hæreticus quidam Judaizans, à S. Inquisitione Valentina convictus, perstitit negativus; atque propterea laxatus Brachio Sæculari, destinatus ab isto est morti, & igni. Ligatus trabi jam jam moriturus, rogatus à Sacerdote, an vellet confiteri (quo certè confirmabat suam negationem) annuit libentissimè, confessus est, & absolutus, tamquam alius quisque fidelis, continuoque à Carnifice suffocatus. Qui vidit & audivit, testimonium perhibet, quia propè cum semper fui & in carcere, & in itinere, atque ad gradus fedi struis lignorum, ut viderem finem, antequam arderer.

Obstupuerunt Veneti & Itali de pervicacia illius Rei convicti negativi ad momentum usque mortis, maximè cum jam tandem nulla ei esset spes vitæ; sed plus stupebant de Sacro Ministro illum auxiliante, & non adstringente ad publicam confessionem sceleris in articulo saltèm suæ mortis. Sed quid non dicam de nostro casu, atque de ministrante, aliundè docto, ani-

mae Rei in prædictis circumstantiis? Dumtaxat iis, qui utrobique scandalum patiere, respondebo, ut mirari desinant, quòd in utroque casu Confessarius erat Probabilista, Probabilistarumque doctrinarum venerator, & defensor; & ideò neuter credidit teneri, vel etiam in casu excepto à *Tamburino*, ad talem obligationem declarandam Reis suis.

§. II.

267 **N**ondum finitus est *Tamburini* sonus. Permisit Reo, negare cum juramento ante legitimum Judicem, legitimè interrogantem, commissum ab eo facinus; quia cum agitur de amissione vitæ, non est potestas super terram, potens obligare ad rem adeò arduam & difficilem, quæ credi debet *moraliter impossibilis*. At, quia *Tamburini* viscera compassionis plena sunt, Reos etiam ab sincera facti confessione dispensat, qui non propterea morte plectendi sunt, sed minoribus pœnis. Ita ipse cum aliis, quæcumque dixerat de periculo vitæ, extendit ad quodcumque malum grave, v. g. exilium, amissionem

bo-

bonorum, trirèmes, gravem infamiam, & similia: *Ad hæc enim tam gravia mala, inquit (a), perinde ad mortem avertendam, jus nature nos armat, imò nos urget*. *Tamburinus* ergo non relinquit nisi levia mala, ut paucorum solidorum amissio, carcer diurnus, & id genus levia incommoda, ubi reus tenebitur tamen sub peccato mortali jurare, ac confiteri absque æquivocis Judici veritatem? Verùm neque hanc admittit consequentiam. *Quid de malo levi?* ait. *Respondeo, à mortali fortasse excusandus esses, quamvis contrarius sit De Lugo. Ratio esse potest, vel quia de jure nature videtur esse, ut ne leve quidem vulnus tibi ipsi infligam: vel quia si agitur de pœna levi infligenda, videtur, & leve, & non rigorosum superioris præceptum: vel quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum Reipublicæ.* Hinc colligitur, nullum esse substantialiter malum, sive leve, sive grave, ob cujus fugam nequeat reus, quamvis convictus, negare cum juramento æquivoco: atque inde colliges inversiones gravissimas, talem doctrinam conse-

quentes in publicis & solemnibus judiciis, in quibus agitur de justa à sceleratis vindicta, ut humana coercetur audacia, & tuta subsistat inter improbos innocentia.

Sed proh dolor! Etiam post tot Casuistarum damnatas theses, prædicta doctrina sustinetur hodie nullà limitatione, vel satis tenui, ut videbimus ex *P. Viva (b)*, & videre licet in suo vindice *P. Carlo Antonio Casnedi* hæc recenter scribente (c): *Dico, quòd reus de commisso à se crimine interrogatus à Judice juridicè criminaliter, seu ut puniatur; si occultando restrictione sensibili, ut locutione purè materiali, aut æquivoca suum crimen, spem habeat evadendi pœnam capitalem, ut sunt magna infamia, trirémis, carcer durissimus, bonorum omnium confiscatio, & similes pœne æquivalentes morti, non teneatur sub culpa reatum suum candidè fateri: quin licitè possit suum crimen, etiam jurejurando occultare, sive restrictione sensibili, sive locutione purè materiali.*

268 Sed redeamus ad *Tamburinum*, cujus opiniones sunt celebriores, gratioresque. Is quærit (d): *Sed quid si quis*

in-

(a) Loco cit. n.9. (b) In Prop. Innoc. 26. & 27. n. 20. (c) Crif. Theol. tom. 5. disp. 9. n. 316. (d) Lib. 3. in Decal. c. 1. §. 6. n. 3.

inducat ad jurandum falsum, quod jurans putet verum, ipse verò inducens sciat esse falsum? Respondeo, inquit, hunc mortaliter peccaturum. Sic Bonacina, Azorius, Sanchez, Suarez. Facit enim, ut Deus revera in testem falsi adducatur, quamvis jurans propter bonam fidem excusatur. Confirmat exemplo, & paritate, atque ita cuidam consuluisse asserit. Quis jam dixerit Tamburinum esse semper Tamburinum? Siste tamen paulisper, sic enim pergit (a): Verum, ut ingenuè fatear, post aliquot à consilio dato menses, subit mentem meam disparitas inter casum nostrum, & exempla n. 5. allata, quibus nitebatur vis consilii mei.... Subtilis alicui videbitur, sed certè vera distinctio, ut si penetretur, censenda sit in posterum PROBABILIS Hurta di hoc modo explicata sententia. Ergo, & per ipsum erit licita, cum sit probabilis; & uti talem sustinet alibi (b), authoritati Hurta di addendo authoritatem Cottonii, Diana, Tancredi, qui eam itidem reputant probabilem, ut de probabilitate nemo dubitet; sicque scelestus quisque possit æquivocis ju-

ramentis persuadere iis, quos vocandos prævidet ad testificandum in judicio, quòd coram Judice jurent, innocentem illum esse à statuto ipsi delicto.

269 Infra ostendam, Casuistas Reis concedere occisionem Ministrorum Justitiæ, qui Judicis mandato eos conantur apprehendere. Sed postquam custoditi sunt in carcere, & destinati ad pœnam, poterunt inde tentare fugam omni modo possibili? Respondet Tamburinus (c): Probabile est, posse reum vincula effringere, & rumpere carcerem, saltèm cum animo restituendi fratris damnum: quod tamen damnum restitui, non esse in usu, putat Lessius. Si totum hoc est reo licitum, nequit non esse, subdit (d), vel certum, vel certò probabile, quod docet De Lugo, nimirum posse alium suppeditare reo instrumenta ad perforandum carcerem: Quia, inquit, cui licet ponere finem, licet etiam ponere media. Et concludit: Solum dubitatur, AN ALII POSSINT ADJUVARE REUM AD DICTAM CARCERIS FRACTIONEM? Ad quod sic respondet De Lugo: OMNES NEGANT, POSSE

ALIOS

ALIOS JUVARE REUM EFFODIENDO PARIETES, EFFRINGENDO PORTAS, VEL ALIA SIMILIA FACIENDO; SI ENIM NON LICET EFFRINGERE PORTAS, VEL EFFODERE PARIETES DOMUS PRIVATE MINUS LICEBIT DOMUS PUBLICÆ, PER QUOD PUBLICA POTESTAS PATERETUR VIM, ET OFFENDERETUR. Hæc ille. Cui (non habenti pietatem erga reos) nequeo subscribere. Primò, quia qui universaliter potest ponere finem, potest, ut dictum est, adhibere media. At medium est, reum in effringendo carcere habere meum, vel tuum servum adjuvantiem. Et adducit rationes alias ejusdem farinae.

Numquid reus etiam poterit quocumque alio faciliore modo eludere custodum vigilantiam? Quis hæsitaverit, Tamburinum, si hocce dubium excitasset, respondisse affirmativè ex illo suo manuali principio magno: cui licet ponere finem, licet etiam ponere media? Sed in defectum adest P. Bussembaum, asserens (a): Licet etiam, saltèm in foro conscientie, custodes, prævisà vi & injuria, decipere, tradendo v. g. cibum, & potum ut sopiantur, vel procurando ut absint. Item vincula, &c. Filiucius, Tanne-

rus, & alii multi. At quid erit dicendum de damno inde proficiscente in custodes, qui propterea privabuntur officio, & fortè in eundem conjicientur carcerem, quem evaserunt Rei? Respondebit Tamburinus, jam declarasse Lessium, hoc damnum restitui non esse in usu. Rei ergo fugiant undequaque possint, absque hujusmodi molesta cogitatione. Meritò hæc deplorat diebus nostris Episcopus Leyrensis in sua Pastoralis Instructione, omninò legenda, quia Charitatis unctio, atque publici boni zelo scripta est.

ARTICULUS IV.

Ignorantia Mysteriorum Fidei.

270 **N**ULLA, post Evangelii promulgationem, Trinitatis & Incarnationis ignorantia probabilis, seu invincibilis datur, saltèm longo tempore; inter fideles vero nunquam, ut expressè docet D. Thomas (b): Non possunt autem à tali errore propter simplicitatem aliquam excusari, præcipuè quantum ad ea, de quibus Ecclesia solemnizat, & quæ communiter versantur in ore

(a) Ibi num. 7. (b) Vind. c.4. (c) Lib.9. in Decal. c.2.§. 2.n.9.
(d) Ibi n.11. & 12.

(a) Dub. 8. de reo a. 2. (b) Super 1. ad Cor. 11. lect. 4.

ore fidelium, sicut *Mysterium Trinitatis, Natiuitatis Christi, & alia huiusmodi*. Nihiloscilicet *P. Thomas Sanchez* scripsit (a): *Et quidem in praxi existimo, nunquam, aut rarissimè denegandam absolutionem ob doctrinæ christianæ ignorantiam: quia rustici ignorantes non habent commodè Doctorem, & Confessor potest illos instruere, nec ipsi majorem addiscendi capacitatem habent*. Rusticos esse putat tam obtuso, vel imbecilli ingenio, ut ea, quæ sunt Religionis nostræ præcipua capita, addiscere non possint: quasi ea suis viribus addiscere debeant, aut desit illis diuinæ gratiæ auxilium. Et quasi ut quis dicatur habere fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis, sit necesse, ut explicitam notitiam habeat earum omnium veritatum, quæ ad præfata attinent *Mysteria*; & haud satis sit, ut explicitam habeat fidem trium Personarum distinctarum; credatque, secundam Personam, nempe Filium Dei, hominem factum, mortuum, & à mortuis resurrexisse, atque in Cœlum ascendisse, ut genus redimeret humanum.

At quamvis *Sanchez* hoc lo-

co scripserit: *Et Confessor potest illos instruere*, tamen potest negat instruere debere; addit enim: *Imò (ut num. 23. dicemus) hæc perfecta instructio non est necessaria ad eos absolvendos*. Dissertè autem prædicto n. 23. habet: *Imò in rigore, etsi penitens bona valetudine utatur, non tenetur Confessarius eum instruere procurando, ut tunc addiscat; sed satisfaciet proponendo illi, & explicando prædicta duo Mysteria, ut ea explicitè credat, & inducendo ad negligentiam dolorem, & emendatæ propositum*. Quod quidem parum distare videtur à Propositione 64. proscripta ab *Innoc. XI*. Quia quicumque fidei Incarnationis, & Sanctissimæ Trinitatis laborat ignorantiam, ad Pœnitentiæ Sacramentum ineptus, & incapax est. Si enim hæc ignorantia vincibilis sit, res clara est: Si potest sit invincibilis in aliquo raro casu, ut nonnulli volunt, licet non sit culpabilis, est tamen obex, ne quis aptus sit ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum.

271. Sed *P. Viva* duplicem capacitatem distinguit: alteram ad absolutionem *licitam*; alteram, ad absolutionem *va-*

li-

lidam. Concluditque (a), *illicite* quidem ignorantem talia *Mysteria* absolvi; at è contrario, *validè* absolueretur, si ea duo *Mysteria* credenda essent solum necessitate præcepti, non mediæ. Ex his elicit (b) hoc confectarium: *Hinc sequitur, non esse rejiciendam, nec favere huic thesi (64.) proscriptæ opinionem laudatam Marchantii, quòd scilicet non sint repetendæ Confessiones ab eo, qui ignorabat Mysteria Trinitatis, & Incarnationis: Quamvis enim non absolvatur licite, qui ea ignorat; at PROBABLE est, quòd absolvatur validè: quoties autem PROBABLE est, confessionem præteritam fuisse validam, ea non est repetenda*. Subdit deinde, sibi *probabilius* videri, fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis necessariam esse necessitate dumtaxat præcepti.

Porrò quòd persuasio *absolutè probabilis* de valore præteritæ Confessionis eximat ab onere repetendæ Confessionis extra disputationem est. Verùm quando *probabilius* videtur, Confessionem fuisse nullam, *minor probabilitas* satis minimè est, ut quis liberetur

ab obligatione repetendæ Confessionis; quoniam in materia Sacramentorum *probabilior* imò *tutior* opinio amplectenda est. Gratis autem, & absque fundamento dicit *P. Viva*, *probabilior* esse illam suam opinionem. Nec enim omnes, quos laudat Authores, absolute defendunt solam necessitatem præcepti; sed quidam in aliquo tantum casu raro per accidens contingere posse ajunt, quòd sola implicita Christi fides sufficiat ad justificationem, ut videre licet apud *Salmanticenses*, cum Scholasticos (c), tum Morales (d). Cæterum communior, imò communissima sententia docet, necessariam esse fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis necessitate mediæ. Fallitur ergo *P. Viva*, quum asserit: *Quoties PROBABLE est, confessionem præteritam fuisse validam, ea non est repetenda*; quandoquidem hæc opinio; præsentis controversiæ applicata reputatur falsa.

Quòd postea addit, posse illum, qui ejusmodi ignorat *Mysteria*, absolvi non *licite*, sed *validè*, mihi incompertum est. Nam hæc ignorantia aut

P

in-

(a) Lib. 2. Sum. c. 3. n. 21.

(a) In Prop. 64. Innoc. n. 9. (b) Ibi n. 10. (c) Tract. 17. disp. 6. dub. 1. §. 3. n. 79. (d) Tract. 21. c. 11. punct. 2. n. 18.

invincibilis est, aut *vincibilis*. Si *vincibilis*, patet, confessionem nullam esse, ex thesi proscripta. Si *invincibilis* asseratur: & *validè*, & *licite* poenitens absolveretur, & Minister dumtaxat peccaret, si poenitentis instructionem omitteret. Quare ex parte Confessarii illicita absolutio foret. Et hæc forsitan est *P. Viæ* opinio. Quam tamen rejiciunt, qui ignorantiam invincibilem post promulgationem Evangelicæ legis haud quaquam admittunt: & idcirco illicitam & nullam asserunt absolutionem illius, qui Trinitatis, & Incarnationis ignorantia laboraret. Quare si ignorantia irritus homo sit, Confessarius tenetur tali homini absolutionem Sacramentalem denegare. Et hæc sententia comunissima est, quam nec ipse *Viva* negare potest, quamque defendunt vel ipsi *Salmunticenses* (a), & passim alii Recentiores. Hinc falsam censeo *Regulam* 3. *P. Roncaglie*, in qua docet (b), non esse repetendas confessiones ejus, qui ignorat Mysteria Incarnationis & Trinitatis, quod *probabile* sit, notitiam horum articulorum non esse necessariam ne-

cessitate mediæ: quippe, cum de valore agatur Sacramento, opinio *probabilis* in conspectu *probabilioris* haud est sufficiens regula in iis administrandis. Expecta nn. 482. & 495. & seqq.

ARTICULUS V.

Fides SS. Trinitatis, & Incarnati Verbi.

§. I.

272 **P.** *Berruyer*us ad constituendam duplicem filiationem divinam in Christo, duodecim sodalium suorum autoritate fulciri conatur, quos tamen nominat quidem à principio suæ *dissertationis secundæ*, sed suppressit loca, ubi ejusmodi doctrinam tradant. Timuit forte, ne si quærerentur, parum iis adjuvari posse videretur, juxta dicta n. 72. & 187. & seqq. Turba fratrum duodena sunt *PP. Suarez, Vazquez, Becanus, Lessius, Grandæmus, De Rhodes, Theophilus Raynaudus, Merazius, Mendoza, Ariaga, Tolletus, & Maldonatus*. Re ipsa *Basilii Poncius* ut ibi diximus, qui paucis annis supervixit *Suario*, &

& *Valentia*, asserit his primum commentum duplicis filiationis divinæ in Christo, alienum à doctrina usque tum recepta ab Ecclesia. Qua verò ratione alienati sunt à communi PP. sensu, discutiam modò.

273 Scriptura, inquit *Suaris* (a), unioni hypostaticæ tribuit communiter nomen generationis. *Generationem ejus quis enarrabit*, ait *ISAIAS*. *PSALMISTA: Dominus dixit ad me: FILIUS MEUS ES TU; EGO HODIE GENUI TE*. Et ipse *CHRISTUS: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Ergo Christus*, in quantum homo, est aliquò modò specialis Filius Dei, id est, non est Filius Patris tantum per generationem æternam, verum etiam per Incarnationem est Filius Dei, unius in tribus Personis. Hoc ita frivolo fundamento totam despiciere *Traditionem*, est ausus multus. Ut nullitas consequentiæ appareat, satis est interrogare *Suarium*, & asseclas; quæ sunt Concilia, quive Patres, qui de *Filio Trinitatis* acceperint laudatos textus?

Bini priores semper sunt intellecti de Filio Dei secun-

dum suam generationem æternam: atque si Patres nonnulli accommodarunt Incarnati Verbi Mysterio, id fecere in sensu valdè diverso ab eo, quem invenire vult *Suaris*. Qui potest capere, *inquirunt Patres illi*, eum, qui natus est ab æterno in sinu Patris, dignatum fore, factò homine, in tempore nasci secundò in sinu Virginis? Quæ humiliatio Verbi facti hominis; sed quæ simul exaltatio, ad quam Verbum elevat naturam nostram? Verbum, unicus Filius Dei se humiliat eò usque, ut deveniat, & sit filius hominis: & nostrâ naturâ personaliter unitâ Verbo, filius hominis invenitur esse idem, ac Filius Dei. Hic est PP. sensus in duobus prioribus testimoniis. Tamque in his, quam in tertio nihil viderunt aliud respectu Jesu Christi, nisi filiationem æternam, quæ ipsum efficit solius Patris Filium. Quin perosi rejecerunt expressionem *Filii Trinitatis*, sive Filii Dei unius in tribus personis, dogmaque à tali expressione significatum in Christo per Incarnationem suam. Imò & ipse *Suarez* renuit, *absolutè* dici de Christo, esse

(a) Loco cit. n. 19. (b) Tract. 6. cap. 11.

(a) In 3. p. D. Thom. tom. 1. q. 23. a. 4. disp. 49. sec. 1.

Filium sui ipsus, Filium Spiritus sancti, Filium Trinitatis; sed dumtaxat cum addito, in quantum homo. Quippè exhorrescerent aures Christianæ, quæ ex omnibus Catechismis audire sunt solitæ: *Christus, quæ homo, non habet Patrem: quæ Deus, habet unum Patrem, secus Matrem: quæ homo, habet unam Matrem, sed non Patrem.* Hæc est Fides Ecclesiæ sculpta in corde cunctorum fidelium.

Rursus sic argutatur *Suarezius*: Christus in quantum homo, gaudet divina beatitudine, aut Cœlesti hæreditate: ergo ad istam hæreditatem jus habet in quantum homo: ergo in quantum homo est Filius modò sublimiori ad cæteros. Si gratia *accidentalis* homines facit Filios Dei, potiori titulo gratia *unionis hypostaticæ* Christum faciet Filium Dei. Confirmat ex illo Christi oraculo (a): *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicistis: quia blasphemias; quia dixi, Filius Dei sum?*

Nescio, nùm paucioribus verbis plura absurda dici que-

ant: Christus, in quantum homo, habet jus ad hæreditatem cœlestem: ergo in quantum homo est Filius Trinitatis. Quale jus est ad hæreditatem, fundatum super filiationem chimæricam? Christus non est Filius Trinitatis, at est Filius Patris, qui est in Trinitate prima Persona; & ut Filius Patris, sive Dei, non habet jus ad cœlestem hæreditatem, sed ipse à se est cœlestis hæreditas, ipse se suo contuitu beat. Quoad humanitatem Christi, ipse sibi univit per gratiam infinitè gratuitam, & à primo instanti unionis illa est gavisita in parte sui principe, id est, in sua anima, visione beatifica, in qua consistit hæreditas Sanctorum, atque potita est, quin eam promeruisset. Ratiocinium *Suarezianum* hæreditatem cœlestem spectat tamquam rem quamlibet meliorem unione hypostatica; quasi hæreditas Christo fuerit finis laborum suorum, & unio hypostatica medium conducens. Et quomodò *Suarez* vidit unquam, unionem hypostaticam esse sublimiorem gloriæ gradum, ad quem possit natura humana exaltari? Nihil defuit bea-

beatitudini Christi ab primo Conceptionis instanti: & si propter œconomiam, & nimiam erga nos charitatem, humanitas sua non est gavisita in diebus mortalis vitæ iis privilegiis exterioribus, quibus poterat frui, nihil idcirco minùs habitavit in ea divinitatis plenitudo. Cerrè Christus in suorum omnium exercitium jurium non intravit, nisi post ascensionem in Cœlum; at potestas, quam tùm exercuit, emanabat tamquam à suo fonte ab unione hypostatica: sicque talis potestas non erat sublimioris ordinis, quam ipsa unio, cùm nullus effectus sit sua causâ superior.

Gloria itaque Christi est esse Verbum, Filium unicum Patris: & gloria suæ humanitatis est, devenisse, mediante unione, ipsissimam humanitatem ad esse Verbi, quod eam personat. Timuitnè *Suarius*, nè quidquam deficeret gloriæ Christi, si suæ conditioni *Filii unici Patris*, non annecteret eam *Filii Trinitatis*? Dixi, non ei placere hanc expressionem *absolutam*, sed oportere, ad secundam filiationem innuendam, simpliciter dicere, quod Christus est

Filius Dei in quantum homo. Rationemque assignat: quia cum terminus *Deus* accipiatur indifferenter de tribus Personis, ac de una sola, non redit sensum pravum dicere: *Christus in quantum homo est Filius Dei*, maximè si addatur, quod is in quantum homo est Filius Dei, mediante gratia unionis hypostaticæ. Sed quis hinc non viderit hominem innovare volentem, efficiendo Christum, quæ hominem, Filium Trinitatis; quærentem tamen expressiones minùs irritantes, ut suum cooperiat errorem, eundemque in abscondito instillet?

274 *Audacior Vazquez*, adoptando errorem *Suaris*, minùs curat de absconsione, nec agnoscit inconueniens dicere, quòd Christus, in quantum homo, est Filius totius Trinitatis, & probare conatur ex illis verbis cœlestibus (a): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (b): quæ referenda vult partim ad totam Trinitatem, partim ad humanitatem Christi. Ultrò fatetur, *SS. Hilarium, Augustinum, Leonem, Athanasium, Chrysostomum, Anselmum, Euthimium* (poterat dicere *PP. omnes*)

P 3

ag-

(a) Joan. 10. v. 35. & 36.

(b) In 3. p. D. Thom. tom. 1. q. 23. a. 4. diff. 89. c. 10. (b) *Matth. 3. v. 17.*

agnovisse in hoc loco vocem solius Patris. Sed *Vazquezius* non vult cedere authoritati omnium Patrum, quamvis habeat contrarios. Quin neque authoritati *D. Petri*, scribentis (a) de Christo: *Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi à magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Quomodo igitur eludere potest locum, in quo Princeps Apostolorum apertè prædicat, vocem illam, quæ divina ea verba intonuit, fuisse Dei Patris? Respondet, se arbitrari, laudatum testimonium posse intelligi, non de Deo Patre, sed de tota Trinitate. Non ausit dicere *debere*: hoc satis est ad conculcandam totam *Traditionem*, quæ de solo Patre intellexit testationem illam. Verumtamen tentatum suum cooperire putat *Vazquius* pallio Pontificis *Adriani*, scribentis contra *Felicem*, & *Elipandum*. Sed tali authoritate abuti eum, signum est, quòd nec *Adrianus*, nec ullus alius ex scriptoribus contra *Felicem*, & *Elipandum*, imaginavere filiationem, secundum quam Christus foret Filius Trinitatis; sed om-*

nes adversus eos infurrexerunt docentes, Christum quàm hominem nullatenus esse Filium adoptivum; sed, quia in eo est unica Persona, non posse in ipso esse nisi filiatio, quæ eum reddat Filium æternum Patris. Ad hanc referunt Filiationem Patres VIII. sæculi loca Scripturæ, quibus utuntur contra *Elipandum*.

P. Petavius adfirmat, se nihil videre in laudato *Adriani* textu eorum, quæ affinxit *Vazquezius*. Aliter Pontifex incidisset in *Elipandi* errorem, quem confutabat; nam quæcumque filiatio, quæ incipiat in tempore, nequit esse respectu Dei filiatio naturalis, sed adoptiva. *Vazquius* à *Felice* ac *Elipando* non differt, nisi eò solo, quòd appellat filiationem *naturalem*, eam, quam illi nominabant filiationem *adoptionis*.

In defectum bonarum rationum vana distinctione adjuvari, *Vazquez* existimat. Distinguit enim duplicem filiationem naturalem: unam, quæ consistit in esse genitum ex substantia Patris; & alteram, quæ resultat ex unione substantiali in unitatem Personæ. Et subdit: *Qui est alterius Filius*

lius ratione unionis personalis, & ei substantialiter, & naturaliter unitur, non adoptivus, sed naturalis Filius est. Quid? Christusnè ut homo, est unitus substantialiter in unitatem Personæ cum Trinitate? Vazquius revolvitur, seque ipsum non intelligit; unde non in iis, quæ dicit, sed quæ dicere vult, sistendum est. Per tendit ergo cum *Suario*, quòd unio substantialis naturæ humanæ cum una Persona Divina, efficiat Filium naturalem Dei Patris, Filii, & Spiritus sancti; & Filius ejusmodi sit *per generationem gratiæ*. Quæ absurda! Quo ex documento, seu *Scripturæ*, seu *Traditionis* eruitur, unionem substantialem nostræ naturæ cum Persona una divina efformare Filium Trinitatis; Nemo in Ecclesia simile dixit: hæc ergo profana vocis novitas debet cum indignatione foras ejici.

Porro esse Filium naturalem Dei, est esse genitum de substantia Dei. *Generatio gratiæ* nequit nisi Filios adoptivos facere, ut *Vazquez* fatetur: *Adoptio est per gratiam*. At ipse distinguit inter gratiam, qua Filii Dei efficiuntur in Baptismo, & gratiam unionis. Illa filios tantum adoptivos consti-

tuit; hæc ergo dat Trinitati Filium naturalem: quia gratia unionis hypostaticæ est gratia unionis naturalis, quæ sanctificat mediante natura ipsa Divinitatis. Quæ obscura, indigestaque verborum farrago ista? Natura humana est substantialiter unita cum divina: sanctificata est Divinitate ipsa: ergo hæc unio est *generatio gratiæ*, quæ Filium naturalem Trinitatis facit Personam, in qua uniuntur binæ naturæ. Ita argutatur famosus *Vazquez*, inter doctos aliàs robustus, sed modò inter debiles visionarius: qui amore captus suæ filiationis naturalis, coalescentis ex generatione gratiæ, propugnat, si Pater, vel Spiritus sanctus fuisset incarnatus, Patrem, & Spiritum sanctum fore, quàm hominem, Filium Trinitatis. Pater esset eodem tempore Pater & Filius, atque Spiritus sanctus Filius & Spiritus sanctus. At doctrina Ecclesiæ, innixa Scripturis & Traditione est, in Incarnatione possibili Patris, hominem Deum non esse Filium Dei. Et idem dicendum esse de Spiritu sancto, si assumeret humanitatem. Re ipsa Christus est Filius Dei unice, quia est Verbum, Filius Patris, & ge-

(a) 2. Petri I.V.17.

nitus ante sæcula ex substantia. Patris. Quare *D. Angelicus* ait (a): *Christus est Filius Dei secundum perfectam rationem Filiationis. Unde quamvis secundum humanam naturam sit creatus, & justificatus, non tamen debet dici Filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione justificationis, sed solum ratione generationis aeternæ, secundum quam Filius est Patris SOLIUS. Et ideo NULO MODO debet dici Christus FILIUS SPIRITUS SANCTI, nec etiam TOTIUS TRINITATIS.*

Ut eludat *Vazquezius* angelicam hanc veritatem, *imprimis* dissimulat, quòd *Angelicus* appellet creationem, quam ipse vocat generationem. Certè operatio Spiritus sancti in sinu Virginis fuit formare corpus, & creare animam, eaque inter se unire, ac cum Verbo, media actione communi tribus Divinis Personis. Non fuit in sinu Virginis generatio altera, quàm ea, quæ constituit illam Incarnati Verbi Matrem. Deinde germanum sensum *D. Thomæ* contorquet *Vazquez* in suum, omninò contrarium. *Angelicus* docet, quòd *Christus* nullo modo debet dici Filius Trinitatis, aut

Spiritus sancti, secundum suam humanam naturam; sed asserit positivè, Christum non esse Filium Dei, nisi secundum suam generationem aeternam. Undè hoc eodem suo principio firmat ibidem (b): In Christo non aliam inveniri Filiationem divinam quàm aeternam, tamen si secundum quod homo conceptus sit de Spiritu sancto, sicut de activo principio.

Et tamen *Vazquezius* respondet, S. D. voluisse simpliciter significare, quòd absolute dicere non licet, Christum esse Filium naturalem Spiritus sancti, etiamsi id verum sit. Et concludit: Denique quòd addit *D. Thomas*, dici Filium solum ratione generationis aeternæ, intelligi potest, absolute Filium vocari per eam generationem, quæ ei convenit secundum naturam divinam eo quòd sit ipsi propria, & intrinsecà; non autem per Filiationem, quæ ei convenit secundum naturam humanam. Nos autem jam diximus supra, licèt *Christus* secundum humanitatem sit totius Trinitatis Filius, non debere dici absolute FILIUM TRINITATIS, nisi cum additamento, IN QUANTUM HOMO. Cum autem absolute dicitur FILIUS, intelligitur.

in Christo trinam Filiationem (1. secundum quam est Filius solius Patris; 2. per quam est Filius Virginis; & 3. secundum quam est Filius Trinitatis) objicit sibi imprimis: secundum hanc ultimam Filiationem, quæ consistit in gratia Unionis hypostaticæ, Christus foret Filius sui ipsius, & Spiritus sancti; quòd est absurdum. Deinde: Laudata Synodus *Toletana II.* in sua Professione fidei apertè declarat, Spiritum sanctum non esse Patrem Christi: Idem dicit *Augustinus*: Patresque in generali, atque in particulari *Augustinus* intelligunt, nequaquam de Spiritu sancto, sed de solo Patre divina ea verba: *Hic est Filius meus dilectus.* Quid ad hæc, quæ concludunt, momenta *Becanus*?

275 Hic postquam admisit

Respondet, dici posse, absolute loquendo, Christum esse Filium Spiritus sancti, & Filium sui ipsius, quia eadem Persona potest esse proprius Pater, & proprius Filius ratione duarum naturarum: satius est tamen evitare huiusmodi locutionem. Ad *Concilium* quòd attinet, & *Augustinus* vult intelligi modò conciliabili cum suo errore: Qua-

(a) 3.p.q.32.a.3. (b) Ibi ad 1.

(a) Tract. de Incarn. cap. 18. q. 5.

Quare cogitur dicere, Christum non esse Filium sui ipsius, nec Spiritus sancti ratione duplicis suæ nativitatis, & in sinu Patris, & in sinu Matris Virginis: at esse Filium sui ipsius, Spiritus sancti, & totius Trinitatis ratione Unionis hypostaticæ. *Et hoc sensu*, ait, *intelligendi sunt Authores citati.*

Talis est Novatorum methodus. Semel fabricato suo systemate, respondent ad argumenta contraria distinctiōne quavis frivola, Theologorum locorum clariorum sensum invertunt, mutant terminorum definitiones, susdeque omnia obscurant, & involvunt. An vero candore, & bona fide? nescio. Scriptores eò periculosiores, quò inuēntes admittere Scripturas, & Traditionem, utramque re ipsa despiciunt, earum loco propriam auctoritatem subrogando. Hic Novatorum character.

276 Post *Becanum Theophilus Raynaudus* (a) repetit, quæ dixerant *Suaris*, & *Vazquezius*, ut fugiat à facie argumentorum *Basilii Poncii*. Hic arguebat: Filiatio naturalis supponit esse natum ex illius

substantia, cujus quis Filius est: quomodò igitur fundari poterit filiatio supra Unionis hypostaticæ gratiam, si propter hanc unionem non potest dici, humanitatem Christi procedere à substantia Dei? Respondet *Theophilus*, antecedens esse verum de filiatione perfecta, secus de imperfecta, qualis ea est, quæ nascitur ex gratia Unionis hypostaticæ. Filiatio istæc est naturalis, quatenus humanitati Christi jus tribuit *connaturale* ad gloriam, atque Dei hæreditatem. Et hoc jus *connaturale* naturæ unitæ substantialiter Personæ Divinæ, efformat Filiationem naturalem. Hoc ratiociniò, quo usi sunt *Suarez* & *Vazquez*, se tutum reputat *Raynaudus*. Liceat modò exclamare cum S. Hilario: *Sanctiores sunt aures Populi, quàm Sacerdotum!* Sanè si Christus esset Filius Trinitatis, esset quodè Filius sui ipsius. Quid inde? ait *Raynaudus*, si accipiatur de filiatione inventa à P. *Suarez*? Faterur tamen, melius esse à locutione præfata abstinere, nè simplices scandalizentur. Re ipsà Populi simplicis aures plus Christianæ sunt, quàm horum Theo-

lo-

logorum novorum. Ergo tandem admittendæ in Christo sunt plures filiationes? Et quid inconvenit concedere? *Reponit ille*; cum tot sint in Christo filiationes, quot relationes Filii ad Patrem. Quia itaque Christus *ut Deus* est Filius Patris; *ut homo*, Filius Virginis; & *ut homo Deus*, Filius Trinitatis: tres in illo sunt filiationes. At *D. Thomas* docet, filiationem dici de Persona, non de natura; in Christo non est nisi unica Persona sola: ergo & sola una filiatio. Verum qui impræsentiarum non timet Divinam Scripturam, *D. Thomam* non reveretur.

Denique Christo ut Trinitatis Filio exhibenda erit adoratio, & cultus inferior latræ: quod Scripturis repugnat? Respondet: *Fatendum est, dari peculiarem adorationem, respondentem filiationi naturali temporaria, qua Christus ob sanctificationem substantialem est honore, & adoratione dignus, non quidem adoratione suprema latræ, sed tamen adoratione, que in nullam puram ceaturam potest cadere.* Quid dicam tibi, stulta impietas,

aut quid respondebo tibi? In Apocalypsi (a) honores dabant eisdem creaturæ omnes, easdemque adorationes *Agno, ac sedenti super thronum.* Consequenter *V. Synodus generalis* hunc edidit (b) Canonem: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, ... sed non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.* Videndus *D. Thomas* (c).

277 *P. Grandamus* paucis verbis supergressus est in præfenti (d) commentum *Suarezianum*; Christum enim ut hominem, facit etiam naturâ Filium Dei. *Unio hypostatica*, inquit, *quatenus actio est uniens partes humanitatis Christi, id est, animam & corpus cum Persona Verbi, & faciens illas in illa subsistere, est vera generatio divina, qua facit hominem FILIUM DEI PER NATURAM.* Per *Filium Dei* intelligit, sicut *Suarez*, Filium Trinitatis. Filius æternus Patris, factus Filius Trinitatis *per naturam*, in quantum homo? Quid horribilius! Evangelium di-

(a) Cap. 5. v. 13. (b) C. Constant. II. Can. 9. (c) 3. p. q. 25. a. 1. & seq. (d) Tract. 2. de Christo Filio Dei par. 2. sect. 1. n. 2.

(a) De Attribut. Christ. tom. 2. sect. 2. c. 1.

dicit, Filium Dei per naturam eum esse, qui homo factus est; Verbum Caro factum est: & P. Grandamus docet, Hominem esse illum, qui factus est Filius Trinitatis per naturam, & consequenter ad veram generationem. Quid à Religione alienius dici valet? Adi D. Thomam (a).

278 P. Merazius quoque absonum tenet simile (b). Dico, ait, Christum secundum humanitatem esse Filium Dei (id est Trinitatis) naturalem, tum per gratiam, tum per naturam. Quod iisdem fundamento, atque contemptu Scripturæ, CC. ac PP. conatus est evincere. Undè subdit: Quæ quidem Trinitatis actio non est generatio, quæ sit nativitas, de qua sola generatione loquuntur Scripturæ Concilia, & Patres dum Christi duplicem tantum generationem agnoscunt; unam æternam ex Deo Patre, alteram temporalem ex Virgine Matre: quorum generationum qualibet est propriè nativitas. Fatetur, Scripturam, CC. & PP. Christi duplicem tantum generationem agnovisse; & solo tamen ductus privato Spiritu

suo, & nonnullorum suorum authoritate sodalium, audet admittere in Christo tertiam generationem, quæ hominem Deum facit Filium Trinitatis. Doctores Ecclesiæ tremunt loquuturi de Mysterio, & tremantes transgredi confinia revelationis, Deique verbo subrogare cogitationes proprias, timent reverentiâ pleni expressiones ipsas, nè ulla introducat, quæ usitata non sit: Et homines de pulvere erecti Scholæ, audent SS. Trinitati dare Filium ignotum Prophetis, Apostolis, Doctoribus, toti Ecclesiæ! Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare (c): numquid Jesus Christus revelavit Suárezio, ejusque Scholæ quod non revelaverit Apostolis? aut volavit ad Suarium, & affecit de altari calculum, & hęc illorum purificavit labia (d)?

279 Ipsorum alter est P. Georgius de Rhodes, cujus opus editum est Lugduni 1671. Is pariter admittit (e) in Christo binas filiationes divinas, quarum

rum altera innititur generationi æternæ, Unioni hypostatice altera. Per priorem Christus, ut Deus, est Filius Patris; per posteriorem, ut homo, Trinitatis est Filius. Hanc secundam Filiationem deducere putat ex Concilio Francofordiensi, quod sibi videret definitum adversus Eliphanum, Christum, ut hominem, esse Filium naturalem Dei. Unde arguit: Concilium non definit, Christum esse Filium naturalem in quantum est Deus; id enim fatebatur Elipandus: ergo definit, Christum, in quantum homo est, esse Filium naturalem: ergo in quantum homo est Filius Trinitatis.

Suárezii oculis, & discipulorum ejus, opus est, ut in laudata definitione reperiri valeat Filius Trinitatis. Concilium definit, quod Christus, in quantum homo, non est Filius adoptivus, quia Christus est unus Filius solus, qui est Patris æternus Filius: Filius autem æternus Patris, est Filius per naturam, non per adoptionem. Si in Christo forent duæ Personæ, inquit D. Angelicus (a), nihil rationaliter probiberet, Christum ho-

minem dici Filium adoptivum: Sed cum in eo non sit nisi una Persona, quæ est Persona divina Filii, necessariò dicendum est, eum ipsum, qui est Filius hominis, esse Filium Dei; sicque est idcirco Filius per naturam, & non per adoptionem.

Insistit Rhodensis: hoc ipso quod Christus est Filius Dei, quia ab æterno genitus à Patre est, dici non potest, quod est Filius Dei per naturam in quantum homo, cum in quantum homo non sit æternaliter genitus à Patre. Certè Christus secundum suam naturam humanam spectatus, non est ab æterno genitus à Patre, cum in quantum homo Patrem non habeat. Ad adest discrimen magnum interpositum inter hanc Propositionem, *Christus Filius Mariæ est Filius Dei*, & istam alteram, *Christus in quantum Filius Mariæ est Filius Dei*. Ipse, qui est Filius Mariæ, est Filius Dei; sed in quantum Filius Mariæ non est Filius Dei. In Christo nativitas temporalis non est nativitas æterna, quamvis idem, qui est æternaliter à Patre, sit temporaliter natus ex Maria Virgine, Matre sua. Quia ipse, qui est

(a) 3. p. q. 16. a. 7. (b) Tow. 2. de Incarn. disp. 51. sect. 2. (c) Lucæ 10. v. 22. (d) Isa. 6. v. 5. & seq. (e) Disput. Theol. Schol. ad 3. p. 5. Thom. tom. postter. disp. 4. q. 2. sect. 1. p. 3.

(a) 3. p. q. 23. a. 4.

est Filius hominis, est Filius Dei; ideo de Filio hominis dicitur esse Filium Dei; & de Filio Dei, esse Filium hominis. Videſis *D. Thomam* (a).

Rhodesius ait, non apparere, quod *Elipandus* negaverit, Christum vocari posse Filium Dei per communicationem *Idiomatum*, ut Theologia loquitur. At quam probationem adducit? Communicatio idiomatum fundatur super unitatem personæ Christi. Eritne credibile unquam, *Elipandum* facturum fore Christum, ut hominem, Filium adoptivum, si agnovisset unitatem personæ in Christo, vel naturales consequentias deduxisset? Habemus suam fidei confessionem, in qua loquens de Incarnatione sustinet, *Christum secundum suam humanitatem non esse nisi Filium Dei adoptivum: Deumque creasse visibilia omnia, & invisibilia, non per ipsum, qui natus est de Virgine, Filiusque est per gratiam & adoptionem; sed per eum, qui est Filius per naturam.* Quæ Propositio est *Nestoriana*. Quandoquidem *Elipandus* distinguit re ipsa ibi inter eum, qui de Virgine natus est, & illum, per quem Deus fecit & læ-

cula: & primum efficit Filium per adoptionem, secundum verò per naturam. En duos Filios, & consequenter duas Personas. Si nihilominus *Elipandus* volebat agnoscere in Christo unam tantum Personam, cur assumit expressionem *Nestorii*? Cur contra sensum Ecclesiæ communem pertinax retinebat loquelam hæreticalem?

Vidimus demùm suprâ, *Suarium* DARE NOMEN generationis, ACTIONI DEI UNIENTIS binas naturas, ut Christum reddat Filium Trinitatis: *Vazquium* appellare generationem gratia: GRANDAMUM, veram Generationem: *Merazium*, generationem, sed sine nativitate. *Rhodesius* non illam vocat generationem, sed ait: *Altera est Filiatio, naturalis quidem & vera, sed minus propria, & analogicè tantum Filiatio, comparativè ad primam. Non enim fundatur in generatione sicut prior, sed in aliquo intrinseco, constitutivo, & connaturali, per quod jus habeatur ad hereditatem.* Eiusmodi est Theologia hujus ingenii optimi. Et subdit: *Obtendit Basilius Poncius silentium omnium veterum Patrum, & Scholasticorum de Filiatione hæc Chri-*

Christi temporali & naturali: sed hæc autoritas negativa, que nihil probat. Aberrasti turpiter. Probat & evincit, ut demonstratum est à *N. Segura* (a). Si esset, ut vis; Patres, Concilia, Theologi causam Ecclesiæ contra omnes Novatores malè tuiti forent. His omni tempore dictum est: vos docetis id quod Scriptura, & Patres, & universa Concilia nescierunt; & idcirco nos obturamus aures nostras, nè vos audiamus. Spiritus sanctus Apostolos docuit omnem veritatem; quod vos docetis, novum est: non ergo tale docuit Spiritus sanctus. Sic in Ecclesia à principio philosophatum est, & hæc est methodus præscriptionis, quâ usi sunt *Tertullianus*, & quotquot oppugnare Hæreticos. Sed his *Rhodesius* suppeditat responsionem ad eludendam vim hujus argumenti; & repositionem, cui ipse respondere, nisi se jugulando, non valeat.

§. II.

280 **V**ERUM *P. Suarez*, parens novæ Filiationis, benè aperuit aures suas, & audivit clamorem,

quem adversus eum opere compleret silentium *Scripturæ*, ac *Traditionis*. Ipse sibi objicit: *Quod ut judicetur absurdum, satis est esse inauditum.* Id est: In *Scriptura* divina numquam Christus vocatur Filius Dei, nisi ratione filiationis æternæ: ergo mea opinio est non solum falsa, sed periculosa. Et respondet: *Hæc consideratio nimis est Philosophica, & Scholastica, multumque habet de nostra rationis præcisione, ac consideratione.... propter hanc causam raro, aut numquam invenietur.... præsertim apud Sanctos Authores. QUORUM DOCTRINA NON EST ENS RATIONIS.* Et concludit: *Secundum rem verè non est in Christo alia Filiatio.* Et hæc appositè est doctrina *D. Thomæ*; qui ne filiationem quidem realem considerat eam, secundum quam Christus dicitur Filius Virginis SS. licèt dicatur *realiter Filius Virginis Matris ex relatione reali maternitatis ad Christum.* Agnoscit quidem in Christo duas nativitates reales, quia duæ in Christo sunt naturæ; sed non agnoscit nisi unam filiationem solam, quia una sola est Persona, & Filiatio non dicitur de natura, sed unicè de

(a) 3. p. q. 16. aa. 4. & 5.

(a) Cynofura Crit. tom. 2. pag. 337. & 345.

de Persona. S. D. sibi objicit: *Nativitas est causa filiationis; sed in Christo sunt due nati- vitates: ergo etiam in Christo sunt due filiationes:* Respondet (a): *Nativitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem rea- lem, si esset ibi subiectum hujus- modi filiationis capax. QUOD QUI- DEM ESSE NON POTEST; IPSUM ENIM SUPPOSITUM ÆTERNUM NON POTEST ESSE SUSCEPTIVUM RELATIONIS TEMPORALIS. NEC POTEST DICI, QUOD SIT SUSCEPTIVUM FILIATIONIS TEMPORALIS RATIONE HUMANÆ NATURÆ, SICUT ETIAM ET TEMPORALIS NATIVITATIS: QUIA OPORTERET, NATURAM HU- MANAM ALIQUALITER ESSE SUB- JECTAM FILIATIONI, SICUT EST ALIQUALITER SUBJECTA NATIVI- TATI: Cum enim Æthiops dicitur ALBUS RATIONE DENTIS, OPOR- TET, QUOD ÆTHIOPIS DENS sit albedinis subiectum. Natura au- tem humana nullò modò potest esse subiectum filiationis: quia hæc re- latio directè respicit Personam. Et idèd filiatio (subjunxerat in corp.) quæ Christus refertur ad Matrem, non potest esse realis relatio: sed solùm secundùm ra- tionem.*

Hanc angelicam doctrinam callebat optimè *Suarus*, & pro ejus reverentia edidit con-

fessionem eam: *secundùm rem verè non est in Christo alia fi- liatio. Quin & semet confu- rat, profitens: neque est veri- simile, Concilium Francofordien- se (cujus autoritate se mu- nierat, ut vidimus) in hac theologica subtilitate (sux novæ filiationis) hoc desinuisse. Tan- tum ergo, est sub opinione, con- cludit. Rememoramini jam, quas ab initio innuimus, ar- tes probabilisticas.*

P. Suarez innovat in Christo filiationem, secundùm quam Christus, in quantum homo, est Filius Trinitatis. Ipse scit, Christum non vocari in Scrip- tura Filium Dei, nisi secun- dùm suam filiationem æternam: & scit, hunc esse mo- dum loquendi unisonum & constantem Conciliorum, Pa- trum, Theologorum. Hac cer- ta scientià non obstante, con- torquet sensum variorum Scrip- turæ locorum, ut accommo- det novæ filiationi à se inven- tæ. Reperit in uno Pontificis *Adriani* textu, qui lectus fuit in Concilio *Francofordienfi*, unum verbum æquivocum: amplectitur ambabus mani- bus, & facere vult credi ex præ- tensa traditione, Pontificem *Adrianum* agnovisse reverà, quòd

quòd Christus, in quantum ho- mo est Filius naturalis Trini- tatis. Sed *Suarus*, quasi oleum & operam perdidisset totius subtilitatis ingenii sui, abit retrò; & non solùm nequit à se ipso connivere, aut dissi- mulare, effatum suum esse *ab- surdum & inauditum*; verùm etiam, ut præveniret forsàn sublevationem universalem, enervat novum dogma, & tamquàm in nihilum deducit. Id non est plus, nisi *ens rationis, præcisio mentis, subtilitas Scho- læ*, de qua tacere omnes Pa- tres, atque nec Pontificem *Adrianum*, nec Concilium cogitasse, præsumi debet. Verbo: Illi non est jam dogma, sed opinio ejusdem naturæ, ac tot aliæ, super quas Scho- lastici exercuerunt ingenium suum. Nihil ergo Ecclesiæ ti- mendum ex iis, quæ dicit *Suarus*. Porrò res periculi ple- na est, aperire fossam, sed foliis vel ramis cooperire trans- euntibus præcipitium.

281 Ad præsens quod at- tinet, *Suarus* fecit, quod nonnulli Casuistæ. Hi non fe- cerunt initium in moralibus à magnis excessibus, sed propo- fuerunt dubitando, & simpli- citer tamquàm probabiles suas laxas opiniones. His Casuistis

dubitantibus successerunt alii continuò asserentes absolute, & post istos alii legem Dei debitum transgrediendi impo- nentes. Ita in nostro casu *Suarus* concipit animo filiatio- nem novam in Christo, & eructat tantùm quasi præcisio- nem mentis, quasi subtilitatem Scholæ; sed ad illam sustinen- dam exhibet Scripturæ loca, quæ ubique & semper adopta- ta sunt ad evincendam filiatio- nem æternam. Hic gradus pri- mus. Infurgit post *Vazquius* ad defensionem *Suarii*, & ultra abusum Scripturæ, plus affir- mativè loquitur de nova filia- tione. *Becanus* adoptat novam filiationem, sed eam tradit ut *probabilem*, & quadantenus: *Probabile est*, inquit, *Christum secundùm humanitatem dici pos- se ALIQUO MODO Filium Dei na- turalem... per gratiam unionis hypostaticæ.* Sed quantociùs au- dacior factus, Scripturæ ac Patrum testimonia, quæ ip- sum condemnant, illudit. Cæ- teri à me citati exarserunt in- vicem, ut novo dogmati ma- jus corpus darent. *Grandamus*, & *Merazius* novam filiationem fundant supra *veram* genera- tionem, quæ Christum facit *per naturam* Filium Trinitatis. *Rhodesius* silentium omnium

Q

Pa-

(a) 3. p. q. 35. a. 5. ad 1.

Patrum & Theologorum vocat argumentum negativum nihil probans. Ecce progressus factus est magnus in Societate opinionis Suarezianæ.

282 At intonuit novissimus *Berruyer*, & altiorem dedit vocem suam. Relatio inter Deum unum in tribus Personis, & humanitatem Christi, efformata ex nova filiatione, non jam est simplex præcisio mentis, ens rationis, Scholæ subtilitas; sed realis relatio Patris ad Filium. *Est tantò plus certum*, inquit (a), *Unionem hypostaticam fundare veram relationem Patris ad Filium inter Deum, & compositum Theandricum (Christum); quòd sine ea, & si Christus nequiret vocari Filius Dei alia ratione, quàm quia Verbum est Filius in DIVINIS, esset nullo in sensu verum, compositum theandricum (Christum) fore Filium Dei.* Hæresis formalis, improbata ab ipso *Suarez*; qui profitetur, quòd cum Verbi Persona sit Persona unica, quæ unit in Christo duas naturas, caput Fidei est, Verbum, Filium unicum Patris loco Personæ esse humanæ naturæ. Hinc dicendum, non dubitanter, sed Fide certiori, in Christo fi-

lium hominis esse Filium Dei. Et eò est falsius, Christum non posse ullo in sensu vocari Filium Dei, nisi quia Verbum est Filius *in divinis*; quòd è converso, nequaquam appellari posset Filius, si non foret Filius *in divinis*. Et est ratio, quia in Christo character Filii Dei fundatur unicè in nativitate æterna de sinu Patris.

Excessit quoque *Berruyer* *Suarium*, quòd ubi iste contorsit sensum aliquorum dumtaxat Scripturæ locorum pro sua falsa filiatione; *Berruyer* vix duo relinquit, quæ nos applicare possimus Verbi generationi æternæ, cum cætera omnia loca accommodet præfatæ filiationi. Excessus suos statim videbimus. Nihiloscilicet sub umbella *Suarezii* & assèclarum existimat uri non posse; quasi eos non foret prætergressus. Pruritus iste illum coegit laudare *Maldonatum*. Qui loco *Lucæ* 1. v. 35. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* impegit, ansamque dedit *Socinianis* abutendi sua interpretatione, ut diximus num. 72. Ex verbis suis judicetur *Maldonatus*, inquiens (b): *Alii omnes, quos viderim, ita interpretantur, qua-*

si

si de Christo ut Deo, aut certè ut homine in unam cum Deo personam assumpto loquatur Angelus.... Quamobrem antiqui illi Authores Nestorii hæresim, duos in Christo Filios, sicut duas personas fingentes, ex hoc loco refutarunt, ut Gregorius, & Beda. Quamquàm ego quidem alium arbitror esse sensum, ut non de Christo quòd Deus, neque quòd homo personæ conjunctus divinæ, sed de sola conceptione, humanaque generatione hoc intelligatur. His velle videtur, quòd tamen si Christus non esset Filius Dei, conceptum esse de Spiritu sancto sufficeret, ut datur illi nomen Filii Dei eo in sensu, in quo alteri competere valet nemini.

Interpretatio hæc arrisit valdè *Socinianis*. *D. Bossuetus* videri virtute calcavit *Riccardum Simonem*, quia in talis interpretationi approbationem allegat *Maldonatum*. Hunc eundem *Berruyer* putat sibi auxiliantem, ut illius autoritate, sicut & sodalium, à se arceat *Novatoris* notam. Verum tamen in prima sui *Defensione Avenionensi* (a) probat *Bossuetii* impugnationem adversus *Maldonatum*, & *Simonem*, quia ab istis valdè diversam vult suam

Filiationem. Videamus igitur, quibus eam de pingat coloribus in suis quatuor Dissertationibus latinis, ex quibus Tomus octavus editionis in 12. suæ Historiæ coalescit.

§. III.

283 **S**ed quia typum gessit *Harduini*, ex hujus prototypo introspicenda prius est. *P. Joannis Harduini* è Societate Jesu, commentarium in novum Testamentum, *Amstelodami* (quia non erat ei locus in diverforio Catholico) apud *Henricum Suazet* ann. 1741. anno sequenti *Benedictus XIV.* P. M. proscripit die 28. Julii 1742. Sicut & alia ejusdem Authoris opera fuerant prohibita die 13. Aprilis 1739. Is quippè inter quamplurima, quibus magni nominis Novatores æmulatus est, in præfato commentario in illud Evangelii. *In principio erat Verbum*, adnotat (b): *Non Filius, stylo quidem Scripturarum Sacrarum; quamquam in Scriptis Patrum, & in Schola etiam FILIUS.*

Porrò S. TRIDENTINA SYNODUS ad coercenda petulantia ingenia decernit (c), ut nemo suæ

Q₂

pru-

(a) Nova Defen. pag. 47. (b) Comment. in Luc. cap. 1.

(a) Pap. 286. (b) Pag. 248. col. 2. (c) Sess. 4.

prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet S. Mater Ecclesia... aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat. Audet tamen *Harduinus*; quin ultrò fatetur, interpretamentum suum adversari Scriptis Patrum, atque Scholæ, quasi nihil teneatur laudatò Decreto. Discipulus suus *Berruyer* etiam fatetur (a), aliquando sibi fuisse impedimento & molestiæ prædictum Decretum, sed jam cessasse binis reflexionibus. Unde respondet *imprimis*, nec propter se, nec propter opus suum conditum esse tale Decretum; quia restrictum est ad res fidei, & pertinentes ad mores, atque ædificationem Doctrinæ Christianæ. Quis crediderit auditui nostro? *Berruyer* non credit, Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, Filiationem Dei competentem Christo, suam impeccabilitatem, potentiam faciendi miracula, & influxum Personæ Verbi super humanitatem ejusdem Jesu Christi; & similia,

pertinere ad fidem; sed esse quæstiones Academicas, purè Scholastica ingeniorum exercitia, nihil habentia cum Doctrina Christiana.

Deinde respondet, laudatum Decretum editum fuisse contra Hæreticos, & Novatores. Creditu difficile est, hominem, qui à limine saltem salutaverit Theologiam, iri persuasum, Concilium efformasse regulas pro interpretatione Sacræ Scripturæ ad instructionem Hæreticorum. Sapientissimi Concilii fortuita apertio fat est ad discernendum, quando alloquitur Hæreticos, quando Catholicos. De illis loquens, anathemate terminat semper periodum. Vidit vel *Berruyer*, sed adjunxit, & *Novatores*; at qua fronte, bone Deus! Sæcula abierunt, & recesserunt, in quibus promeruerit quis potius *Novatoris* nomen, quam *Harduinus*, & *Berruyer*; & hic ultimus & numero, & qualitate innovationum in genere dogmatum superavit fortè illum. Verùm si epitheton illud, *petulantia ingenia*, quo sese exprimit *S. Concilium*, non plenè attingit *Berruyerum*, & tota sua extensione; nullum humani ge-

ne-

neris quasi dixerim attackurum individuum. *Recole à n. 242.*

284 Pergit *HARDUINUS*: *At, ut jam diximus in Epistolam ad Rom. (cap. I. v. 3.) & in I. Joan. 5. v. 7. ALIUD ESSE Verbum, ALIUD ESSE Filium Dei, intelligi voluit in Scriptis suis Evangelista Joannes.* Nec *Ariani*, neque *Sociniani* diviserunt inter Verbum Dei, & Filium Dei. Quæ dixerunt de Verbo, dixere quoque de Filio, & è converso. *Per neutrum genus*, inquit *D. THOMAS (a)*, significatur essentia communis. Alteramne habet essentiam Verbum, alteram *Filius*? *CHRISTUS* clamat (b), *ego, & Pater unum sumus.* Cùm audit, *sumus*, abscedat mixtus *Sabellianus*; cùm audit, *unum*, abscedat confusus *Arianus*. Dic ergo quod dicit Evangelium, ò *HARDUINE*, *ego, & Pater unum sumus*: non ergo diversum, quia *unum*; non unus, quia *sumus*. Si *Christus Filius Dei, & Pater*, quædam summa res est, quamvis Persona Patris non sit Persona Filii, quomodo *Filius Dei, & Verbum* erunt plures res, cùm Persona Verbi sit ipsa Perso-

na *Filii*? Non itaque *aliud, & aliud*: quia *ly aliud, ait ANGELICUS (c)*, *cùm sit relativum diversitatis substantiæ, propriè refertur ad suppositum... Sequitur autem: ergo habet aliam naturam.* Utiq; respondebit *Harduinus*; quia natura Verbi non est natura Filii. Subdit enim: *VERBUM est secunda Sanctissima Trinitatis Persona; FILIUS DEI ipsa per se quidem, sed tamen ut eidem Verbo hypostaticè unita, Christi humanitas.* *Filius Dei humanitas?* ergo Pater non habet Filium, qui ex sua substantia natus sit. Adoptione igitur. Ergo *Filius à Patre solo* est, non *genitus*, sed *factus*, atque *creatus*.

285 Rursus in illud, *Verbum erat apud Deum*, adnotat *HARDUINUS (d)*: *Non apud Patrem, quia in principio nondum Pater, sed post Incarnationem tantum, sive ex illo tempore.* Et si ei objicias illud (e): *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, respondet: Non est idem UNIGENITUM esse in sinu Patris, & VERBUM esse apud Patrem... FILIUS DEI est humanitas ipsa Christi per se,*

Q3

Q

(a) I. p. q. 31. a. 2. ad 4. & a. 4. in c. atque q. 32. a. 2. in c. (b) Joan. 10. v. 30. (c) 3. p. q. 17. a. 1. ad 3. (d) Pag. 249. col. 2. (e) Joan. 1. v. 18.

(a) Defens. Avenion. edita an. 1755. pag. 20.

in recto considerata, quamvis sit re ipsa tunc quoque Verbo conjuncta. Quod si Verbum non erat Filius ante Incarnationem, quid erit? Respondet: *Terminus subsistens intellectiōnis divinae*. Et addit: *Quisquis Verbum non sic intelligit, Christianus non est*. Eccur? Prædixerat (a): *Terminus subsistentem divinae intellectiōnis idcirco sic voluit appellari; eo quod etiam mentis nostræ expressa species, VERBUM MENTIS appellatur, non tamen aut FILIUS, aut FILIA MENTIS nostræ*. Hac eadem ratione respondebunt Sociniani: nos, ò HARDUINE, optimè novimus, Verbum Dei esse terminum divini intellectus, tecumque (b) discernimus, verbum nostri esse accidentale, in Deo autem subsistens semper; sed hinc non cogimur asserere, Verbum Dei esse Personam distinctam à Patre. Attamen qui hoc posterius non confitetur, non salvabitur; qui verò prius illud haud discernit, salvus esse potest.

286 Porrò de initio prædicationis Evangelicæ, non de principio temporis & mundi, illum S. Joannis locum (c): *Hoc erat in principio apud Deum,*

tam absurdè, quam impiè Sociniani interpretantur, quasi nihil aliud significare voluerit S. Evangelista, quam Christum extitisse, cum Joannes Baptista docere cœpit. Ineptum namque est metaphoricum sensu comminisci, ac detortum: ubi obvius, & naturalis, planus, ac perspicuus est. Sensum autem naturalem, & obvium horum Verborum, in principio, ad initium Evangelicæ prædicationis pertinere, nullibi in Scriptura reperies. Nec aliquem appellari *Dei Verbum*, quod Dei voluntati hominibus patefaciendæ sit destinatus; aut fuisse *apud Deum*, quod soli Deo notus esset. Sane tunc temporis Deo cognitus erat Joannes Baptista, & ejus voluntati patefaciendæ destinatus, nec tamen de eo dicitur, *erat in principio, erat apud Deum, & Deus erat*; imò negatur, *non erat ille lux*. Verbum autem erat apud Deum, & Deus erat ab æterno, & antequam mundus crearetur; siquidem omnium Creator est, ut v. 3. dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*.

Præterea, si Jesus ob eximias dotes & munera dumtaxat, non naturâ Deus esset, ut

ut volunt Sociniani, cur illum Deum appellasset Evangelista, antequam divina illa munera iniret? Cur *hominem* factum Deum non dixisset potius & prius, quam Deum factum hominem, seu Verbum carnem factum? Insuper, Jesum Christum initio Evangelii fuisse, Socinianorum sensu falsum esset; si locum haberet illorum interpretatio. Angeli enim ad Zachariam & ad Mariam legatio est initium Evangelii: tunc autem nondum erat conceptus Jesus in utero Virginis Matris: nec eo tempore voluntatem Dei anuntiabat, ut vel metaphoricè Verbum dici posset. Sed nec Deus ratione Ministerii, quod nondum obibat, dici potuisset, ut jam observabam; nec ratione destinationis, aut electionis ad illud. Nam & Moyses, & Propheta, hoc sensu Deus appellari potuissent, quia Dei Ministri erant, & Legati. Denique hæc locutio *in principio, aut ab initio*, cum legitur in Scripturis sine determinatione, significat absolute principium temporis, ut est videre Gen. 1. v. 1. Matth. 19. v. 4. & 8. Joan. 8. v. 44.

& 1. Joan. 2. v. 13. Socinianæ igitur hujus loci interpretationes detortæ sunt, absonæ, sacrilegæ.

287 Berruyeris nihiloscilius adhærescit. Unde titulum Evangelii Joannis, demptis duobus iis verbis, *Secundum Joannem*, arripit in textum (a) ita ut illius initium sit: *Sanctum Jesu Christi Evangelium in principio erat Verbum*. Id est, ille, *cujus Sanctum scribo Evangelium, Jesus Christus, in principio erat Verbum*. HARDUINUS verò, supponit quidem, interpretandum fore, *Jesus Christus erat in principio Verbum*; at concludit (b), necessariò esse dicendum, quod in sensu directo aliud est *Christus*, aliud *Verbum*; aliter enim, *inquit*, propositio esset idemptica, significaretque: *Jesus Christus erat in principio Jesus Christus*. Interroga, HARDUINE, Patrem Augustinum, & anuntiabit tibi (c): *Quid est homo? est anima rationalis habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem*. Nam & Majores tui dicent tibi cum ANGLICO (d): *In nomine Persona includitur etiam natura obliquè*. Subdentque cum

Q4

(a) Dissert. 2. pag. 134. (b) Cit. pag. 249. (c) Tract. 19. in Joan. n. 15. (d) 1. p. q. 34. a. 3. ad 1.

cum eodem (a): Hoc nomen, CHRISTUS est nomen Persona, sicut & hoc nomen, FILIUS.

Harduinus tamen, ut concluderet, aliud esse Christum, aliud Verbum, Humanitati asseruerat (b): Sola principium physice productivum. Quare impræsentiarum subdit (c) terminis Scholasticis, cum, qui dicit Christum, dicere Principium agendi completum, & merendi, & quidem absque Verbo. Quod est dicere, Christi humanitatem producere omnes suas actiones independentes à Persona Verbi. Sed de hoc infra in Berruyer.

288 Verùm Harduinus, non modò Verbum factum esse per Incarnationem Filium Dei, sed & factum esse Deum, asserere non erubuit (d) his conceptis verbis: Deum maxime decuit, hunc (Christum) præ cæteris designare, quem per unionem cum Verbo faceret Deum, ac propterea, &c. Idem repetit (e). Idololum! Idololum! Omnes prædictæ Harduini expressiones Arianae sunt. Ut enim videre licet apud Athanasium (f), ARIUS effutiebatur: Deus non fuit semper PATER: Fuit tempus, in

quo ille erat simpliciter DEUS, & non erat ad huc PATER, sicut factus est postea: Similiter Filius non fuit semper FILIUS: fuit tempus, in quo ille non erat FILIUS. Harduinus negando Patrem fuisse semper Patrem, negat quoque, Verbum fuisse æternaliter genitum à Patre. Re ipsa non agnoscit in Deo generationem æternam. Christi oracula (g): Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt: Qui videt me, videt & Patrem: Ego in Patre, & Pater in me est, demonstrant unitatem naturæ in Patre, & Filio, huiusque à Patre generationem æternam, quin opus sit evincere, hos terminos, Verbum, Filius, esse synonymos, qui denotant secundam Trinitatis Personam. At hæc, & similia omnia Scripturæ testimonia sensum ad suum contorquet. Illud Psalmi: Filius meus es tu, ego hodie genui te, non accipit de hodie æternitatis (h), quæ est velut unus dies, non præteritus, & semper præsens; sed dumtaxat de hodie resurrectionis, vel incarnationis. Hoc interpretamentum

(a) 3.p.q.20.a.2. (b) Pag.248.col.2. (c) Cit.pag.249. (d) Pag.255.col.2. (e) Pag.286. & 294.col.2. (f) Orat. 1. contra Arian. 1. pag. 409. (g) Joan.16.v.15. & c.14.v.9. & 10. (h) Pag.359.

tum secutus est Berruyer (a). Et ut alia præmittam, insigne testimonium illud (b): Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, pro Sanctissima Trinitate, ac vera, & summa Divinitate trium Personarum (quod egregie ab Heterodoxis, è grege maxime Sociniano, vindicatum eruditissima Dissertatione est novissime à N. Joan. Fran. Bernardo Maria de Rubéis) (c); HARDUINUS eripit, adnotans (d): At ipse (Pater) ex quo Verbum unitum humanitati Christi fuit, cæptus est PATER appellari, sive Pater Domini nostri Jesu Christi; neque aliò quàm Patris nomine voluit is designari ab hominibus.... VERBUM, non FILIUS, sed VERBUM solummodò; quoniam FILIUS humanitatem etiam cum Verbo conjunctam in Sacris Litteris significat. Præmiserat enim (e): Hæc FILII DEI appellatione, ex quo primum ea est ab Angelo prolata, Deo mandante, ac proinde semper deinceps in Evangelio, intelligitur cum Verbi personæ Humanitas Christi conjuncta. Verbo: Quaquà versum spectes Harduini systema, non

reperies in Christo nisi purum hominem.

§. IV.

289 **Q**uin audet effutire (f): Verbum non est propriè æquale Patri. Ecceur? Quia, inquit, non est individuum distinctum à Patre, sed est unum cum Patre, quamvis sit suppositum realiter distinctum à Patre. Individuum autem, quod est assumptum à Verbo, habet Patrem se majorem, quia Pater DEUS EST PER SUAM IPSAM NATURAM: Individuum autem assumptum, DEUS EST TANTUM PER HYPOSTATICAM UNIONEM CUM VERBO, quæ facit quidem illud individuum æquale DEO, ut loquitur Apostolus, Phil. 2. 6. Et Evangelista Joannes 5. 18. Sed quod nihilominus obedire debeat Deo, ut Patri, & Majori. Sic illa ipsa vox (Joan. 14. v. 28.) PATER MAJOR ME EST, probat, Verbum esse unitum humane nature individuo, quod factum est per illam unionem æquale DEO: quamvis simul subiectum Deo, & Patri, & Majori, quippè Deo per naturam. Novus iste interpres, dum.

(a) Pag.64. (b) 1. Joan.5.v.7. (c) Dissert. de Tribus in Cælo testibus. (d) Pag.804.col.1. (e) Pag.152.col.2. (f) Pag.307.col.1.

dùm loquitur de *Trinitate*, utitur terminis *Personarum realiter distinctarum*; & dùm de *Incarnatione* loquitur, habet semper in ore *Unionem hypostaticam*: at in re, substantiæque non aliud in mente habet, quàm unitatem Personæ in Trinitate, atque in Jesu Christo naturæ unitatem. Asserere non dubitavit, *Verbum non est propriè æquale Patri*, quia esset aliàs persona distincta à Patre; & mavult potius dicere, rem esse eandem cum Patre: Propositio, qua ultrò utebantur olim ii, qui non admittebant in Deo, nisi unam tantum Personam.

Impium, horridèque blasphemum est asserere, Patrem Filio esse majorem, *quia Pater Deus est per suam ipsam naturam*; nam est audacè asserere, Patrem non dedisse per generationem Filio essentiam Divinam. Secundùm istum loquendi modum hic homo, qui dicitur *Jesus*, non est Deus, nisi causa unionis, adeoque non est Deus per suam naturam Divinam, & per suam æternam generationem. *Verbum* est persona quædam; sed nec est *Filius*, nec æqualis Deo. Non est *Verbum Incarnatum* ille, qui dixit: *Pater major me est*,

& factus est Deo obediens usque ad mortem, formâ servi accepta; sed est solus homo; cui tribuitur obedientia, æqualitas Deo, & divinitas: Obedientia idcirco, quæ non potuit esse infiniti meriti; & æqualitas Deo, atque Divinitas absque substantia divina.

290 Porro *Harduini* Propositiones illæ, singulatim inspectæ, omnes sunt execrabiles sub uno studioso discursu sine conclusione, ac contrarietatis pleno. *Imprimis* asserit, *Verbum non esse Patri æquale*, atque individuum naturæ humanæ, id est, humanitatem esse Deo æqualem. Quis crediderit, in mentem hominis devenire potuisse hujusmodi impietatem. *Deinde*, ex quo individuum naturæ humanæ in Christo dicit: *Pater major me est*, cogitur inferre, hoc individuum dici æquale Patri; *quia de nullo homine dicitur, esse majorem equo, vel asino*. O miseram hanc comparisonem, quæ dùm sermo est de Deo, est intolerabilis! Sed ubi dictum est umquàm, quòd *major* velit dicere *æqualem*? Pergit *HARDUINUS*: *Major, vel æqualis non dicuntur nisi de duobus individuis ejusdem*

dem ordinis. Quando ita esset; nùm individuum naturæ humanæ in Christo est ejusdem ordinis cum Patre, qui est Deus? Sic ille supponit; & sub hoc falso supposito æquale Deo facit individuum naturæ humanæ: quod est impietatis cumulus.

Præterea subjunxit: *Verbum non est propriè æquale Patri, quia non est individuum distinctum à Patre, sed est unum cum Patre, quamvis sit suppositum realiter distinctum à Patre*. Per *Individuum* ergo intelligit id, quod *Verbum* habet commune cum Patre, naturam scilicet, & per *suppositum* accipit id, quod est proprium Verbi, nempe Personam. Ecce quia *Verbum* eandem habet naturam cum Patre, potuit inferre, *Verbum propriè non esse æquale Patri*, licet sit *suppositum*, id est Persona distincta à Patre? Continuo ac *Filius* non est Pater, atque Pater & *Filius* habent eandem naturam, asseverare opus est, *Verbum esse æquale Patri, æquale in sapientia, in potentia, in bonitate, in Majestate, in omnibus, inquam, æquale*: Et contrarium dicere audenti, decretum est anathema.

Animadvertatur modò aliud ratiocinium: *Individuum autem*, inquit, *quod est assumptum à Verbo, habet Patrem se majorem*. Dixerat, *Individuum naturæ humanæ in Christo esse Deo æquale*; modò ait, *Deum majorem esse hoc Individuo*. Hoc vocant, sibi non constare. Si *Individuum naturæ humanæ in Christo* est æquale Deo, quomodo Deus est umquàm major illò? Audite jam subjunctam & contradictionem alteram: *HYPOSTATICA UNIO facit quidem illud Individuum æquale Deo, ut loquitur Apostolus, & Evangelista Joannes*. Ecce *Individuum naturæ humanæ reversum*, ut sit æquale Deo. *Blasphemia* opposita apertè oraculo illi: *Pater major me est*. Totà unione nihil obstante, duæ in Christo naturæ conservant suas proprietates essentielles: natura humana est creatura, & natura Divina est creatrix; atque amens esset, ac impius, qui æquales faceret in Christo binas naturas. At quid alienius, quàm hunc errorem tribuere *Ss. Paulo*, atque *Joanni*?

291 *S. Evangelista* inquit: *Magis querebant eum (Christum) Judæi interficere; quia non solum solvebat sabbatum, sed*

sed. & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Verba Jesu eò sensu accipiebant Judæi, quem præferebant, quod se Dei Filium naturâ, verè, propriè, Patri per omnia coæqualem assereret. Porro tantùm abest, ut hanc de se amoveat opinionem, aut eos reprehendat, quod verba sua malè intelligant; quin potiùs, se naturâ Dei Filium consubstantialem esse, confirmat continuo. At *Harduinus* rursus impræsentiârùm ait (a), hominem in Christo esse æqualem Deo, licèt Christus ipse dicat de se ut homine, *Pater major me est*. Et, ut videatur discerni à *Socinianis*, addit, esse æqualem causâ unionis hypostaticæ cum Persona Verbi. Verùm hypostatica unio, cuius gratiâ actiones hominis in Christo dicuntur actiones Dei, non permittit, dici posse de homine in Christo, æqualem Deo esse. Persona Christi est æqualis Deo, quia hæc Persona est persona Verbi. Sed *Harduinus* facit æqualitatem residere, non super personam Verbi, sed super Individuum naturæ humanæ assumptæ à Verbo: & quidè æqualitatem, non absolutam, sed jus

æquale faciendi miracula, etsi viâ impetrationis. Sicque dùm videtur dicere, Christum esse Deo æqualem, non esse asserit reapè.

Eadem methodo interpretatur (b) locum Apostoli: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo*, ut firmet, Jesum Christum non esse Deum nisi Incarnatione, & Humanitatem esse factam æqualem Deo, non ut abuteretur hoc gradu adeò sublimi, perpetrando rapinas, & alios spoliando, sed è contrario, ut cæteros faceret divites egenus factus.

Postquam *Harduinus* dixit, Individuum naturæ humanæ Deo æquale esse, subdit: *Sed quod nihilominus obedire debeat Deo ut Patri, & Majori*. Si Individuum naturæ humanæ Patri est æquale, quomodo Pater major eò est? *Harduinus* fanè it in gyros coactus, modò ait, modò negat, callidum & frigidum à momento in momentum, à principio ad finem; ecce enim quò patèrò finit: *Sic illa vox, PATER MAJOR ME EST, probat, Verbum esse unitum humanæ naturæ Individuo, quod factum est per illam unionem æquale Deo:*

Deo: *quomòis simul subiectum Deo, & Patri & Majori, quippe Deo per naturam*. Paucioribus verbis possunt dici plura absurda, contradictiones, impietates? Cùm ait, Verbum propriè non esse æquale Patri, quia est unum cum Patre, ita loquitur, quia cum *Socinianis* texere vult sermonem; qui dicunt, Verbum non esse Personam distinctam à Patre, sed attributum, & perfectionem Dei. Et cùm inquit, Individuum naturæ humanæ in Christo esse Deo æquale, ac nihiloscìus subditum Deo, quia Deus major est illo, loquitur sicut *Sociniani*; qui ut fugiant, & eludant Scripturæ loca, in quibus Christus asseritur æqualis Deo, respondent, ipsum quidè esse æqualem, at non in toto: Ille est æqualis in operatione miraculorum, quia omnia, quæ operatur Deus, similiter facit & Christus; sed non est æqualis in modo faciendi: nam Deus facit suâ propriâ virtute, Christus acceptâ unicè à Deo.

Hac itaque *Sociniana* responsione dicitur de Christo, esse, ac non esse æqualem Deo. Unde in Catechismo *Sociniano*

docetur (a): *Imperiò, ac suprema in omnia potestate Deo similis, imò æqualis est effectus*. Hujusmodi adhibita responsione confuso loquendi modo *Harduini*, apertè apparebit *Socinianus*. Terminis utitur Scholasticis, *Individuum, suppositum*, pluribus ignotis; utitur ad pallium. Contrarietas, *est & non est*, Catholicismus, impietas, totum hoc efformat Chaos, intra quod fugiat à facie Lectoris Catholici. At sublatis involucris ejusmodi, apparet tandè quò tendat. Dùm profert quancumque detestabilem propositionem, & continuo palliat immediatè Catholicâ expressione, siste ad talem propositionem; siquidem sensus Catholicus postea subjunctus, non efficit, errorem non esse errorem, neque hæresim non esse, si sit ejusmodi; Catholicus enim sensus non combinatur cum suo systemate, optimè tamen error.

§. V.

292 **A**ggrediamur jam errores contra Spiritum sanctum. Jesus Christus dixit (b): *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit*

(a) Pag. 234. col. 1. (b) Pag. 380. col. 2.

(a) Sect. 4. cap. 1. pag. 24. col. 2. (b) Joan. 14. v. 16. 17. & 26.

bit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.... Hæc locutus sum vobis apud vos manens: Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Hos textus Ecclesia semper intellexit de Persona Spiritus sancti, nec clariores esse queunt illorum expressiones. Sed Sociniani, qui non admittunt in Deo, nisi unam Personam tantum, hæc, & similia oracula alia, in quibus fit sermo de Spiritu sancto, accipi debere volunt, non de Persona Spiritus sancti, sed de dono gratiarum, quas Deus distribuit singulis prout vult. Idem præstat Harduinus. Unde illa verba, Paraclitus autem Spiritus sanctus, sic interpretatur (a): Donum Spiritus sancti infusum in animos credentium, qui & Paraclitus, sive ADHORTATOR dicitur per Protopopajam, & SPIRITUS SANCTI nomen habet, quoniam tertia in Deo Persona, quæ Spiritus sanctus est, tribuitur per appropriationem. Hunc interpretandi modum à Socinianis usurpavit Harduinus dicentibus (b): Quid usitatius, quam

ut per figuratum loquendi modum, qui PROSOPOPÆJA vocatur, res, quæ Personæ non sunt, tamquam Personæ introducuntur? Igitur Paraclitus, alius ille consolator, non est Spiritus sanctus, tertia Trinitatis Persona, sed est donum Spiritus sancti, est donum creatum, de quo tamquam de Persona loquitur Christus, quamvis reapse Persona non sit. Nec Harduino suffragantur ultima paraphrasia verba, quibus videtur admittere in Deo tertiam Personam; hoc enim illius est, ut monuimus, tritum artificium, ut abdat expressionem, quæ accipi potest pro blasphemia in Spiritum sanctum. Sed en & alteram, cujus absconsioni, non advertit.

293 Rursus oraculum Christi est (c): Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Harduinus verò ita vertit (d): Spiritum dico, qui docet omnem veritatem; quod est DONUM OPTIMUM, à me quidem, ut homo sum, MORALITER, PHYSICÈ autem à Patre procedens, ille

ille testimonium perhibebit de me. Et super ea verba, Qui à Patre procedit, subjungit, ea summi in sensu, quo dixit Jacobus in sua Epistola (a): Omne datum optimum, & omne donum perfectum desorsum est, descendens à Patre luminum. En Spiritum sanctum transformatum in donum creatum, & à nobis avulsos textus, qui evidenter probant processionem Spiritus sancti à Patre & Filio. Dictum semper est, & quidem in naturalissimo sensu, omne donum excellens venire à Deo, & descendere à Patre Luminum; at ubi scriptum est unquam, donum creatum à Patre procedit? Simile assertum violentum est ob discrimen, quod inter alterutram locutionem intercedit, extremum. Et tamen in ore Christi ab Harduino inventum est. C. Constantinopolitanum credidit, non posse melius confutari hæresim Macedonii, negantis divinitatem Spiritus sancti, quam Symbolo Nicæno præfatum Christi oraculum in ferendo: Qui à Patre procedit. Et quasi dubitari posset, laudatum locum intelligi debere de Persona Spiritus sancti, est qui audeat dejicere in terram

alienam interpretationem Symbolum, ipsumque Evangelium invertere adversus Spiritum sanctum.

294 Quid præterea violentius, quam de dono creato intelligere quidquid Christus asserit de Persona Spiritus sancti? (b) Numquid de dono dici potest: non loquetur à semetipso? Aut videbitur per Protopopajam dictum de illo: Docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet, loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis? Ita Sociniani; & ita Harduinus (c): Cujus paraphrasis habet: Ad quæcumque dicenda creabitur, & mittetur, hæc loquetur: SPIRITUS pariter creatus à Patre, ACCIPIET, non de me, sed de meo spiritu CAUSÀ MERITORUM EORUM dandus. Catholici non habemus textum formaliorum ad evincendos Græcos de Spiritus sancti processione à Filio, quam, de meo accipiet; nam Spiritus sanctus non potest de Filio accipere, nisi quatenus ab isto procedit. Harduinus tamen, ad serviendum non modo Græcis, sed vel Soci-

(a) Pag. 307.col.1. (b) Apud Bibl. Comment. in Joan. (c) Joan. 15.v.26. (d) Pag. 308.

(a) C.1.v.17. (b) Joan. 16.à v.7.ad 14. (c) Pag. 310.col.2. & 311.col.1.

cinianis, invertit Scripturæ testimonia, in quibus scriptum est: *De meo accipiet, mittam vobis à Patre, à Patre procedit*, ut non appareat in præfatis locis nisi donum creatum vice Personæ Spiritus sancti. Hoc est corrumpere Scripturarum veritatem, ponendo in Christi D. os mendacium, & tribuendo creaturæ quod dictum est de Creatore.

295 Similiter illud *D. Petri (a)*: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* addit *Harduinus* ibi: *Spiritui sancto Dei*. Hoc significare potest Deum secundum suam essentiam; illud verò denotat distinctè tertiam Trinitatis Personam. Hinc enim patet, secundum Scripturam Spiritum sanctum esse Deum, siquidem si mentiri Spiritui sancto, est mentiri Deo: Deus ergo ille est. *Denique*, ne longior sim, super descensum Spiritus sancti in Baptismo Christi, notat (b): *Cave, credas, ipsam tertiam Sanctissimæ Trinitatis Personam de Cælo descendisse*; vult namque id dumtaxat fuisse signum visibile inhabitantis in ipso (Christo) Spiritus divini, sive divi-

næ dilectionis erga ipsum. Omnes Patres observarunt, tunc Christi Divinitatem fuisse declaratam, simul & Sanctæ Trinitatis Mysterium revelatum Patre loquente, Filio testimonium recipiente, Spiritu sancto sub Columbæ visibili symbolo descendente, quadruplici de causa, ut observat *S. Thomas (c)*. Notum, neque Spiritum sanctum, neque ullam ex Divinis Personis descendere de Cælo, quia Deus est ubique, ac ubique totus. At eò pacto, quo dicitur de Filio, *descendit de Cælis*, atque de Spiritu sancto in die Pentecostes, *seditque supra singulos Apostolorum tamquam ignis*; cur non diceretur pariter, *descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut Columba in Christum?*

Sanè, ut *Augustinus* ait (d): *Non sic est assumpta creatura, in qua appareret Spiritus sanctus, sicut assumpta est caro illa & humana illa forma ex Virgine Maria*. Neque enim columbam beatificavit Spiritus..., sibi que & personæ suæ unitatem, habitumque conjunxit in æternum.. *Sed apparuit columba, sicut opportunè apparere, debuit, crea-*

turà serviente Creatori, & ad nutum ejus incommutabiliter in se ipso permanentis, ad eum significandum, & demonstrandum, sicut significari & demonstrari mortalibus oportebat, mutatâ atque conversa. Proinde quamquam illa Columba Spiritus dicta sit... ut ostenderet per illum ignem Spiritum demonstratum, sicut per Columbam: non tamen ita possumus dicere, SPIRITUM SANCTUM ET DEUM ET COLUMBAM, aut & DEUM & IGNEM, sicut dicimus FILIUM & Deum & Hominem. At quis dixerit *Harduino*, Spiritum sanctum nequivisse descendere de Cælis convenienti modo divinæ Personæ, quin incarnaretur, aut diffunderet super Christum, jam pridem plenum Spiritu sancto, dona sua? Descendit utique Spiritus sanctus in Jesum, sub signo sensibili, 1. propter ipsum, ut eò inauguratus & unctus, Sacerdos, Rex, & Propheta significaretur; & in eo impletas esse prophetias, *Isaiæ* 11. v. 1. & 2. ac cap. 61. v. 1. palàm declararetur. 2. propter Joannem descendit, ut eo indicio Christum cognosceret, quem antea ex vultu non noverat, & de illo testimonium perhibere posset, *Joan.*

1. v. 32. & 33. 3. ut Mysterium Trinitatis, quod in mundi creatione obscurius fuerat revelatum, initio novi Mundi, & novæ Legis manifestius patefieret; in cujus Fide baptizandi erant fideles omnes.

296 Scopus verò *Harduini* patens est in arcendo qualemcumque ideam Personæ Spiritus sancti à Baptismo Christi. Spiritus sanctus juxta *Harduinum* est donum creatum; ecce cur non vult credi, Spiritum sanctum descendisse super Christum in columbæ specie, in qua non videt nisi signum divinæ dilectionis erga Christum. Quid ergo? *Harduinus* non credit Mysterium Trinitatis; dum Filium Dei fecit creaturam, Spiritum sanctum quoque donum creatum? Ipse nihilominus admittit formam Baptismi; verùm si eadem profert verba, ac nos, non tamen eodem sensu. Nam in ejusdem Theologia, Pater non est Pater nisi post Incarnationem: fuit semper Deus, sed non semper Pater: Filius non est Filius, nisi Incarnatione, non est natus ex substantia Patris, nec genitus ab æterno: Humanitas est ea, quæ est Filius, sed unita Verbo, R quod

(a) Act. 5. v. 3. (b) Pag. 167. col. 1. (c) 3. p. q. 39. a. 6. ad 4.
(d) Lib. 2. de Trin. cap. 6.

quod non est propriè Filius: demùm Spiritus sanctus non est nisi donum creatum: ergo dum dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, hoc vult dicere: Ego te baptizo in nomine PATRIS, qui non est Pater nisi ab annis 1764. & deinceps: ET FILII, qui non est factus Filius atque Deus, nisi post epocham prædictam: ET SPIRITUS SANCTI, qui non est nisi creatum donum. Lectores sint Iudices, nùm quidquam imponamus *Harduino*, vel potius explanaverimus purè suum systema, & usi fuerimus suis ipsis expressionibus? Interim eò revertimur, unde processimus, ut à Magistro ad Discipulum usque transeamus.

§. VI.

297 **B**erruyerus, *Harduini* fidus Achatæ, non est ausus, vernaculâ scribens lingua, inferre, *Verbum & Filium esse aliud & aliud*, Filium non fuisse semper Filium, & Patrem semper Patrem; atque idcirco admisit in Jesu Christo duas Filiationes, unam æternam, per quam quatenus *Verbum*, est Filius Patris; alteram, in quantum

est Filius, Deo factus in tempore; per quam est Filius, verus Filius, per naturam Filii trium divinarum Personarum. At ut evanescat Filiatio æterna, posuit quasi Principium, Jesum Christum tamquam Filium Deo factum in tempore, objectum esse perpetuum divinarum Scripturarum: quò pacto efficit objectum Fidei, & cultûs universæ Ecclesiæ hanc Filiationem de novo inventam. Consequenter dixit, Baptismum collatum *in nomine Patris, & Verbi, & Spiritus sancti* fore invalidum, quia expressè nominandus est Filius, non solius Patris, sed Filius Dei unius in tribus personis. Ad istam Filiationem creatam omnes referuntur doxologia, ab ea originem trahunt Sacramenta. Sic philosophatus est *Berruyerus*, nè adeò crudè, sicut *Harduinus*, loqueretur.

Hic verò vidit incommoda duarum in Christo Filiationum, quarum altera eum faceret Filium solius Patris, Filium trium Personarum altera; admittere namque duas Filiationes, admittere est duos Filios. Vitanda ista abyssus invocavit abyssum *Harduini*, principi-

cipiantis Filiationem divinam in Christo dumtaxat ab Incarnationis momento, sicque ponentis in Christo solam Filiationem unam. Cæterum quomodò Filius erit Filius solius Patris, si Filius est tantum Filius per operationem Dei ad extra; quæ omnes sunt communes tribus simul Personis? Hoc inconveniens sibi videtur cavere *Harduinus*, consideratis, Incarnatione, tamquam Verbi missione à solo Patre; & illius unione ad Humanitatem, tamquam necessaria ad Christi divinitatem, & Filiationem divinam. Ejusmodi alienationibus credidit, dici posse, Christum esse solius Patris Filium, in eoque nullatenus geminari Filiationem. At dum videtur amplecti diversum à Discipuli systemate; & Magister *Harduinus*, & *Berruyerus* discipulus conveniunt ad agnitionem *Trinitatis* nominis solius. Uterque non agnoscit nisi Filiationem creatam, ad quam referatur quidquid de Filio Dei scriptum est à canonicis Authoribus. Quamvis verò uterque adjiciat, hunc Dei Filium esse Verbo unitum; hoc additamentum artificiosa &

miserabilis calatura est eorum systematis: in quo Jesus Christus est factus Filius Dei, adeoque Beata Virgo non est Dei verè Mater; cum Filius Dei in tempore factus, nequaquam Deus sit. Audivimus *Harduinum*, *Berruyerum* quoque judicemus modò ex ore ejus in suis Dissertationibus latinis.

298 Imprimis ex Oraculo eo, *Verbum caro factum est*, infert (a): *Ergo in plenitudine temporum existit, qui non erat, HOMO DEUS, prædestinatus ab æterno, & promissus per Prophetas, D. N. Jesus Christus*. *Berruyero* videntur synonyma: *Jesus Christus, HOMO DEUS, QUI NON ERAT, existit in plenitudine temporum*. Et: *Humanitas Jesu Christi existit in tempore*. Nec Theologus infans unius diei has cõfunderet propositiones. Posterior propositio Fidei caput est; de humana enim natura tantum enuntiat, incœpisse esse substantialiter unitam Personæ Verbi. Prior ad hæresim ducit; sonat namque, Personam Jesu Christi incœpisse esse, atque contradicit Apostolo prædicanti (b): *Jesus Christus heri, & hodie; ipse & in sæcula*. Quo Angelicus oraculo evincit (c), pro-

(a) Pag. 3. (b) Ad Hebr. 13. v. 8. (c) 3. p. q. 16. a. 9.

positionem istam, *Hic homo, DEMONSTRATO CHRISTO, incœpit esse*, simpliciter falsam esse; & concludit: *Etiamsi esset vera, non tamen esset eâ utendum absque determinatione* (in quantum homo) *ad vitandam heresim Arii*. Appositè *Augustinus*, ut nuper vidimus, *Quid est homo?* inquit, *est anima rationalis habens corpus. Quid est Christus?* *Verbum Dei habens hominem*. Sed contrâ, dicit *BERRYERUS*: *Christus est homo habens Verbum Dei*; fecernit enim in Christo *Deum hominem* ab *homine Deo* ita, ut humanitas sit significatum ejus rectum, formale, ac principale; unio autem ad Verbum sit connotatum, materiale, accessorium. Unde ingeminat (a): *HOMO-DEUS, non similis DEUS-HOMO.... Objectum divinum, & primum eorum omnium, quæ de Jesu Christo narraverunt Scriptores Sacri*.

Undè de sancta Humanitate illâ definivit (b): *Hoc illud est objectum unicum & perpetuum, quod propositum sibi habent Evangelistæ omnes, dum historiam scribunt D. N. Jesu Christi*. Quis dixerit, naturam divinam Verbi fuisse unquam historicæ argumentum? *Gene-*

rationem ejus quis enarrabit? Pagani, uti *Ovidius*, narrationem contexere suorum Deorum genealogiarum. At etsi Evangelistæ non ordinaverint narrationem naturæ divinæ; nùm idcirco non recensetur in Evangelio id, quod Deus pandere dignatus est circa Trinitatis Mystrium? Numquid primum Evangelii *Joannis* capitulum, *Jesu Christi Baptismus, Transfiguratio, sermo in novissima Cœna, præscriptio docendi omnes gentes, & baptizandi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, nostra instructio non est de credendis circa Dei unitatem, Trinitatem Personarum, æternam generationem Verbi, processione Spiritus sancti, Trium divinarum Personarum æqualitatem? Porro terminus Evangelium juxta communem usum accipitur pro historia Incarnati Verbi, potentis in opere & sermone vitæ suæ tempore. Sed si secundum loquendi modum *Berryeri*, oportebat, Evangelistas docuisse nos quid deberemus credere de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, ut dicere possemus, Evangelium esse Evangelium Patris, & Filii, &

Spi-

Spiritus sancti; ex hoc capite quid deest ad nostram doctrinam? An Ecclesia Fidem Trinitatis non hausit ex divinis Scripturis, ex Evangelio potissimum?

299 Verùm *Berryerus* non videt in Evangelio, nisi Sanctam Christi humanitatem, unitam Verbo, non quâ Verbo, sed præse, quâ Personæ divinæ; subdit enim (a): *Hæc autem formalitas* (nempè *homo Deus*, existens in plenitudine temporum) *sive ratio considerandi Verbum, præscindit à proprietatibus Personæ divinæ notionalibus, attributisque essentialibus; & in Verbo attingit unicè rationem Personæ, ut compositum Theandricum terminantis, & illud completis in genere subsistendi*. Undè fit, ut cum de Jesu Christo sermo est, non magis ipsi tribuatur in cognoscendo & agendo, æterna atque infinita Verbi scientia, & potentia, quàm Patris, & Spiritus sancti: *Quoniam potentia, & scientia illa infinita atque æterna, Verbi sunt, ut habentis ab æterno, & ante Incarnationem, unâ cum Patre, & Spiritu sancto Divinitatem*.

Vult itaque, modum inspiciendi Verbum quatenus in-

carnatum, nec includere in se proprietates personales, quæ Trinitatis personam alteram ab altera discernunt, nec attributa essentialia, quæ propria sunt naturæ divinæ, atque tribus Personis communia. Hæc omnia excludit ab idea Incarnationis, ad eò ut in compositum theandricum, aut *Dei virile* non veniant proprietates Verbi personales, cujusmodi sunt, esse Patri consubstantiale Verbum, genitum ante sæcula, primæ Personæ æternum Filium. Incarnatum Verbum habet quidem præfatas proprietates; sed non uti tale, homo factum est, seu huic communicat attributa prædicta. Hæc sunt sibi soli reservata bona: quemadmodum si Christianus deponat personam Christiani; non idcirco definit esse Christianus; at non se gerit uti Christianus: *præscindit*.

Inter *Monothelitas* erant, qui naturam humanam admittebant in Christo, omnibus suis proprietatibus & facultatibus naturalibus potentem; sed istas effutiebant, ibi otiosas esse, ac veluti mortuas. *Appollinarista, Monothelita, & Eutychiani* negaverunt Christo per-

R 3

fe-

(a) Pag. 5. (b) Pag. 6.

(a) Pag. 24.

fectam humanitatem. Sed *Berruyer* erit error peior prior, perfectam Divinitatem negasse. Neque illi, neque iste alterutrum re ipsa negaverit; negaverunt tamen id, de quo accusati sunt. Occasionem illi dedere destructivam Humanitatis; hic verò everfivam Divinitatis. Præcisæ cogitatione omnibus, vel nonnullis attributis humanis, jam non est ampliùs vera idea perfectæ humanitatis: præcisæ similiter Divinis attributis, ne vestigium quidem Divinitatis in Christo relinquitur. Ut enim appositè *D. Angelicus* inquit (a): *Impossibile est, quòd circumscribatur per intellectum aliquid à Deo, & quòd aliud remaneat: quia totum quod est in Deo, est unum, salva distinctiōne Personarum.* Ab ista quoque præscindit *Berruyerus*. Intelligit, secundam Trinitatis Personam non fuisse Incarnatam ut *Verbum*, sed ut nudam Personam, spoliatam non modò attributis essentialibus divinitatis, sed etiam proprietatibus notionalibus, quibus distinguitur à Patre, & Spiritu sancto. Ut autem *Angelicus* iterùm animadvertit (b): *Exclusis per intellectum proprietati-*

bus personalibus, remanebit in consideratione nostrâ natura divina UT SUBSISTENS, & UT PERSONA.... remanebit in intellectu una Personalitas Dei, ut Judæi intelligunt. Ergo juxta intelligentiam *Berruyer*, Persona divina est Incarnata, quasi non esset Deus, neque in Deo essent aliæ Personæ distinctæ. En Socinianismum: *Berruyerus* confitetur, Jesum Christum esse Deum, & verum Deum, atque secundam Trinitatis Personam; pariter *Sociniani*. Hi adjiciunt, esse Deum inferiorem, *Deus minor*, qui proindè non est nisi creatura. Ille concedit generosè Christo titulum & nomen Dei, ac Personæ distinctæ à Patre & Spiritu sancto; sed orbatum realitate, quasi in eo nec essent attributa Divinitatis, nec proprietates Personarum divinarum, aut nullius in ipso essent considerationis tamquàm otiosa, non ad operationem nata, sed ad ornamentum dumtaxat.

§. VII.

300 **U**T hanc esse mentem suam *Berruyerus* ostendat, suum genere-

nerale principium applicat, exempli causâ, scientiæ, atque potentiæ divini Verbi, quas ad Christum dicit pertinere non magis, quàm ad Patrem, & Spiritum sanctum; sed ita esse extraneas *homini Deo* Christo, ut cum de isto fit sermo in Scripturis, sicut hæ non accipiuntur de scientiâ & potentiâ Patris, & Spiritus sancti, divinis & infinitis, ita non intelligantur etiam de scientiâ & potentiâ divini Verbi, infinitis & divinis, quæ eadem sunt; sed de scientiâ, & potentiâ creatis & humanis, scientiâ infusa, & potentiâ impetrationis. Separat itaque in Christo summa ab imis, divina ab humanis: *homini Deo* asserit tantùm dona humana, finita, & creata, tametsi supernaturalia, denegatque divina.

Hinc Christum efficit ignorantem. Quis crediderit? ait tamen (a): *Jesus Christus, ut Deus est Verbum, imò ut homo comprehensor.... diem, & horam (Judicii) de quibus interrogabatur, non ignorabat: sed per scientiam infusam.... scientiam nimirùm finitam, & pro fine*

suo determinatam, dies illa, & hora non erat ei cognita. Christus, in quantum homo, ab instanti unionis ad divinitatem, donatus est plenissimâ cognitione omnium præsentium, præteritorum, atque futurorum. Ita Theologi omnes cum *Angelico* (b). *Sicut noverrat horam, quâ judicari debuit, inquit Augustinus* (c), *sic novit & horam, quâ judicare debebat.* Concinnant ceteri PP. & ad illud (d): *De die illo & hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*, respondent, ibi tantùm significari, præfatam notitiam non habuisse animam Christi à semetipsa, sive penetratione naturali, neque illam pandere debuisset interrogatoribus ejusmodi; similes enim Scripturæ locutiones exponendæ sunt tamquam dictæ dumtaxat ad nostri intellectus adaptationem. At laudato textu abusi sunt *Agnoscite*, seu *Agnosce*, atque *Calvinus* (e); à quibus *Berruyerus* suam thesim mutuatus est.

301 Ad potentiam Christi quod attinet, *Berruyerus* similiter non agnoscit in eo di-

R 4

(a) Pag. 148. (b) 3. p. q. 10. a. 2. & q. 11. a. 1. (c) *Serm.* 47. n. 6. (d) *Matth.* 24. v. 36. (e) *Vide Card. Gotti Vera Eccles.* tom. 1. cap. 4. §. 3. n. 14. ac *Vera Relig.* tom. 7. p. 3. pag. 322. n. 9.

(a) 3. p. q. 3. r. 3. (b) Ibi ad 1. & 2.

divinam virtutem, sed humanam tantum. Ait enim (a): *Potentia autem miraculorum illa est, quæ miracula Christus effecit, non precario.... prece tamen, postulatione. Eo unice sensu dicitur Jesus Christus miraculorum effector.* Et ex miraculo resurrectionis Lazari viâ impetrationis, conficit generalem regulam ad cætera, unde subdit: *ex uno disce omnia.* Si verò ignis inferni, virtute sibi divinitus tradita, in spirituales creaturas, quas torquet, agit; quidni poterat Sacra Humanitas virtute Divinitatis, quæ uncta est, concurrere ad opera supernaturalia, & miraculosa, non solum moraliter, ea impetrando; sed etiam physice, in ipsa influendo? aliàs nihil Humanitati illi assereretur eximium, quod non fuerit Sanctis aliis concessum. Et hoc sanè privilegium Christo passim adscribunt Patres, & Concilia, non obscure affirmantia, carnem Christi esse *vivificatricem, vivificam, cooperatricem Divinitati, & quæ divinitatis sunt operatricem*, ut legere est in C. Ephesino, Cyrillo, aliisque: patet autem, quòd caro non

potest esse instrumentum morale, impetrans talium effectuum productionem; sed dumtaxat physicum. Quin etiam illud non medicocriter insinuat Scriptura, quæ ait, Christum dedisse Spiritum sanctum *insufflando*, Lazarum suscitasse *clamando*, & præcipiendo, *Lazare veni foras* (imperium autem virtutem physicam indigitat) & quòd *virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

Undè S. Thomas, doctrinæ Patrum rigidus æmulator, expressè ait (b), Christum causare gratiam & *per meritum, & per efficientiam.* Et rursùm (c), Christi humanitatem non posse esse instrumentum creationis, quæ infinitam in creature vim præsupponit; benè tamen omnis operationis miraculosa. Ubi clarè indicat, se loqui de physico instrumento, cum cæteroquin manifestum sit, posse esse causam moralem creationis per orationem, & meritum. Imò non posset strictè, humanitas instrumentum Divinitatis appellari, si moraliter dumtaxat ad gratiam concurreret; siquidem Divinitas ad miracula patranda, non moraliter per merita & sa-

satisfactionem, sed physice per influxum agit: ergo ut illi instrumentum sibi conjunctum conformetur, debet etiam physice in effectus supernaturales & miraculosos influere. Cæterum, concludit D. Angelicus (a) ex CHRYSOSTOMO: *Oportebat credi de Christo, quoniam à Patre est, & quòd ei equalis est. Et ideo, ut utrumque ostendat, nunc quidem cum potestate, nunc autem orans miracula fecit: & in minoribus quidem respicit in Cælum, puta in multiplicatione panum; in majoribus autem, quæ sunt solius Dei, cum potestate agit, puta, quando peccata dimisit, mortuos suscitavit. Quòd autem dicitur, quòd in suscitatione Lazari oculos sursum levavit, non propter necessitatem suffragii; sed propter exemplum hoc fecit. Unde dicit (b): PROPTER POPULUM, QUI CIRCUMSTAT DIXI, UT CREDANT, QUIA TU ME MISISTI. Videndus D. Ambrosius (c) & ipse S. Thomas (d).*

302 Sed Berruyerî principium est (e): *Ad complementum naturæ Christi humana in ratione principii producentis, & actiones suas sive physice, sive supernaturaliter agentis, nihil*

omnino confert Unio hypostatica. Verbi ergo Persona, magis non habet partem cum actionibus humanitatis, nec in eas influit, quàm Persona Patris, & Persona Spiritus sancti; quasi Verbum non esset humanitati potius unitum, quàm Pater, & Spiritus sanctus. Nihil itaque conferente ad operationum Christi elicentiam Unione hypostatica, sive Persona Verbi; hæc non derivat illis valorem, & meritum intrinsecum, & proprium, sed ad summum extrinsecum, & accessorium, quales actiones adoptatæ à tribus divinis Personis possunt habere vi unionis moralis cum humanitate, quæ est principium immediatum ejusmodi actionum. Hæc igitur non sunt meriti divini, infiniti, & proportionati satisfactioni infinitæ, Deo debitæ pro gravitate offensæ; ac consequenter mediator Dei & Hominum Christus Jesus, non solvit debita nostra, sed ista remanent semper viva; nec sumus redempti à Domino pretio magno, sed communi, atque parvo, & deficiente meriti humani. Unde ingeminat Berruyerus (d): *Jesus Chri-*

(a) Pag. 13. & 14. (b) 3. p. q. 8. a. 1. ad 1. & q. 16. a. 11. ad 2. (c) 3. p. q. 13. a. 2. & 4.

(a) 3. p. q. 43. a. 2. ad 2. (b) Joan. 11. v. 42. (c) Lib. 3. de Fide c. 4. (d) 3. p. q. 21. a. 1. ad 1. & à 3. in corp. (e) Pag. 22. (d) Pag. 53.

Christi oblatio, oratio, mediatio, non sunt operationes à Verbo elicite, tamquam à principio physico, & efficiente: sed in eo sunt operationes solius humanitatis Christi, in agendo & merendo per concursum Dei naturalem, & supernaturalem completæ.

Sanè caput fidei est, omnes facultates naturæ humanæ Christi suas proprias habere actiones, & prædictæ conformes naturæ. Hæ tamen omnes, instrumentales actiones sunt, subordinatæ, directæ, ac gubernatæ à divina Verbi natura, quæ potior est, atque indistincta ab ejus persona. Hujus influxus ad eò realis est, ut Christi humanitas spectetur tamquam instrumentum divinitatis, ut explicat *D. Thomas (a)*; siquidem *voluntatis divine*, inquit, *beneplacitò, natura humana motibus propriis movebatur in Christo*, seu ut *Augustinus* loquitur *(b)*: *Principatus in Verbo erat*. Natura enim ut natura non operatur, nec potest, nisi quatenus subsistens, & individuata, id est, Persona; quæ definitur: Ra-

tionalis naturæ individua substantia, & cui propriè competit agere; naturæ verò determinare tantum speciem actionis, ita ut actio sit divina, vel humana secundum naturam, per quam Persona agit, ut constans est Philosophorum, atque Theologorum doctrina cum Aristotele, & Aquinate (c). Sed Berruyerius confundit principium effectivum cum principio quo, & subjectum actionis cum subjecto passionum. Omne principium quo, principium sanè effectivum est: at non è conversò: quia principium quo effectivum, potest esse simul instrumentale, motum, & determinatum; atque principium effectivum, potest esse principium quod, quoniam operatur medio instrumento, quod dirigit, determinat, & applicat ad actionem.

303 Cæterùm *Berruyerius* doctrinam ejusmodi nolens intelligere, frequentat *(d)* sensibilius: *Humanitas sola obediit Patri, sola oravit, sola passa est, sola ornata fuit donis, ac dotibus omnibus necessariis ad*

(a) 3.p.q.2.a.2. ad 1. q.7. a.1. ad 3. q.16. a.5. ad 1. & q.18. a.1. ad 1. 2. & 4. atque a.6. ad 1. & q. 19. a.1. Videndus etiam in 3. sent. d.12. §.3. & opulc.3. cap.212. (b) Tract.47. in Joan. (c) 3.p.q.3. a.1. Q.7. a.13. Q.19. a.1. ad 3. & Q.20. a.1. ad 2. (d) Pag.20. 21. 23. & 95.

*ad agendum liberè, & merito-riè... Ille, inquam, Homo, qui hæc omnia egit, & passus est liberè, justè, piè, sanctè, & cujus humanitas in Verbo subsistebat, objectum est in re-cto immediatum omnium Evangelicæ historiae, quæ de Christo sunt, narrationum. Si legisset Berruyerius D. ANGELICUM (a) sciret utique, Verbum esse subjectum passionis in natura assumpta; cum namque per istam operetur, idem est qui agit, & qui patitur in eadem natura, quæ passionis terminus est, quemadmodum temporalis *nativitas est PERSONÆ ut subjecti, NATURÆ autem ut termini. Et idè, inquit (b), Supposito divine nature attribuenda est passio, non ratione divine nature, quæ est impassibilis, sed ratione humane nature. Unde in Epistola Synodali Cyrillus dicit: SI QUIS NON CONFITETUR DEI VERBUM PAS-SUM CARNE, ET CRUCIFIXUM CARNE, ANATHEMA SIT. Pertinet ergo passio Christi ad suppositum divine nature ratione nature passibilis assumptæ, non autem ratione divine nature impassibilis.**

Hinc Ecclesiæ universæ lo-

quendi modus ille, fidelibus etiam rudioribus pervius: *Deus est natus, passus, mortuus, & sepultus; assumptæ siquidem humanitatis actiones omnes sunt actiones Verbi, divinæ simul & humanæ, quæ græcè appellantur Theandricæ; quia caput Christi Deus, in eo una sola est autoritas, unus movens, regens, & gubernans, Verbum scilicet. Passio Christi, inquit ipse Angelicus (c), subjecta erat ejus voluntati. Voluntas autem ejus regebatur divinâ Sapientiâ. Et rursus laudatus Cyrillus, ait (d): Sacra itaque & magna illa Synodus tradit, ipsum Unigenitum Dei Filium naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, descendisse, Incarnatum & hominem factum, passum esse, tertia die resurrexisse, & ad Cælos ascendisse. His verbis bisque dogmatibus nos quoque insistere oportet. Si his acquiesceret Berruyerius, dixisset utique: Ille Deus, qui hæc omnia egit, & passus est in humanitate, quam assumpsit, quaque nec ad se, nec ad alium extra se unquam*

(a) 3.p.q.35.a.2.ad3. (b) 3.p.q.46.a.12. (c) Ibi a.9. (d) Epist. ad Nestor. 1. p. Concil. 1. Ephes. cap. 8.

quam pertinuit, & quam sibi appropriavit inamissibiliter, non ut amicam, ancillam, aut extraneum instrumentum, sed uti portionem sui ipsius cum eo constituentem totum: Hic, inquam, Deus objectum est, &c. Atque intelligeret in Christo unam solam personam, Personam Verbi, quæ operatur omnino quidquid continet in sua Divinitate, quam ab æterno possidet, ac in suis anima, & corpore, quæ assumpsit in tempore. At dicendo è contra, ille homo hæc omnia egit, humanitas sola, inquam, ornata donis necessariis ad agendum, significat, naturam humanam in Christo per se operari seorsim à divina, & independenter à persona Verbi, à quibus præscindit. In rationalibus autem, per se subsistere ac operari, est id, quod Persona dicitur; adeoque in Christo binæ Personæ erunt, nimirum, divina, & humana; nullumque argumentum erit Patrum, qui ex divina in Sacris Scripturis (a) revelatione arguunt Nestorium de Hæresi.

304 Nec Berruyerum juvat inculcare, esse Verbo unitam

in unitate Personæ præfatam humanitatem: nam, ut animadvertit D. Angelicus (b): *Si fiat vis in nomine PERSONA, considerandum est, quod etiam Nestorius utebatur unitate Personæ propter unitatem dignitatis & honoris.* Et idcirco damnatus iterum à VI. Synodo Generali. Sanè Berruyerus unitatem Personæ Verbi agnoscit; sed nobilitantis dumtaxat Christi actiones, secus efficientis. Unde sic argutatur (c): *Si enim ex uno Patre jam omnia existunt, tamquam ex causa efficiente; quomodo dicerentur facta per Filium, tamquam per causam efficientem? Quomodo tu usurpas: INSEPARABILIA SUNT OPERA TRINITATIS AD EXTRA? Berruyerus ultrò fateretur, mundum totius Trinitatis opus esse; sed ignorat, quomodo una Persona Divina operetur per aliam. Imò dicere non erubescit (d): *Nec nobis Catholicis placeret, qui affectatà quadam oratione perpetuò diceret (uti dicunt Concilia, & Evangelium) mundum à Deo per Verbum esse factum.* Si ea interrogasset Berruyerus, sciret, & intelligeret cum Catholicis. Intonuit de illis Doctor*

ctor communis, & Angelicus, & perpetuò docuit (a), per Filium facta esse omnia, quantum ab alio accipit virtutem creandi, à quo habet naturam, nempe à Patre, qui dedit ei cum natura potestatem, scientiam, & voluntatem agendi. At Berruyerus obturavit aures suas, ne audiat Evangelium extollens vocem suam: *Omnia per ipsum facta sunt; sed quasi furtivè suscipit auris sua venas susurri Harduini, & interpretatus est (b): En quod Jesus Christus erat in principio apud Deum, omnia propter eum, et ejus intuitu facta sunt à Deo.* Quia scilicet, tò per evangelicum demolitur suum systema, cujus præcipuum caput est, quod ubi est sermo de Christo, intelligatur opus sit de sola humanitate, vel hominis illo, ornato donis, ac dotibus omnibus, necessariis ad agendum libere & meritorie, quasi Christus esset homo communis, qui per concursum Dei ordinariam, omnibus hominibus concessum, operatur.

Porro juxta doctrinam Scholæ, cujus est Berruyerus membrum, Dei concursus, ut hu-

manam servet libertatem, non producit suum effectum cum efficacia, ac securitate, sed voluntatem relinquit indeterminatam, atque in æquilibrio. Berruyerus itaque credit, Humanitatem non fuisse tali adjutorio, sive donis, ac dotibus determinatam ad agendum libere, & meritorie; neque illam Verbum sua unione hypostatica fixisse in bono, cum hæc unio nihil contulerit ad elicentiam operationum, sive in ordine naturæ, sive gratiæ; ac consequenter sanctam humanitatem eam, non esse impeccabilem, ipsiusque gratiam augeri interius posse. Neque juvat Berruyerum, dixisse semel (c), omnes gratias Christo concessas fuisse efficaces; hæc namque haud tollunt libertatem, & meritum, potentiamque peccandi. Quodsi Berruyerus, nè confiteatur perfectam concordiam libertatis nostræ cum efficacia gratiæ se ipsa efficaci, dicat, gratiam efficacem humanitati Christi datam, non fuisse ab intrinseco, & ex natura sua efficacem, sed ex congruitate tantum, quâ prævidit Deus, sanctam illam humanitatem con-

sen-

(a) Philip. 2. v. 5. & seqq. Coloss. 1. v. 13. & seqq. & Joan. 17. v. 10. & 24.
(b) 3. p. q. 2. a. 6. (c) Pag. 120. (d) Pag. 128.

(a) 1. p. q. 36. a. 3. ad 2. & 3. q. 39. a. 8. q. 42. a. 6. ad. 1. & 2. q. 45. a. 6. ad. 2. atque 3. p. q. 10. a. 2. ad 1. (b) Pag. 135. (c) Pag. 22.

sensuram gratiæ, eamque reddituram efficacem; tunc cogitur jam fateri, illam non esse determinatam, & in bono fixam à gratia, semel quod effectus tatis gratiæ dependeat à consensu humanitatis, nec sit præfata gratiæ effectus, nec gratiæ unionis humanitatis cum Verbo. Christi ergo humanitas erit, sicut cæterorum hominum, sibi relicta, & exposita peccandi periculo. Cumque neque à gratia, neque à Verbo, neque à se ipsa sit ad bonum determinata; fluctuans remanebit bonum inter, & malum; atque profectura in bono usque ad diem resurrectionis suæ, in qua fuerit confirmata in gratia, & reddita impeccabilis, quemadmodum Electi omnes. Quæ doctrina, Nestorii ramusculus est.

§. VIII.

305 **V**erùm de filiatio-
ne Christi non
audet Berruyerus adeò crude
loqui, ac suus Harduinus;
sed quod iste nudè & apertè
prompsit, insigne reddidit il-
le arte. Videtur profectò Ver-
bi generationem æternam ag-
noscere. Illud sapè vocat Fi-

lium; sed vult, non esse Scrip-
turarum objectum; aliquan-
doque aucupatur, ipsum non
appellare Filium, nisi post In-
carnationem. Hæ sunt Berruye-
ri Theses. Prima (a): *Certè non
repugnat Deo uni, & vero, in
tribus Personis subsistenti, FIERI
IN TEMPORE, ET ESSE PATREM
Filii naturalis & veri.* Secun-
da (b): *Est ab æterno generatio
Dei, UT PATRIS; est in tempo-
re generatio Dei, UT UNIUS:
immanens una, & necessaria;
altera ad extra, transiens, &
libera.* Sanè D. Fulgentius (c)
inquirebat: *Quis enim umquam
tanta reperiri possit insania, qui
auderet, Jesum Christum TO-
TIUS TRINITATIS FILIUM prædi-
care?... Jesus Christus, secun-
dum carnem quidem OPUS EST
TOTIUS TRINITATIS, secundum
verò utramque nativitatem SO-
LIUS DEI PATRIS EST FILIUS.*
Repertus est tamen Berruye-
rus, qui audet prædicare duos
Christi Patres in Cælo: alterum
æternum, qui prima
persona in Trinitate est, ab
æterno gignens Filium; qui
est Verbum, atque secunda
Trinitatis persona: *tempora-
lem* alterum, incipientem in
plenitudine temporis, qui in
Trinitate unus est Deus, Pa-
ter,

ter, Filius, & Spiritus san-
ctus, & cujus tota Trinitas
Mysterium Incarnationis in
decurfu sæculorum operata est,
in eodemque propterea mo-
mento Deus unus, Pater Chri-
sti factus est. Quasi quia Deus
Pater, Deus Filius, & Deus
Spiritus sanctus supervenerunt
in Virginis uterum, & ob-
umbravere ad formationem
corporis, creationem animæ,
utriusque unionem inter se,
atque cum divina natura;
hanc humanitatem non sibi
assumpserit sola Persona Dei
Filii, solaque incarnata non
fuerit, sed etiam Deus Pa-
ter, ac Deus Spiritus sanctus.
Adeat Berruyerus S. Thomam
(a), ac ex ipso discet: *Id,
quod est actionis in assumptione,
commune est tribus Personis: sed
id, quod pertinet ad rationem
termini, convenit ita uni Per-
sonæ, quòd non alii. Tres enim
Personæ fecerunt, ut humana
natura uniretur uni Personæ
Filii.* Vel adeat parvulos, ei-
que revelabunt ex primis Re-
ligionis elementis, quæ per-
ceperunt.

306 Sed Berruyerus devio
suo principio fallacem adjicit
regulam. Omnes, inquit (b),
& singuli novi Testamenti tex-

tus, in quibus aut Deus dici-
tur Pater Christi, aut Filius
dicitur Filius Dei, vel induci-
tur Deus Christum sub nomine
FILII, aut Christus Deum sub
nomine PATRIS interpellans, vel
aliquid de Deo UT CHRISTI PA-
TRE, aut de Christo UT DEI
FILIO narratur; intelligendi sunt
DE FILIO FACTO IN TEMPORE
secundum carnem DEO UNI ET
VERO, in tribus Personis subsi-
stenti. Quasi de isto concep-
tus fuerit secundum quòd ho-
mo, non tantum sicut de acti-
vo principio, verum etiam se-
cundum similitudinem speciei,
sicut homo nascitur de Patre
suo. Hæc notio (insequitur)
prorsus necessaria est ad littera-
lem & germanam intelligentiam
librorum novi Testamenti. Si
Jesum Christum Filium Dei de
se in Scripturis Sacris loquen-
tem, vel Scripturas Sacras Je-
su Christi Filii Dei dicta vel
facta narrantes, non sic perpe-
tuò intellexerimus; nos in Hi-
storia Evangelica, cæterisque
novi Testamenti libris hospites
semper esse oportet, & peregrino-
s. Dixerat jam (c): *Quin &
idem omninò censendum est de
omnibus veteris Testamenti Scrip-
toribus, quotiès de futuro Mes-
sia Jesu Christo prophetant.* Con-
fir-

(a) Pag.60. (b) Pag.68. (c) Fragm.32. ex lib.9.

(a) 3.p.q.2. & 3. ac ibi a.4. (b) Pag.89.& 98. (c) Pag.8.

firmaratque (a) concludens: *Rectè quidem, sed PER APPROPRIATIONEM Deus Pater, sive Persona prima, dicitur PATER JESU CHRISTI; quia actio uniens, sicut & actio creans, actio est Omnipotentia, cujus attributi actiones Patri, sive primæ Personæ per appropriationem tribuuntur. Quasi unio facta non sit in Persona; sed in natura. Ut dicam verbò: Jesum Christum facit Berruyerus Filium Dei, spectati in sua essentia & natura, qualem concipiunt Mahometus, omnes ignorantes Trinitatis Mysterium, atque Philosophi pagani illi, qui Dei unius & veri notitiam adepti sunt.*

307 Adhuc aberrat crassior minervâ ipse Berruyerus asserens (b): *Factum est morte Christi, ut homo Christus Jesus jam non esset homo vivens; atque adeò pro triduo, quò corpus ab anima separatum jacuit in sepulchro, fieret Christus INCAPAX APPELLATIONIS ILLIUS, Filius Dei. Rursus: Actione Dei unius, Filium suum Jesum suscitantis, factum est, ut Jesus, qui desierat esse homo Vivens, & consequenter FILIUS DEI, iterùm viveret, deinceps non moriturus. Dehinc: Deus Christum*

hominem resuscitans, HOMINEM DEUM ITERATÒ GENERAT, dum facit resuscitando, ut Filius sit, qui moriendo Filius esse desierat. Porro Jesus Christus in triduo mortis non fuit homo vivens; quin, dicere, Christum in triduo mortis HOMINEM fuisse, simpliciter, & absolutè loquendo, erroneum est, inquit D. Angelicus (c). Et rursus: Verbum Dei suscepit animam & carnem unitam: & ideo illa susceptio fecit DEUM HOMINEM, & HOMINEM DEUM. Non autem cessavit illa susceptio per separationem Verbi ab anima vel à carne; cessavit tamen unio carnis, & anime. At si ista cessante per mortem, Christus (ut arguat Berruyerus) esse desiit Filius Dei, & talis denominationis fuit incapax: necesse est, à corpore ejus & animâ fuisse tunc separatam divinitatem, illorumque unionem fecisse Filium Dei in tempore, iteratò generandum in Resurrectione ob præfatæ unionis triduanam dissolutionem. Erratum certe nimis grave, quod ex Catechismo judicant pueruli, corrigunt, damnant! Quippè sicut de Filio Dei prædicatur in symbolo id, quod convenit corpori ab anima separato,

sci-

scilicet esse sepultum; ita de eo dicitur in eodem symbolo, quò descendit ad Inferos, quia anima ipsius à corpore separata, descendit ad Inferos: ea verò, quæ sunt humanæ naturæ, non dicuntur de Filio Dei, nisi ratione unionis, per quam Divinitas unita est carni, & animæ Christi in persona æterni Filii Dei Patris. Videndus D. Thomas laudatus (a).

308 Berruyerus tandem ictu uno exinanit, non dumtaxat Filium, sed etiam Spiritum sanctum, scripturans (b): *Mittet Pater Spiritum sanctum: mittet autem in nomine Jesu Christi. Id est, rogabit Jesus Christus HOMO-DEUS, FILIUS DEI, & ad orationem Jesu Christi, quæ voluntatis ejus efficacis bonum erit, Pater mittet Spiritum sanctum. Jesus Christus rogabit efficaciter postulatione absoluta, & quia postulatio illa erit humanitatis, quæ humanitas est in persona una divina subsistens, statim efficietur. Mittet Pater, quia exequetur, quod postulabit Filius: mittet Filius, quoniam ille verè, & simpliciter mittit, à cujus efficaci voluntate pendet, ut mittatur. Consecutio est necessaria, & in-*

fallibilis. Utique ex paraphrasi Harduini sui (c) effutientis: Spiritum dico, qui docet omnem veritatem, quod est donum optimum, à me quidem, ut homo sum, MORALITER, PHYSICÈ autem à Patre procedens; ille testimonium perhibebit de me.

Ejusmodi Scriptatores binè haud timere videntur Evangelii minas (d) in dicentes contra Spiritum sanctum, & abrenuntiantes Baptismo sibi collato in nomine ejus. Si sanè communis culpæ & in missum, & in mittentem reus unus aguntur. Quandoquidem si Spiritus sanctus non accipit à Patre Filioque totam substantiam divinam, quæ in Patre ac Filio est; Spiritus sanctus jam non est una Persona, sed quædam mera proprietas, illudque *omne datum optimum, & omne donum perfectum, quod desursum est, descendens à Patre luminum, de quo est sermo in Epistola Catholica B. Jacobi Apostoli (e). Certa quoque res est, totam, quam præfati Authores agnoscunt Filium inter, & Spiritum sanctum, relationem consistere in prece, per quam Filius postulat, mitti Spiritum sanctum,*

S

&

(a) Pag. 53. (b) Pag. 65. & 66. (c) 3. p. q. 50. a. 4. & sibi ad 1.

(a) Ibidem a. 2. & 3. (b) Pag. 15. (c) In v. 26. cap. 15. S. Jo. n. (d) Matth. 12. v. 32. Marci 3. v. 29. & Lucæ 12. v. 10. (e) Cap. 1. v. 17.

& missus est. Quæ horribilior impietas! Jesus Christus non mittit Spiritum sanctum, nisi quia mitti orat! ergo Jesus Christus jam non est Verbum illud, ille Filius Dei, qui propter nimiam charitatem suam induit nostram naturæ mortalitatem. Ergo in Jesu Christo jam non est nisi una sola natura, unioque humanitatis cum divina natura amplius non est, quàm unio quædam moralis.

309 Jesus Christus is est, qui dat dona Spiritus sancti, illi propterea debitores sumus, sicut itidem Spiritui sancto debemus quidquid ipse Spiritus operatur in nobis. Ille vult, Discipulos suos plenè confidere in Spiritu sancto, cum ad Præsides & Reges ducuntur propter eum. Nolite, inquit (a), cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Sed hanc constantiam & sapientiam, à Spiritu sancto acceptam, Filius & promittit, & pariter impertitur. Ego, ait (b), dabo vobis os & sapien-

tiam, cui non poterunt resistere omnes Adversarii vestri. Et capillus de capite vestro non peribit. Quomodo igitur possibilis est dicendi ausus, illum, qui eadem dona, eundemque confert Spiritum, ad hujus missionem contribuat rogatione tantum? Adhucnè hic respondent, præfatam sapientiam Christum obtinere vi precum, & secundum veram, simplicemque notionem illi reputari collationem doni, cujus absolute postulati non potest negari?

Jesus Christus dona sua à Patre similiter accipit, & distribuit, prout judicat opportunè. *Dexterà igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus sancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis, & auditis*, ait S. Petrus (c). Et S. Paulus eleganter posuit (d) dedit dona hominibus, cum in Psalterio scriptum sit (e), accepisti dona in hominibus. Ibi enim, ut notat D. Hieronymus, quia necdum factum erat, sed futurum promittebatur, propterea dicitur accepisse. Hic verò cum Apostolus scribit, quia jam dederat, & in universo Orbe Ecclesiæ funda-

data erant, idcirco non accepisse scribitur, sed dedisse. Uno verbo, Christus accepit dona in homines eroganda: *Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*. Præterquàmquod accipere interdum sumitur in Scriptura pro dare, ut Genes. 34. v. 8. Exodi 31. v. 10. Judicum 14. v. 9. Accipit nempe ut Homo & Mediator dona à Patre, ut daret hominibus. Si ergo Christus accipit à Patre dona, quæ nobis dat, non ea acquirit solis precibus, sed Omnipotentia, quam recepit à Patre.

Pariter Spiritus sanctus recipit à Patre, & à Filio Sapientiam infinitam, & Omnipotentiam, necessarias ad stabilendum Ecclesiam. Si S. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei, juxta laudatum Apostolum (a); à Deo recipiat opus est scientiam omnem, quæ in Deo est. Recipit etiam à Filio, quia sua sunt omnia, quæ Patris sunt. Non igitur est ille per prosopopœjam representatus tamquam persona divina, sed in largitione donorum exercet re ipsa infinitam sapientiam, & omnem, quæ data est ei, po-

testatem in Cœlo & in terra.

310 Insignem addo *Aquinate* animadversionem; qua divinæ Scripturæ silentium expenditur, à Græcis sapè objectum. Sic enim ait ille (b): *De Deo dicere non debemus, quod in Sacra Scriptura non invenitur, vel per verba, vel per sensum. Licet autem per verba non inveniatur in Sacra Scriptura, quod Spiritus sanctus procedit à Filio, invenitur tamen quantum ad sensum: & præcipue, ubi dicit Filius, Joan. 16. de Spiritu sancto loquens: ILLE ME CLARIFICABIT, QUIA DE MEO ACCIPIET. Regulariter etiam in Sacra Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de Filio intelligi, etiamsi DICTIO EXCLUSIVA addatur: nisi solum in illis, in quibus Pater & Filius secundum oppositas relationes distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. 11. dicit: NEMO NOVIT FILIUM, NISI PATER; non excluditur, quin Filius se ipsum cognoscat. Sic igitur, cum dicitur, quod Spiritus sanctus à PATRE PROCEdit; etiamsi adderetur, quod à SOLO PATRE PROCEdit: non excluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc; quod est esse principium Spiritus sancti, non*

S 2.

op-

(a) Matth. 10. v. 19. & 20. (b) Lucæ 21. v. 15. & 18. (c) Act. 2. v. 33. (d) Ad Ephes. 4. v. 8. & 7. (e) Psalm. 67. v. 19.

(a) 1. ad Cor. 2. v. 10. (b) 1. p. q. 36. a. 2. ad 1.

opponuntur Pater & Filius; sed solum quantum ad hoc, quod Hic est Pater, & Ille Filius. Errores varii, quos mediæ ætatis Græci circa sancti Spiritus processionem excogitarunt, Græcos etiam ævi sequioris, ac recentes traxerunt in partes, ut legere est inter Acta Synodi Florentinæ Græco-Latina *sess.* 22. & 25. Eodemque innovare videntur vel *le Harduinus*, & *Berruyerus*;

in quibus videbis horrorem, & obstupescas super quàm plurimis aliis prætermisissis, omnino videndis apud encyclicam D. Episcopi Senonen. & *Pru-dentium Mairan* Benedictinum, Congr. S. Mauri, cujus opus ex Gallico in Italum idioma versum, editum est Romæ 1757. Quibus successerunt eadem linguâ vernacula, Romæ quoque edita, illustria opera annis 1758. & 1759.

QUÆSTIO IV.

DE CHARITATE.

De qua decernunt Theses 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. ab *Innocentio XI.* proscriptæ.

ARTICULUS I.

Charitas erga Deum.

§ I.

311 **I**ncredibilis planè, atque monstrosa nonnullorum Probabilistarum moralis præfens. Spiritus animaque recentioris moralis Casuisticæ dilectionem in non odium convertit, ac perinde intelligat diligere, atque non odio habere; & sic præcepta

affirmativa Charitatis in negativa invertit, impleraque illa censet observando negativa, non occidendi, non odio habendi; atque de hoc uno Pœnitentes etiam in Confessione examinant. Undè contra quàm *Dominus*, & *Paulus*, & *Joannes*, ac SS. Patres, reliqua omnia mandata ad duo, vel etiam ad unum dilectionis mandatum, velut ad summam, atque compendium revocant: ita hi prorsus à contrario, mandata Dilectionis ad

ad reliqua mandata resolvunt, istorumque observationem, illorum etiam summam arbitrantur; quin etiam (quod jure merito prohibitum fuit *Prop.* 6.) dixerunt, nullum esse speciale præceptū diligendi Deū: quò nihil planè est omnibus Scripturis Dei magis contrarium. *Calvinus*, *Bajus*, & *Jansenius*, inquirunt: Præceptum est, sed impossibile est: Illi dicunt: Præceptum non est. Ecce verò? Quia impossibile esset, & vitæ communis homines servare non possunt, sufficereque non odisse. Utrique profectò evertunt observationem præcepti, ac totius legis etiam finem, & animam. Constabunt ex ipsorum documentis, nè imponere videar, ejusmodi extravagantiæ, alias incredibiles.

312 Habemus Apostolicum sermonem (a): Qui non diligit, manet in morte: sine Charitate nihil sum. Divinis hisce Oraculis respondet *P. Viva* (b): Sufficit tamen dicere, ea loca posse intelligi de Charitate habituali, non de actuali; quasi minùs rectè respondisset (c) D. ANGELICUS: Præcepta legis cujuslibet,

dantur de actibus virtutum. Rursus auctoritati C. Tridentini peccatoribus asserentis, Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, respondet ipse *Viva* (d): Tridentinum dum exigit, quòd peccatores diligere incipiant, ut ad justificationem in Sacramento disponantur, solum requirit amorem Dei inchoatum: hic autem sufficienter includitur in voluntate reconciliandi se cum Deo per Sacramentum; quis enim neget, voluntatem adhibendi media ad reconciliationem cum aliquo, esse aliqualem illius amorem? Includitur etiam in proposito servandi in posterum Dei mandata, & non amplius peccandi. Constat enim (nunc certè universalem expendit doctrinam, quâ capiamus, quomodo Deus sit diligendus) hujusmodi propositum esse pariter aliqualem, & inchoatum Dei amorem: cum enim inter præcepta detur præceptum DILECTIONIS; qui proponit servare præcepta, inchoatè, & in causa DILIGIT. Præterea in ipso odio peccati, quamvis ex motivo pœnarum concepto, includitur etiam aliqualis dilectio, & Charitas inchoata; qui enim

S 3

odit

(a) 1. Joan. 3. v. 14. & 1. ad Cor. 13. v. 2. (b) In *Prop.* 15. *Alex.* VIII. n. 25. & 26. (c) 1. 2. q. 107. a. 1. ad 2. (d) Ibi n. 26.

odit alicujus malum, aliquantulum illum amat, amore veluti negativo, nolendo scilicet illi malum, est non velit illi positive bonum condistinctum à carentia talis mali. Sanè textus iste decisivus est, quare *Viva* non examinat hic ex professo obligationem divini mandati. Sed præcisiores adhuc textus adducam.

313 P. Antonius Sirmondus aperte docet (a): *Præcepto de amando Deo parebimus, quantum sat est, modò nè reliqua præcepta violemus. Itaque que miranda est in homines bonitas Dei, non tam amorem sui præcipit, quàm Odium vetat. Ut hæc doctrina promulgata fuit, experta est contradictionem benè plurimam. Quapropter Sirmondus citatam adornavit Apologiam, & ad sui defensionem potissimam ait (b): Non hæc doctrina mea est, sed Sancti Thomæ, cujus eam nomine protuli.... Dixeram (sed hò quàm falsò) S. Thomam videre sensisse, ista mandata (de diligendo Deo; & proximo) novam obligationem non inducere. Dixeram, me pronum in eam sententiam esse, si ita esset, tam multa in ea mihi*

probabilitates apparebant. Sed fac, me hoc affirmatè dixisse; quid tum?

Certò certius non ita est, ut tibi visum fuit, reclamante D. Angelico (c), quem fortè non legisti: *Actus Charitatis dupliciter considerari potest: Unò modò secundum quod est actus quidam PER SE, & hòc modò cadit sub præcepto Legis, quod de hoc SPECIALITER datur, scilicet: DILIGES DOMINUM DEUM TUUM, ET DILIGES PROXIMUM TUUM. Item: Præcepta dantur de actibus virtutum. Et ideò oportuit esse plura præcepta Charitatis. Cùm ergo ut existimasti, ò Sirmonde, ita non sit; unde tibi tam multæ probabilitates apparent, ut traditus sis in reprobum sensum, in quem contorques (d) distinctionem amoris affectivi, & effectivi? hunc enim segregat ab omni interna dilectione, atque constituit in sola observantia externa. Externi hujusce amoris iusionem, rigoris mandatum appellat, quia sub gehennæ poena præfatam imponit obligationem. Amorem affectivum constituit in actu interiori voluntatis, & præceptum hoc dul-*

dulcem imponens amorem, vocat mandatum melleum, quia talem non jubet amorem sub poena damnationis. His commentis, chimericisque distinctionibus divinum eludit, maximumque mandatum. Porro communis est Theologorum sententia, tam amorem affectivum, quàm effectivum esse actus voluntatis internos, dumtaxatque distingui ex eo, quòd primus in secreto animi, & cordis sinu requiescit; secundus deforis sese exerit, & manifestat. Sirmondus verò vult, amorem effectivum esse exteriorem tantum, & nequaquam interiorem.

314 Quin & affirmatè dicere (a) ipsum non terruit: *Christus suo nos sanguine liberavit à necessitate serviendi Deo (cui omnia serviunt) in amore; quasi copiosa apud eum redemptio, non per fidem, & amorem, sicut filios, sed sicuti bestias per timorem dumtaxat, aut per instinctum naturalem, nos adduxerit volentes Deo appropinquare, ad ipsumque venire. O Deus bone! Qui benè scripsit de te D. Angelicus, è contra clamat (b): Per hoc homo cog-*

noscit, QUANTUM DEUS HOMINEM DILIGAT, & per hoc provocatur ad eum diligendum.... Per hoc est homini inducenda MAJOR NECESSITAS, se immunem à peccato conservandi.

315 P. Tamburinus aperte docuit ex Azorio Propositionem 7. damnatam, conceptis verbis (c): *Mibi placet doctrina AZORII, qui docet, hoc præceptum Charitatis impositum fuisse ob justificationem impii: solum igitur tunc obligare, quando impius, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, quàm se justificet. Rursus: Confirmatur, quia licet communis sententia doceat, dari præceptum SPECIALE de amando Deo.... tamen non ignobiles Doctores docent, hoc præceptum non esse SPECIALE, & speciali tempore implendum; sed generale, imbibitum in omnibus præceptis: sicut secundum præceptum de dilectione proximi non est SPECIALE, sed in Decalogi præceptis contentum. Et concludit: tantissima sententia. P. Viva non modò prætermisit monere, Tamburinum cum Azorio, aliisque ab isto laudatis proscriptam sustinere thesim; verum etiam*

S 4

etiam

(a) Defen. Ver. tract. 2. pag. 16. & 19. (b) Ibi pag. 7. (c) 1. 2. q. 100. a. 10. & 2. 2. q. 44. a. 2. ad 1. (d) Ibi pag. 20. & 21.

(a) Tract. 3. pag. 60. (b) 3. p. q. 46. a. 2. (c) Lib. 2. in Decal. c. 1. n. 10. & cap. 3. §. 2. 3. & 4.

etiam solemnioribus D. Thome Discipulis, Bannesio, & Serra imposuit per summam injuriam, ut ipsorum productis textibus evincunt evidenter Dinellius, à nobis laudatus num. 249. Et Eraniſte in suis observationibus (a).

316 Hinc Leander (b) pro Tamburini sententia laudat Gasparem Hurtado, Maldonatum, Joannem Sanctium, Vazquezium, & Molinam, atque producit Sporerium asserentem (c): Probabilis mihi hæcenus semper visa fuit sententia, Præceptum illud NUMQUAM OBLIGARE PER SE QUOAD ACTUM EXPLICITUM AMORIS DEI SUPER OMNIA, sed ei plenè satisfieri per voluntariam observantiam præceptorum, & exclusionem omnis peccati propter Deum, uti docent multi, & graves Doctores apud Tamburinum... Agnoscimus, & veneramur diviniſſimum mandatum; ejusque exercitium perfectiſſimum, & frequentiſſimum nobis in omnibus optamus. Nulla tamen ratio, vel Authoritas convincit, illud esse præceptum SPECIALE, & speciali aliquo tempore, per se, obligatoriè implendum. Et subdit: Diliges

proximum tuum, &c. non est SPECIALE, speciali aliquo tempore PER SE obligatoriè implendum per aliquem ACTUM INTERNUM elicatum amoris erga proximum. Quod est jam damnatum ab Innoc. XI. Prop. 10. & 11.

Parcatur Tamburino, & ab eo allegatis DD. qui ante damnationem scripsere. At Sporerius sibi objicit: Aliud novum urgentius fundamentum exhibet Propositio omninò prima inter prohibitas, ac damnatas sub Alexandro VII. ita sonans. Et reproducta theſi damnata, liberum hocce capit interpretamentum: Verùm nulla bis expressa fit mentio de actu FORMALI EXPLICITO amoris Dei super omnia, & omninò sufficere videtur, præceptum Charitatis sepe obligare PER SE, saltem quatenus est negativum, ut in casibus supra positis, etsi NUMQUAM obliget, ut affirmativum... ergo minus damnata censi debet nostra sententia. Nonnè bene diximus, spiritum moralis probabilisticæ revehi ad negativa? Quin objectis quoque Propositionibus V. VI. & VII. ab Innoc. XI. confixis, & post trina hæc Vaticani fulmi-

(a) Obser. tom. 2. Let. 13. à n. xlv. pag. mihi 202. & Epist. tom. 3. pag. 426. & seqq. (b) Tract. 4. de Char. disp. 2. q. 11. (c) Tract. 2. in 1. Præc. Decal. cap. 5. sect. 2. n. 31. pag. 149.

mina, ad extremum ait: Hic ego do victas manus ob reverentiam, & obedientiam Sacrae Sedis Apostolicæ, & dico tandem: ex vi præcepti Charitatis tenetur homo per se QUANDOQUE IN VITA SUA elicere actum formalem amoris Dei super omnia. Inimitabilis reverentia, & obedientia Sedi Apostolicæ! Pontifex damnat Propositionem asserentem, posse differri per quinquennium hunc specialem Dei amorem: & Sporerius ejusmodi doctrinæ conscius haud reveretur scribere, Christianum teneri quandoque in vita sua ad diligendum Deum. Quod repetit expressione, pariter enervante præceptum, subdens (a): certum esse, quod tale præceptum adstringit saltem aliquando in vita. Insuper, nec expugnat rationes adductas pro sententia proscripta, nec retractat, quod docuit circa præceptum diligendi proximum, quod tradit tamquam generale, uti vidimus, quamvis id etiam proscriptum fuerit Prop. 10. & 11. ut continuo dicemus. Valde probabile, ait, & modò... Omninò certum est, Præceptum Charitatis, ET AMORIS DEI SUPER OMNIA etiam aliàs obligare in tem-

pore, saltem aliquando in vita. Cur aliquandò in vita, si sæpius intra lustrum amandum esse Deum, decernit Pontifex? Præterea, Sporerius neque ob reverentiam, & Sacrae Sedis obedientiam dissolvit argumenta, quæ adduxerat antecedente §. in favorem proscriptæ doctrinæ, sed illa relinquit intacta; neque retractat rejecisse, ut vidimus, speciale præceptum amoris erga proximum, quod vult esse generale dumtaxat, in aliis virtualiter contentum, & nullum internum amoris actum præcipiens. Quinimò exclamat: quandò enim hoc?

§. II.

317 VERùm quæ gens tam inculta, tam barbara fuit unquam, quæ Deum crederet, adoraret, unàque amandum aut numquam, aut semel in vita, aut singulis tantum quinquenniis assereret? Et tamen, quæ in hominibus ipsis sylvestribus monstra forent, in Viris literis excultis, ac eruditione claris spectare cogimur. P. Didacus Hurtado (b) adscribit P. Antonio Marchant doctrinam de

(a) Ibi n. 36. §. 4. pag. 143. (b) Dissert. 1. cap. 1.

de sufficientia actus amoris Dei semel in vita, quam publicè propugnavit Antuerpiæ anno 1674. quamque hausit fortè ex tradita à *Tamburino* (a). *P. Escobar* auctoritate *Filliucii*, unius ex suis 24. senioribus: *Addo*, inquit (b), ex *Filliucio*, PROBABILE esse non quinquennis singulis rigo-rose obligare, sed *Sapientum arbitrio*. Citatus *Hurtado* in sua *Theologia reformata* excusat *Escobarium* ab opinione jam proscrip- ta; sed ipse in eam concedere videtur, dùm damnationis Decretum ita interpretatur (c): *Quò factum est, ut singulis quinquennis ex mandato Ecclesie ad Dei amorem exercendum teneantur eò modò, ac sensu, quò ad Confessionem tenentur in annis singulis*. Author, ut ego quidem arbitror, condit declarationem voluntariam & parùm Ecclesie conformem; quæ damnavit errorem dilationis præfati amoris ad quinquennium usque, & non definivit, licitum esse, unoquoque tantùm quinquennio divinam exercere dilectionem. Verumtamen hoc præcepto postmodùm spectato

uti naturali & divìno, recensitisque diversis opinionibus de tempore obligationis, ipse approbat illam, quæ statuit debitum diligendi Deum semel in anno, & intrepidè definit (d): *Nec plus postulant emphatica verba, quibus in Scriptura proponitur, licet primo aspectu longè amplius exigere videantur*. Sed si verba Scripturæ naturâ suâ exigere videntur, longè ampliori frequentia exerceri actus divinæ dilectionis; cur tanto conatu, tantaque asseveratione restringitur obligatio ad unicum dumtaxat actum annualem? Pro emphasi dividitur Spiritus sancti doctrina de obligatione altissima Deum nostrum amandi?

318 Majoris verò reputationis Author *P. Castropalaus*, *P. Thomæ Sanchez* (e) æmulator, ad criterium vocat aliorum opiniones (f), & unâ cum eo rejicit. Primo loco improbat obligationem diligendi Deum in momento illo primo, in quo rationis splendor mentem illuminat nostram. *Hui tam citò!* exclamat citatus *Sirmondus* suus. Deindè op-

pug-

(a) Lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 2. nn. 1. 2. 3. & 4. (b) Tract. 5. exam. 4. cap. 1. (c) Dissert. 5. cap. 2. (d) Ibi cap. 17. (e) Lib. 2. in Decal. c. 35. n. 9. pag. 278. (f) Tract. 6. disp. 1. punct. 4.

pugnat *Vazquezii* opinionem, in articulo tantùm mortis Christianum ligantis ad Dei amorem: *Hui tam serò! Præterea*, detestatur sententiam *Joan. Sanctii* aliorumque, semel in vita tantùm hanc obligationem constringentium. *Insuper* eorum Theologorum expugnat opinionem, qui valdè rigidi præfatum inducunt obligationem omnibus diebus festivis. *Rursus* despicit pariter illorum sensus, qui ad exercitium divini amoris adstringunt adultum recipientem Baptismum, Martyremque sese morti offerentem. *Adhuc*, nititur ostendere cum *Sancho*, & *Konningio*, errantes à vero illos, qui obligationi Deum diligendi subjiunt Christianos, dùm singulare Dei beneficium accipiunt: neque approbat eos, qui talem obligationem adesse asserunt, quando blasphemis horrendis Dei infinitam majestatem audimus vilipendiari.

Item. alienatur à *Sanchez*, dùm sese eximit ab obligatione diligendi Deum, quum graves odii Dei tentationes instant, & periculum illis succumbendi adest, nisi tentatus actus amoris Dei eliciat; quia amor

iste, inquit ille, non est medium necessarium propulsandi odium. Transgreditur *itidem* omnes terminos, scribens (a) contra communem sententiam: *Afferunt alii, instante periculo mortis, etiamsi peccati mortalis conscius non sis, imò etiamsi illius conscius sacramentaliter confitearis, te obligatum esse Deum super omnia diligere... Fateor, hanc obligationem esse SATIS PROBABILEM, & in praxi semper consulendam. At non est omnino certa, si peccati mortalis conscius non es: nam illam rejiciunt Azor, Sanchez, &c.* Instante separationis momento ab hoc mundo, conjunctionisque cum Deo, non jubemur actum elicere amoris, qui medium est, quò reapse Deo copulemur? *Denique* aspernatur sententiam devincientem ad amorem Dei semel in anno tantùm: *Quia hoc*, inquit (b), *est nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur.* Quare decernit, Deum amari debere aliquoties in vita. Subdit tamen: *Reputarem autem, dilationem trium annorum esse gravem.* De cætero Prudentum relinquit arbitrio, dummodò tamen non declinent ad rigorem, circumligando fideles ad Deum

(a) Ibi n. 9. (b) Ibidem n. 10.

Deum semel diligendum quolibet anno, quia istud esset jugum asperum valdè, atque onus grave.

319 Profectò Lex Christiana, lex amoris est; illius plenitudo, dilectio. Primum, ac maximum ejusdem mandatum, quod basis & fundamentum cæterorum dicitur, amor est. Quid, quòd non alium in finem factus est homo, nisi ut Dei flagret amore, Deumque omnium virtutum cultu adoret; Deusque ipse, ut cœlestem amoris istius flammam in nos accenderet, indutus carne mortali, à Protoparente edita, passus & mortuus est, atque resurrexit? Quippè beatitudo cordis, amor est. Hæ sunt primæ professionis Catholicæ notiones. Cuinam itaque, non dicam Theologorum, sed vel esferatarum gentium, venire in mentem potuisset, futurum fuisse, ut Viri, non modò Catholici, sed Catholicorum Doctores reperirentur, qui eò usque ausus suos esferrent, ut mandatum hoc propriæ institutionis primum, & apertissimum, vanis distinctiunculis extenuare, & in nihilum ferè redigere non puderet? Cujus invehendæ laxitatis capaces ii non

sunt, qui similia cudere portenta non reformidant? Hæc incredibilia videntur, & reapse sunt. Iccircò libros, unde fuerunt decerptæ Theses 5. 6. 7. ab *Innocentio XI.* scriptæ, indicavi, nè quidquam per exaggerationem dixisse videar. Sed quid, quæso, sub lenocinantis *benignitatis* fuce non deliniet, qui tamquam *probabilem*, securamque regulam constituit, Catholicum fieri posse salvum, qui toto vitæ suæ cursu Deum Salvatorem, Glorificatorem, Patremque suum peculiari amoris actu haud prosequatur? Quid non potest impotens opinandi licentia, & inveterata laxandæ legis cupiditas, aut à teneris unguiculis haustæ cum lacte anticipationes?

Quis unquam Christianorum negavit necessitatem amoris *impliciti*? Quis Casuistarum docuit, præceptum Charitatis, etiam ut *negativum*, implendum non esse? Annè Theologi illi, qui Propositionem I. ab *Alexandro* damnatam evulgarunt, negabant amorem virtuales, aut præcepti necessitatem in eventu pœnitentiæ peragenda? Quis ergo hiscere ausus fuerit, si dixerimus, Casuistarum plu-

res

res futilissimis distinctiunculis frequenter elevare sacrarum legum autoritatem? Si dixerimus, tantum apud ipsos valere quasdam blictricas distinctiones, quibus propriæ factionis systemata tueri solent, ut vel evidentissimæ demonstrationes ad illorum mentem languescant, atque hebescant? Nam quid evidentius, aut clarius in Scripturis Sanctis, quam amor Dei, & proximi? & tamen amoris istius necessitatem aperte negant citati Juniores? Et non solum post *D. Pauli* anathema: *Qui non amat D. Jesum Christum, anathema sit*; sed etiam post *S. P. Alexandri VII.* quem divinæ Legis interpretem, suæque voluntatis Vicarium Deus constituit, manifestam explanationem; unius distinctiunculæ circuitione *amoris impliciti*, & *expliciti*, erroneam propugnant opinionem? Ut loco tandem dimoverentur, necesse fuit, ut alter *S. P. Innoc. XI.* anathemata conduplicata jacularetur in spectrum illius distinctionis amoris *impliciti*, & *expliciti*, seu in illud *per se*. Tantum Autoritatis, tot Oracula, & anathemata fuere necessaria ad subigendam Casuistarum men-

tem, eorumque cohibendos calamos.

Præceptum Charitatis eff quidem affirmativum inderminatam, quia continuum præscribit amorem; sed si non determinat certa tempora ad actus positivi amoris, præfigitnè determinata tempora ad non amandum? Eccur ergo prædefiniuntur annorum tempora ad licitas omissiones? Scripturæ, Concilia, Patres, ratioque ipsa favent, prædicant, inculcant Charitatem continuatam. Quæ Scriptura, quæve ratio fulcit opiniones, quæ Charitati denegant præceptum speciale, vel dilationem licitam concedunt ejus observantiæ ad unum dumtaxat actum in vita, vel ad unum actum in morte, aut per quinquennium, sive per triennium, seu per annum? Adolescentulus solo lumine ductus naturali, hæc repellat opiniones. Interrogatus quando charum Parentem diligere teneatur? Semper, respondebit ille, ac per singulos dies honore prosequi, mihi dulcius super mel & favum, atque dilectius super aurum & topazion, & in quo mihi benè complacuit. Numquid in dubium verti

po-

poterit, an teneat ad frequens exercitium dilectionis erga Patrem meum? Numquid dicitur mihi fortè, licitè posse me vivere, quin meum amem Patrem per septimanas, menses, & annos? Hæc & plura respondebit vi solius luminis naturalis circa præceptum diligendi proprium Patrem carnalem. Respondere ita potiùs ii Doctiores omnes debebunt circa mandatum suavissimum diligendi Patrem æternum illum, qui ait: *Nolite PATREM vocare super terram. Unus est enim Pater vester, qui in Cœlis est: Fugum enim meum suave est, & onus leve, amanti.*

ARTICULUS II.

Charitas erga Proximum.

320 **H**eu mihi! Quia laudatum argumentum ab exemplo dilectionis Patris, vel Domini temporalis ad dilectionem Dei super omnia, non consistit apud Probabilistas, apud quos argumenti genus est à superiori ad inferius affirmativè. *P. La-Croixius* ita similiter sibi objicit (a): *Famulus hominis*

tenetur attendere, nè per actionem suam causet suo Domino damnum, etiam MATERIALE tantum: Ergo servus Dei multò magis, nè committat peccatum materiale, & ponat objectum re ipsa displicens Deo: Ergo & tenetur sequi illud, quod judicare potest esse VERISIMILIUS. Et en suam responsionem: *Nego ultimam consequentiam. Nam fatemur adhibendam DILIGENTIAM MEDIOCREM, ET HUMANAM pro dignoscenda veritate, & cavenda MATERIALI OFFENSA DEI. Majorem autem, aut exactissimam dicimus esse TANTUM DE CONSILIO. Quandò autem eò pervenimus, ut sciamus, non posse certò comperiri veritatem, quia nempe scimus, pro utraque parte esse motiva gravia; negamus, nos obligari ad sequenda verisimiliora. Potestnè hæc dici solutio argumenti Antiprobabilistarum, aut confirmatio potiùs indissolubilitatis illius? Famulus hominis ita sese gerere tenebitur, ut nullum Domino adveniat, sive sequatur damnum, etiam materiale dumtaxat, & idcirco amplecti opinionem, quæ probabilius à longe conspiciet damnum illud: & Servus Dei non manebit obligatus, sal-*

tem

tem ex æquo, idem faciendi, quum de offensa sui Domini agitur? Quis capere poterit divisionem adeò monstrosam & alienam, ut diligendus, vel timendus plùs sit homo & Dominus mortalis, quàm Deus immortalis, & omnium Dominus?

321 Si verò magis est diligendus Dominus Deus noster, quàm omnis creatura, invictus resurgit *Probabilistarum* Achilles. Quippè homo ipsissimà Charitatis virtute diligit Deum super omnia, se ipsum, & proximum propter Deum, ut pluries docet *D. Angelicus*. Scriptum est (a): *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Hòc ex testimonio Apostolico concludit *Angelicus* (b): *Idem specie actus est, quò diligitur Deus, & quò diligitur proximus.* Quin, omnes, qui negant speciale præceptum amandi Deum, cohærenter, & potiori jure negant mandatum speciale diligendi proximum actibus internis & formalibus. Pro qua opinione *Leander* (c) laudat *Hurtadum, Vazquium, Suarium, Molinam, Petrum Hurtado, Arria-*

gam, Fagundes. Prædictam opinionem defendit *Castropalaus* (d), atque in illius præsidium trahere audet laudatum *Angelicum*; quæ citata quæst. art. 4. docet de dilectione proximi in particulari, rapiens ad amorem ejusdem in communi. Et *P. Marcus Vidal* in sua *Arca* (e) monet: *Animadvertendum tamen, hoc præceptum adimpleri per hoc, quòd nullum malum UT MALUM proximo inferatur: Et idè non est præceptum obligans ad habendum actum internum de dilectione erga proximum, cum per se non pateat proximo, sicut Deo.*

Quid? Christiani, si quid boni facere adstringuntur, non id faciunt ut Deo placeant, sed ut gloriam hominum aucupentur? Erunt igitur animalia gloria, sicut de antiquis Philosophis Ethnicis eleganter loquitur *Tertullianus*: aut pro illis quoquè dictum censébitur à Christo D. quod de Pharisæis scriptum est: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Christiana doctrina, ingenuæ ac rectæ menti à natura impressa, ea est *D. Thome* (f): *Effectus, &*

fig-

(a) 1. Joan. 4. v. 21. (b) 2. 2. q. 25. a. 1. (c) Tract. 4. d. 3. quæst. 6. (d) Tract. 6. disp. 1. punc. 5. n. 3. (e) De Char. præcep. inquil. 1. n. 85. (f) Cit. q. 25. a. 9. & q. 26. a. 7. in *Sed cont.* Vid. q. 103. a. 3. ad 2.

(a) Lib. 1. n. 396.

signa Charitatis EX INTERIORI dilectione procedunt, & ei proportionantur. Et: Interior Charitatis affectio debet respondere exteriori affectui. Quoniam actus externi, quos proximo demonstramus, ab alia radice queunt prodire; valent namque ab hypocrisis imperari, aut certe ab humanitate quadam, vel arte potius Machiavello-politica; quam, si modo viveret, faceret argueret Diogenes, famosam adhibiturus Lucernam, quâ in frequenti foro homines candidi, recti, explicati, & exporrecti cordis studiosè inquireret: adèò ars ista pessima, inextricabile sapè odium sub speciosa larva amicitiae condens, in plurimorum animos irrepfit. Exteriorum itaque actuum exhibitio, non est certum animi odium excludentis argumentum; quod tamen ad dilectionem proximi requiritur. Undè opinio illa supremo jure proscripita est Prop. 10. & II.

322 Hinc, inquam, sic argumentor ex suppositione admissa à La-Croixio, aliisque Probabilistis: vi præcepti Charitatis tenemur vitare malum, & injuriam proximi nostri ita, ut concurrentibus duabus opi-

nionibus, debeamus feligere magis securam, atque probabilem; sed vigore præcepti Charitatis ipsissimæ Deum plus amare circumligamur, quam proximum: ergo majori diligentia obstringimur vitare injuriam, & offensam Dei, aut saltem æqualis eam cavendi debet esse cura: ac proindè in binarum conflictu opinionum circa offensam, seu injuriam, quæ ab actione nostra resilire potest in Deum, probabiliori & securiori adhærescere adstringemur. Rursum: Opinio sive minùs, sive æquè probabilis non excusat illum, qui sese periculo exponit nocendi graviter Proximo: ergo neque eum excusat, qui tequelâ talis opinionis sese Deum offendendi exponit periculo, seu faciendâ rem, quæ illius honori deroget, & decori. Igitur si non habetur excusatus, qui opinionis amplexu minùs vel æquè probabilis offendit bonum hominis creatum; quomodo excusari valet, offendendo bonum Dei increatum? Cur quùm de læsione agitur boni creaturæ, nullus est usus earum tot reflexionum artificii probabilistici? Eccur non adhibetur distinctio peccati

ma-

materialis, & *formalis*, quæ admovetur, dùm de Creatoris agitur læsione boni? Pejoris erit conditionis, dignumque minoris spectabilitatis bonum divinum, quàm bonum humanum? Scio, Terillum id facile concedere: quia, inquit, Deo nullum provenit malum ex suæ legis transgressione *materiali*, ut vocat. Sed si ratio istæ faceret ad nostrum propositum, jam non esset ultra in mundo peccatum, quod perpetraretur contra Deum: nam scriptum est (a): *Si peccaveris, quid ei (Deo) noceris? Et si multiplicata fuerint iniquitates tue, quid facies contra eum?* Divinæ naturæ excellentia summa constituit eam exuperantem omne facinus nostrum: at non idcirco quid culpæ minuitur nostræ, quæ mensuratur, non à damno, quod actu derivat, sed à re in se ipsa spectata, & à deordinatione nostræ voluntatis.

323 Ejusmodi quoque argumentum sibi objicit La-Croix (b) hisce conceptis verbis: *Si sim Medicus, v. g. Charitas erga proximum obligat me, ut sequar pro ipsius bono* MAGIS PROBABLEM (sententiam): ergo etiam Charitas erga Deum, ut

pro ejus honore sequar faventem Legi. Respondet: *Nego consequentiam. Pro obligatione illa Medici habemus aliundè certitudinem: pro altera obligatione non offertur sufficiens fundamentum.* Solutio certè digna considerationis. Disparitas tota est penes certitudinem, quæ habetur, quòd Charitas ligat Medicum ad sequelam sententiæ probabilioris respectu infirmi: & non habetur, quòd Charitas obliget hominem ad idem agendum respectu Dei. Sed undè illa eruitur certitudo obligationis in Medico? Tripliciter respondet ipse La-Croix (c): 1. *Quia esset contra Charitatem (proximi) non facere alteri, quod velles tibi fieri.* Bene, & optimè: pariter ergo erit *contra Charitatem Dei facere, quod non velles tibi fieri*, id est, quòd amplecteretur sententia minùs probabilis, quùm de quocumque tractatur tuo damno. 2. *Tacito pacto per susceptum officium ad id se (Medici) obligarunt.* Et sic potuit dicere fundamentò eodem, quò *tacitum pactum* illud adfirmat: homines itidem, Christiani potissimum, *tacito pacto orto ex ipsa Charitate, aut Professione Christiana*

T

na

(a) Job 35. v. 6. (b) Lib. I. n. 365. (c) Lib. 4. n. 1534. §. 2.

na ad id se obligarunt in ordine ad Deum. 3. Eorum opinio probabilis non posset removere damnum infirmi. Ac eodem modo opinio probabilis non potest removere transgressionem Legis, aut etiam efficere, quod homo non ponat objectum, quod reapse displiceat Deo, ejusque offendat honorem. En abeuntia in fumum momenta omnia suæ disparitatis; atque obligationem hominis, nihil minus quam Medici, ad sequelam probabilioris sententiæ de præcepto Charitatis.

ARTICULUS III.

Charitas erga se ipsum.

324 **I**nter cætera, quæ ex Charitate homo diligit, quasi ad Deum pertinentia, etiam se ipsum, qui Dei est, diligit ex Charitate; quin, jubetur proximum diligere, sicut se ipsum (a): *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Quia sicut verè & sincerè, ac propter Deum, non propter nostra commoda diligendus est proximus, similiter ac nosmet ipsi. 2. ad Timoth. 3. v. 2. inquit D. THOMAS (b): *Aman-*

tes se ipsos vituperantur, in quantum amant se secundum naturam sensibilem, cui obtemperant: quod non est verè amare se ipsum secundum naturam rationalem, ut sibi velint ea bona, quæ pertinent ad perfectionem rationis. Et hoc modo præcipuè ad Charitatem pertinet diligere se ipsum. Jure merito igitur proscriptæ sunt 8. & 9. theses de sensuum voluptatibus. Bruta quippè, non homines ratione præditi, operantur ob solam voluptatem. Voluptas cibi instituta est ob conservationem individui, & voluptas rei uxoriæ propter conservationem speciei; & idcirco non posse intendi propter se directè, definitur. Namquè inverteretur naturæ ordo, si in hisce actionibus voluptas tamquam finis amaretur, ubi eæ ex institutione naturæ ad vitæ sustentationem, vel speciei ordinantur conservationem. Possumus corpore uti ad servitium Dei, ait ANGELICUS (c). *Et idèd ex dilectione Charitatis, quâ diligimus Deum, debemus etiam corpus nostrum diligere. Quatenus per opera, quæ per corpus agimus, ad perfectam Dei fruitionem possumus venire.*

Op-

(a) Matth. 22. v. 39. (b) 2.2.q.25.a.4. ad 3. (c) Ibi a. 5. & ad 2.

Oppositum nihilofeciùs docuere olim plures *Benignista*, laudati à P. Diana (a) quorum ipse sententiam putat esse Probabilem.

325 Sed mirandum, P. Vivam, scribere (b): *Utrum autem peccet venialiter, qui bibit, aut comedit solum ob delectationem? Joannes Sanchez apud Dianam.... Martinus Perez, Escobar, (qui (c) Thomam Sanchez laudat pro Prop. 8. damnata ab Innoc.) & alii negant, si non noceat saluti: sicut non peccat, qui videt res pulchras, & olfacit odores solum propter delectationem. Neque id damnatur ab Innocentio XI. (Prop. 8.) Nam propositio damnata dicit: COMEDERE, ET BIBERE AD SATIETATEM, &c. Quando enim ad satietatem quis comedit, aut bibit ob meram voluptatem, facile limites temperantiæ debitæ prætergreditur, & idèd venialiter peccat: Quod non accidit; neque si comedat aliquid, aut bibat propter voluptatem, non tamen ad satietatem cum periculo temperantiæ.* Siccine ergo Decreta Pontificia eluduntur? Quod itaque homo Christianus comedat ob solam voluptatem, nullum peccatum committit?

Tumne solum peccat, quando ob solam voluptatem comedit usque ad satietatem cum periculo intemperantiæ? Neque *Vivam* juvat subjungere: *Caterum, quòd nec aliquà veniali culpa vacet comedere, & bibere, etiam moderatè, ob meram voluptatem, PROBABILIVS docent quamplures, quos retulimus in Trutina, n. 6. Prop. 8.*


Quid enim hæc verba significant? Si *probabilius* hi docent peccare eum, qui moderatè eò tantum bibit, & comedit, ut capiat voluptatem; sequitur, ut *Sancius, Escobarius, & Perezius*, alique *probabiliter* oppositum sustineant, juxta monitum n. 18. & 19. Cumque sit omnibus notum, quanti sit apud *Casuistas*, & hunc ipsum *Vivam*, opinionem quampiam esse *probabilem*, cum eam tutò sequi liceat, & propè *Jansenismi* acusetur, qui casu rejicere auderet; qua ratione liberabitur à corpore damnationis hujus, quum oppositum censet esse probabile? Potissimum cum citato *Trutina* loco concludat: *Ut proinde nonnemo (tamquam quòd nec ipse, nec alius apertus Probabilista) do-*

T 2

cue-

(a) P.3. tract.3. resol.6.& p.11. tract. 8. resol. 35. (b) Tom.1. par.2. q.10. a. 1. n. 7. (c) Tract.2. exam. 2. n. 10 2.

cuerit, in hac thesi, in qua proscribitur **EXPLICITÈ**, quòd liceat comedere, & bibere ad satietatem ob solam voluptatem, proscribi etiam **IMPLICITÈ**, quòd liceat etiam moderatè comedere, & bibere, **directè** intendendo solum voluptatem. Adeò hic germanus damnationis sensus illi violentus videtur, ab ipsoque propterea attenuatur. Quin & thesim 9. damnatam ab eodem Pontifice inter alios citatos à Diana affixit (a) N. De la Cruz; cum tamen in allegato Diana legatur *Vera Cruz in speculo part. 3. art. 16. concl. 2.* qui fuit Presbyter secularis, *Alfonfus* nomine, Author libri, cui titulus *Speculum Conjug.* Nihilofeciùs hunc *P. Viva* statim commutavit cum Religioso Dominicano *Joanne de la Cruz*, Authore *Directorii*. Parcatur illi.



(a) In Prop. 9. damn. ab *Innoc. XI.* n. 1. (b) Opusc. de elem. cap. 1. dub. 3. nn. 25. ac 27. & c. 4. n. 14. (c) In trut. thesis 12. n. 1. (d) Epist. 7. n. 160. & seqq. pag. milii 371. (e) Tom. 2. lib. 1. in Decal. dissert. 6. cap. 13. pag. 46. (f) Tom. 4. Coord. tract. 7. resol. 12. n. 5.

ARTICULUS IV.

Charitati contraria.

§. I.

326 **C**Uique legenti *P. Vazquium* (b) compertum erit, proscripam Propositionem 12. totidem verbis reperiri in eo. Illam nihilofeciùs *P. Viva* de more abjudicat *Vazquio* (c). Dùm verò id contendit, lectoribus suadet minùs peritis, doctrinam *Vazquii* hoc de argumento sanam esse, cum revera falsa sit; allegatque textum *Vazquezii*, in quo damnatè doctrinæ Patronus adducitur *Card. Cajetanus*; sicut & à *P. Moya S. Antoninus*. Sed quàm alienus ab ejusmodi errore uterque sit; palàm fecit de isto *Dinellius* (d) ac de illo *Concina* (e). Certè *P. Diana*, *VAZQUII* inter alios autoritate concludit (f). Unde vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. HÆC *VAZQUEZ*: *Que quidem Confessarii divitum multum plausibilia erunt. Porro qui*

qui conferet *Diana* opiniones, quas adnotat quinque monitis, seu documentis, quæ vocat *plausibilia*, & lætitiæ plena, quæque sese excogitatillè gloriatur (a): *Qui eas, inquam*, opiniones conferat cum Evangelistarum, ac SS. Patrum doctrina, colliget, quantum discriminis, & manifestæ contrarietatis illas inter, & hanc interfit. Damnandos propter eleemosynæ omisionem divites, *Evangelia*, *Patresque* clamant. Nec culpam venialem divites perpetrare *Diana* docet, etiam si in communi necessitate nihil eleemosynæ largiantur. Quòd si tibi hæc non arridet opinio, *subdit*, satis esse, si divites *quid pauperi det*. Scripturæ verò Sanctæ præcipiunt, ut divites, qui multa bona habent, multum tribuant. *Demum*, ut scrupulos omnes è divitum animis evellat, superflua de medio tollit, doctrinamque, ab Ecclesia postea damnatam, ubique disseminat, pluriès repetens: *In Secularibus, etiam Regibus, vix inveniuntur superflua status.* Istius doctrinæ venenò suas respersit resolutiones. Videntur *Eraniſte* Epist. tom. 1. pag.

262. n. 7. Quantum exitii, quantumcumque malorum Author iste, similesque casuum Collectores in Catholicorum mores invehant, non est explicatu facile.

327 Quàm hæc *Diana* divitibus, similiter plausibilis erit ipsis, atque pauperibus illa *P. Sanchez* opinio de paupere, qui jus mendicandi in Urbe obtinuit, posse nempe hoc jus viro non pauperi locare. Quærens enim (b): *An qui habet licentiam Papæ, vel Episcopi ad petendam eleemosynam uno anno vel per se, vel per alium, ut sue necessitati consulat, possit hoc jus locare alteri pretiò aliquò?* Hæ sunt quæstiones, quæ in Patribus Sanctis discussæ non reperiuntur. Respondet: *Duplex est sententia. Prima dicit, NON posse: & teneri alterum restituere, quod acquiserit ultra pretium locationis, quod dedit, & suam sustentationem, vel illi, cujus erat licentia, si nondum consultum erat sua necessitati, si autem consultum erat, aliis pauperibus. Quia intentio Pontificis concedentis hanc licentiam non est, ut locetur. Sic Manuel Rodriguez... Corduba... Secunda sententia* **PROBABILIOR**

(a) Ibi resol. 8. (b) Lib. 1. Confil. cap. 7. dub. 2. n. 2.

dicit, POSSE: nec causari obligationem restituendi, quia expressio aliquo jure non prohibetur locare; nec fit inhabilis ad pretium locationis recipiendum, & locat illud jus, quod habet, estque contractus fortunæ, quò uterque lucri, & jacturæ periculo exponitur. Sic Enriquez.

328 Sanchezium loqui de divite, hoc est, de eo, qui non sic eget, ut mendicare cogatur, hic enim divitem appellamus eum, cui, ut vivat, opus non est mendicantem perpeti: de hoc, inquam, loqui, tam perspicuum est, quàm quod maximè, cum qui habet, unde pauperi solvat pretium locationis, is pauper dici non possit, neque eò mendicet, ut vivat, sed ut aliquid lucretur. Quod ipsum demonstrant extrema Sanchezii verba: Estque contractus fortunæ, quo uterque lucri, & jacturæ periculo exponitur. Quæ quidem significant, eum, cui pauper locat jus mendicandi, sibi retinere quidquid præter pretium locationis acquirat, atque adeò fraudem facere populo, à quo eleemosynam rogat, quâ certè non eget. Ira Sanchezii sententiam expo-

nunt duo Casuistæ, quibus neque possunt; neque Probabilistæ volent negare auctoritatem. Primus est De-Lugo, cujus hæc sunt verba (a): Dubitari potest, an si quis habeat licentiam Papæ, vel Episcopi ad petendam eleemosynam per se, vel per alios, ut suæ necessitati consulat, possit hoc jus aliis pretiò locare. P. Thomas Sanchez lib. I. Consil. cap. 7. dub. 2. n. 2. affirmat. Postquam autem eandem sententiam quatuor argumentis oppugnavit, concludit (b): Ultimò deniquè, & à priori, positâ tali locatione, non videtur adesse consensus sufficiens ex parte eorum, qui contribuere, & darent eleemosynas.... Quare si scirent, non perventuras esse eleemosynas ad dominium pauperis, sed ad alterum divitem, qui eas lucratur, nullò modò darent.

Alter est Patritius Sporer, qui descriptâ Sanchezii sententiâ, scribit hoc modò (c): Negat verò Lugo disp. 29. sect. I. n. 3. eâ potissimum ratione: quia est contractus iste justus sit inter locatorem, & conductorem; est tamen injustus contra Fideles eleemosynam dantes, qui

(a) Tom. 2. de Just. disp. 29. sect. 1. n. 3. (b) Ibi n. 8. (c) Tract. 6. in Decal. cap. 7. sect. 2. n. 23.

qui PAUPERI tantum volunt dare, & non huic conductori, qui pauper non est, ut supponitur. Ipse tamen affirmativam Sanchezii tenet, quia, inquit, eleemosyna etiam tunc datur pauperi mediatè, nam datur conductori solventi pensionem pauperi. Nonnè pauper æger per alium divitem petere eleemosynam valet?

Verum opinio hæc falsa est, & fraudis plena. Fraus etenim populo fieret, qui pauperi, non diviti eleemosynam dare se arbitratur. Dum pauper ægrotus per alium, etiam divitem, eleemosynam petit; verè eleemosyna pauperi, non diviti porrigitur, nullaque fraus occurrit. Cæterum dum pauper locat diviti jus mendicandi pactò pretiò, tunc dives conductor nomine proprio eleemosynam petit, & eidem datur. Prædicta opinio ordinem divinæ Providentiæ pervertit, quæ vult, pauperes patientiâ, humilitate, ac verecundiæ tolerantia stipem sibi comparare. Quinam pauperes isti, qui redditibus vivunt? Sed opinio hæc contemnenda, non refellenda est, maximè quòd, si praxim spe-

ctes, chimærica apparet. Quis enim est, qui jus mendicandi à paupere conducere velit, nullà egestate pressus? Nemo sanè, nisi aut avarus, aut veterator, aut aleator, & projectæ frontis homo.

§. II.

329 **E**St sanè licitum, inimicis, & quibusque peccatoribus aliquod malum temporale optare, ut corrigantur à criminibus suis, ut desistant ab aliorum infestatione, & oppressione: idque Scriptura Sancta (a) confirmant; exponitque D. Angelicus (b). Cavendum tamen, nè hinc ansam nobis illudendi arripiamus, imprecandi scilicet inimicis nostris privatis supplicia, ipsamque mortem, ut mala, quæ nobis ex illis evenire pertimescimus, evadamus. Livor quippè sensim sine sensu serpit, & facillimè variis coloribus occultatur, & sub alienæ utilitatis, bonique spiritualis forma suas exurit flammæ. At modò non est nobis colluctatio adversus odium, seu maledicentiam inimicorum, sed adversus

T 4

RR.

(a) Psalm. 6. v. 11. Ad Galat. 5. v. 12. Apoc. 6. v. 10. (b) In 3. sent. dist. 30. a. 1. ad 4. & 2. 2. q. 83. a. 8. ad 3. ac q. 76. a. 1.

RR. Theologos plures, qui præcisionibus nimium indulgentes, non pauca commentati sunt, quæ evangelicæ Charitatis (quæ plus debet diligere quisque amicos, quam inimicos; & propinquos, quam extraneos) imò ipsi naturali benevolentia repugnant. Quo de argumento sunt Propositiones 13. 14. & 15. censurata notata, quæ ex illorum opinionibus decerptæ videntur, nunc propterea indicandis.

330 P. Tamburinus ejusmodi quæstiones proponit (a): *An possit Filius mortem Patris optare, vel de illa gaudere, non ut malum Patris (hoc enim esset odium execrandum) sed ut ipse Filius paternam hereditatem fruatur? An mater posset desiderare mortem filia, nè illam alere, vel dotare cogatur? An possit subditus mortem cupere sui Prælati, ut prælatura ipse succedat, vel ab eo Prælati sibi infenso liberetur? Et similia. Si solum desideres, vel cum gaudio excipias ejusmodi effectus, hereditatem, molestiam carentiam, prælaturam, &c. facilis est responsio: licite enim hæc optas, vel amplecteris, quia non gaudes de alterius malo, sed de proprio bono. Rursus, si deside-*

res sub conditione, facilis item est responsio, licite posse. Si quis enim hunc actum eliciat: SI MEUS PATER MORDERETUR, EGO HEREDITATE POTIRER: SI FILIA MEA OCCUMBERET, EGO MOLESTIAM LIBERARER; & gauderet tunc ille, non de Patris, vel Filie morte, sed de hereditate, deque carentia molestia, culpam odii non committeret. Porro Charitas non gaudet super iniquitate. Quæcumque injusta sunt, odio habet: dolet, si proximus quid mali & injusti faciat, vel patiat, si injuriâ afficiatur, vel opprimatur. Conditio, quæ contrariis affectibus apponitur à Tamburino, palliolum est iniquitatis.

Intellectus unum ab altero objecto præscindit, abstrahit; voluntas, cæca facultas cum sit, in ipsam rem ut est fertur. Desideria ea objectivè conditionata sunt, subjectivè absoluta. Mors Patris, & cujuscumque proximi, ob meum privatum emolumentum concupita, suapte natura res turpis est. Nec officit, quòd subdit, desiderium istud, non ex personæ displicentia, aut ex odio proficisci, sed ex bono temporali quod mihi obvenit. Quoniam si ex odio

ori-

oriretur, duplici titulo malum esset. Quòd sanè sit ob bonum; quòd inde evenit, peccatum est contra Charitatis ordinem, quem perturbat. Malitia ergo ejusmodi affectuum confurgit ex perverso ordine Charitatis. Pergit Tamburinus (a) adjiciens: Denique: *si absolutè desideres in hunc modum: CUPIO MORTEM PATRIS, NON UT MALUM PATRIS EST, SED UT BONUM MEUM, SEU UT CAUSA MEI BONI, NIMIMUM QUIA EX ILLIUS MORTE EGO EJUS HEREDITATEM ADIBO: Vel sic: UTINAM MORDERETUR MEA FILIA; NAM SIC SENCENTAS SOLLICITUDINES EXCUTIAM, &c. Si, inquam, sic desideres, major est resolvendi difficultas: quia tunc eligis velle malum illis, quamvis ut causam tui commodi; quòd non videtur culpam vacare. Et ita quidem putat Bonacina.*

331 Sed hac Bonacina opinione missa, in qua sibi metipsum adversari eum contendit, opinionem amplectitur P. Castropalai (b); quihæc habet: *Nilominus credo, si cum debita moderatione facias, te posse absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illamque inefficaci*

affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum inde secutum. Sic docere videtur Emmanuel, Sæ verb. CHARITAS in utraque editione num. 8. Ubi absolutè dicit, te posse proximo optare malum corporale ad salutem animæ, & mortem ob Reipublicæ bonum & honestum, & Hosti, tibi alioqui valdè nocivo, mortem, non odio, sed ad vitandum damnum tuum; item de morte ejus gaudere ob bonum inde secutum. Azorius, & Bonacina tom. 2. disp. 3. circa 1. Decal. præcept. quæst. 4. punct. ult. §. 7. n. 7. affirmant, licere matri mortem filiarum optare, eò quòd ob deformitatem, vel inopiam non possit eas juxta suum desiderium nuptui tradere: Et idem esse dicunt, si ob illam causam malè tractaretur à marito; posset enim illarum mortem optare, ut ab illo damno liberaretur. Consentit ei Joannes Sanchez, qui sic inquit: LICITUM EST optare sibi, vel proximo mortem ob vitandam molestam infirmitatem, mendicitatem, vitam pœnalem à marito infligendam, & alia hujus generis; dummodò desideres ut à Deo infligendam, non ab homi-

ne

(b) Lib. 5. cap. 1. §. 3. n. 29. & 30.

(a) Ibi n. 31. (b) Tom. 1. tract. 6. disp. 4. punct. 1. n. 11.

ne injustè, vel Dæmone. Ratio est, quia hujusmodi desiderium, & gaudium de malo proximi, non tam est desiderium, & gaudium de malo illius, quàm de bono indè secuturo: ergo non habet malitiam; quia illam habere non potest, nisi finis illius malus sit, cum tota species actus inefficacis ex sine desumatur.

332 Hæc omnia excipit & ipse Tamburinus, qui Bonacinam in sententiam Castropalai pertrahere studet, & tandem his verbis concludit: *Ex quibus vides, opinionem Castropalai (quæ est ipsissima, & iisdem terminis concepta, ac Prop. 13. proscripta, cujus sunt velut consecraria, & quidem horrentiora, 14. & 15.) esse satis probabilem.* Hanc eandem *P. Viva (a)* tribuit opinionem *Mendo, Oviedo, & etiam Cajetano.* Sed locum non citat, uti debuerat, ubi similia *Cajetanus* doceat; absdubio quia Lectores sibi cavere nihil habent. Proscriptam hanc *Castropalai* sententiam ex professo defendit *Moya (b)* per hæc verba: *Quamvis plures, & gravissimi Doctores sentiant, desiderium inefficax mortis alienæ ob utilitatem propriam, v. g. ob hereditatem capiendam, vel ob*

alia motiva longè minoris momenti vitæ proximi, esse peccatum mortale.... Nihilominus contraria sententia est mihi probabilior.

Jure itaque, ac meritò proscripta est præfata doctrina, utpote Charitati Evangelicæ, atque filiorum pietati in Parentes, & Parentum amori in filios, filiasque infesta. *Charitas Christi non cogitat malum; & Charitas, quam isti excogitarunt, optat, nedùm cogitat malum, de quo gaudet, sicut & tristatur de bono.* Quæ major impietas, quàm quæ mortem illis Parentibus cupit, à quibus filii vitam susceperunt? *Quid magis Sacramenti matrimonialis fini, qui propagatio prolis est, adversatur, quàm ejusdem prolis mortem desiderare?* Adversum hæc impia, & inhumana desideria ipsius naturæ vox inclamat. Clamat Charitatis ordo, qui perturbatur, dum proprio temporali emolumento vitam proximi postponimus. Hic namque ordo exigat, ut vitam proximi nostri nostro commodo temporaneo præferamus. *Quid plura? Nonnè Charitatis præcepto urge-*

ip-

ipfos diligere? Quis porrò est, qui vitam sibi eripi vellet ob aliquod temporale emolumentum, vel ex ebrietate? Eadem ergo Charitate abstinendum nobis est ab impio desiderio paternæ mortis, & cujusque proximi, gaudioque in ebrietate à se perpetrata.

§. III.

333 **P.** *Tamburinus*, ut sibi in suis confet sententiis scribit (a): *Inquires secundò: an sicut aliis, ita sibi ipsi possit quis, modò dictò, malum optare, v. g. mortem ad ærummas vitæ hujus evitandas? Respondeo: ita, propter easdem rationes: quia tunc bonum sibi optat, non malum. Ita Vazquez, Sà, Turrianus, Navar. apud Bonac.... Sunt apud nos non pauci rudes, qui tamquàm de mortali se accusant, sibi mortem optasse, quò incommoda vitæ hujus effugiant. Ejusmodi pœnitentes, eorumque Confessarii sunt admonendi: illi, ut conscientia erroneà liberentur; hi, ut sollicitiores sint in docendis pœnitentibus. Nam profectò admirans sæpius adverti, aliquos solitos frequentissimè conteri, hac erronea conscientia laboraf-*

se. Deus immortalis! Numquamnè Confessarius sibi scrupulo vertit, se teneri ex Charitate, ex officio, Doctoris munus erga pœnitentes exercere? Medicus est Confessarius, Judex, & Magister.

Audisnè admirationem, exclamationem, zelumque tonantem? *Concine* verbis utor. Vix unquàm tam acriter in vectos est in Confessarios ipfos, qui fornicarios, adulteros, inveteratosque concubinos nullo delectu ad sacramensam admittunt. Rudes ergo dedocendi sunt, nè optatæ sibi mortis confiteantur culpam? Instruendi, ut hunc à se errorem pellant? Sed hanc conscientiam rudes edocuit lumen super eorum vultum à Deo signatum. Nos igitur doloris lachrymas effundamus super verum stuporem, & quasi dixerim stupidam admirationem, qua percellitur *Tamburinus* in Confessarios, qui tandem aliquandò non expergefiunt, ut partes impleant suas & Charitatis, & justitiæ, instruendo rudes Fideles, admonendoque, licitum illis esse sibi optare mortem, ut molestias, angustias, penuriamque istius vitæ evitent.

Hæc-

(a) *Viva* cit. ibi n. 33. (b) *Tom. 1. tract. 6. disp. 6. q. 5. §. 2. n. 8.*

(a) *Loco cit. num. 34.*

Hæcne evangelica doctrina, quæ nos ad fortitudinem, patientiam, & constantiam in angustiis, in tribulationibus hortatur! Si mors optanda & nobis, & parentibus, & filiis est fugiendi mali causâ, ubi patientiæ Christianæ vestigium? Ubi evangelicæ fortitudinis virtus? Ubi ad divinam voluntatem, supremamque providentiam conformatio?

334 Excusatione digni videntur *Tamburinus*, & *Castropalaus*, Viri alioquin acuti, qui ante proscriptas theses, suas cuderunt opiniones. Verùm quod admirationem ingerit, est quòd *P. Viva* adeò extenuare videatur earum sensum, ut plures promat, in quibus innoxia sint. *Primum*, licitum nobis esse ait (a) de malo temporali alicujus gaudere, quum inde majus Reipublicæ bonum provenit. *Secundò*, licitum esse mortem alicujus optare ob bonum spirituale, quod indè sequitur, vel ob ingens Reipublicæ temporale emolumentum. Quæ duo non improbo. *Tertiò* docet, licitum esse ad conservandam vitam propriam, cupere mortem alterius, non

valdè utilis Reipublicæ, puta inimici, seu injusti aggressoris. *Quamvis enim hujusmodi affectus*, inquit, *non vacent sæpè veniali culpa, præsertim si sint absoluti, & solum implicitè conditionati; nihilominus, si cum hac debita moderatione ponantur, possunt citrà culpam mortalem exerceri.* PROPOSITIO

DAMNATA NON EXIMIT HOS AFFECTUS A CULPA VENIALI, SED TANTUM à culpa mortali, Quantum hæc distent à proscripta thesi, judicent cæteri. Quæ subdit, majorem ingerunt difficultatem: *Hac etiam de causa* (sunt illius verba) *potest aliquis citrà mortale optare sibi mortem ad evadendam vitam, quam experitur morte ipsa amariorem.... Ecce quomodò possimus licitè mortem aut aliis, aut nobis optare cum debita moderatione, videlicet, aut ob bonum spirituale, AUT ETIAM OB BONUM TEMPORALE, quod sit vitâ longè præstantius; non tamen ob quodcumque temporale emolumentum, ut sonant verba propositio- nis proscriptæ.*

Hæc, quæ absque varietate vel unius vocis decerpta sunt ex *Castropalao*, non sonant, absolutè cupiendam esse mortem aut propriam, aut

al-

alterius ob quodcumque temporale emolumentum, sed cum debita moderatione. Imò limitata sunt ad solum affectum inefficacem. Interpretes verò absolute ultimo loco de appetitu propriæ mortis loquitur. Hæc videtur opinio desperationi Christianorum, qui tribulationibus & calamitatibus concutiuntur, viam parare: patientiam, fortitudinem, constantiam in periculis, in angustiis extinguere, ac ad divinam voluntatem conformationem tollere. Illud bonum temporale, quod sit vitâ longè præstantius, non explicat. Loquitur tamen de bono privato, cum antea meminerit boni publici. Quodnam autem sit bonum temporale privatum præstantius vitâ, non video.

§. IV.

335 **H**ic tandem præmittenda non est in finem Charitas erga inimicos, quam indigitavimus suprâ. *P. Marcus Vidal* enim alienam hac de re tradit doctrinam, namque sic scribit (a): *Licet Doctores communiter asserant, injuriâ affectum*

aliquandò teneri particularia dilectionis signa inimico exhibere, tum ob evitandum scandalum, tum etiam quandò ex tali signo exhibendo speraretur probabiliter salus spiritualis inimici: quia si fratrem errantem corrigere debemus, si spes adest illius emendationis, ut illum Domino lucremur: ergo ut inimicum Deo & nobis reconciliemus, jure cogimur ad eum v. g. salutandum, siquidem spes probabilis adest lucrandi illum salutatione nostra. Nihilominus ego ipse neutrum admitto, neque concedo. Primò quòd scandalum grave: quòd his temporibus ferè numquàm intervenit, cum quasi apud omnes in praxi habeatur non salutare inimicum, neque cum illo loqui; aliàs vix conscientis! Quò verò ad secundum dico: sicut ego ipse.... non teneor sub mortali providere salutis spirituali proximi, citrà extremam ejus necessitatem, cum meo gravi damno temporali.... Ita neque etiam teneor cedere honori meo, & famæ (quæ sunt bona superioris ordinis, quàm sunt temporalia) sub mortali, ut proximi spirituali vitæ provideam extra necessitatem extremam.... Sed si quis teneretur exhibere inimico signa di-

(a) In Trut. Prop. 13. 14. & 15. *Imoc.* num. 3.

(a) Arca de Præcep. Char. inquis. 1. nn. 56. 57. & 58.

dilectionis spiritualia, quandò his signis speratur ejus salus spiritualis, etiam teneretur cedere honori suo, & fame citra extremam necessitatem. Quibus duo imponit Christianæ Religionis cultoribus: Alterum scilicet, quòd quasi in omnibus obtineat mos denegandi salutationem inimicis; & alterum, quòd fiat honori, ac famæ jactura, dùm his officiis inimicos amplectimur, ut eorum æternam lucremur salutem. Quis Ethnicorum tam impudenter desipuerit?

Sed rursus sunt ejusdem corollaria istæ duo (a): Colligitur primò: lesum non teneri sustinere injuriam, & illam remittere, quandò id necessarium videtur ad reprimendam inimici audaciam: præcipuè cum id fiat in bonum ipsius inimici. Colligitur secundò: viventes simul in aliquo Collegio, vel in aliqua Religione, posse absque labe culpæ mortalis denegare simul signa particularia amoris, nempe salutationem, allocutionem, & his similia. Profectò brevitatis temporis, levitasque dissidii, & aliæ circumstantiæ possunt interdum à gravi excusare culpa. Qua in re Tam-

burino (b) assentiar, cui de more subscribit Sporer (c), qui de binis illis religiosis scribit: Excusari à mortali tunc possent... quandò comperta esset horum probata virtus; & rixæ, ejusque causa, quam alii sciunt, fuisset levis: unde judicentur, non ex odio gravi, sed ex levi quadam passione, vel in significationem accepti gravaminis, & injuriæ moveri ad omittendam salutationem. At P. Vitalis, ut levem prædictorum Religiosorum judicet culpam, nec dissidium leve, nec levem ejusdem causam, nec alia ejusmodi, quæ levitatem culpæ significant, requirit; quin, nequè probatam illorum virtutem: quæ una suspecta mihi evaderet vel ex hoc, quòd mutua ea consueta officia prætermitterent; & satis insufficiens ad purgandam à crimine talem omissionem.

336 Verùm nè miremini super doctrina & responsis P. Vitalis; qui anteambulonum suorum vestigia premens, scribit (d): Quinta conclusio: Licetum est, servato tamen ordine & forma, optare alteri malum temporale ob honestum finem.

nem consequendi aliquod bonum temporale.

Colligitur quartò: posse licitè alteri imprecari malum temporale ex motivo tantum propria, vel alienæ utilitatis, ut est optare alicui infirmitatem, nè ludo omnia dissipet, aut mortem ob vitandam inopiam, vel molestam infirmitatem, aut vitam pœnalem, & hujusmodi.

Colligitur quintò: posse licitè optare mortem alicujus, & de illa gaudere ob hereditatem habendam.... Nam objectum hu-

jus actus non est malum, sed est commodum ex morte consequens, quod est bonum, & conforme rectæ rationi, ut supponitur. Unde mors ipsa conducens ut medium ad tale commodum, & sequens ex causis naturalibus, erit quid bonum. Et illud malum: non sunt facienda, si ve cogitanda, aut desideranda mala, ut eveniant bona? Error in principio, maximus in fine. Probabilissimi novitas talia cogit moliri benignitatis.

QUÆSTIO V.

DE SIMULATIONE.

Quæ pertinet ad Prop. 24. 25. 26. 27. 28. & 29. ab Innocentio XI. confixas.

ARTICULUS I.

Simulantia verba.

§. I.

337 **Q**uamoptimè Tullius dixit (a): Fundamentum justitiæ est fides, id est, dictorum, conventorumque constantia, & veritas. Ut enim D. Angelicus docet

(b): Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id, sine quo societas humana servari non possit. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent; tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus. Ratio itaque, ac æquitas postulant, ut verbis, signisque exterioribus, quæ sunt ex hominum communi consensu

(a) Ibi nn. 87. & 88. (b) Lib. 5. cap. 1. §. 3. n. 13. (c) Tract. 2. cap. 6. sect. 2. n. 30. (d) Inquis. 2. n. 46. 67. & 66.

(a) De Offic. lib. 1. cap. 9. (b) 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1.

instituta ad conceptus animi interiores exprimendos, cæterisque prodendos, hi correfpondeant, istoque medio intelligi detur sensus is, qui à nobis exquiritur. Aliter, si cuilibet verbis ad libitum uti, adhibereque sensum, quem plùs fert animus, liceret; nonnè evidens est, humanam societatem in destructionem penitus abituram? Nihilofeciùs debitum illud, quod aliquo modo attendit virtus veracitatis, tamquam civili commercio prorsùs necessarium, moderni Casuistæ diruunt omninò æquivocorum usu, atque restrictionum mentalium, quem licitum volunt adstruere. Juxta *æquivocorum* principium quivis potest quasdam adhibere expressions duplicis sensus, quorum naturalior & obviior sit falsus, & in quo prævidet, ac tamquam certum habet, se captaturum in audientem, istumque deceptum fore remansurum: quò proindè pactò dividere propositionem, absolutè falsam modò quo exprimitur, quia vera fit cujusque additamento rei, quæ retinetur in mente, ac foràs non emittitur. Et ad hæc capita revocantur cuncti alii commenti modi ad

veritatem recondendam, efficiendumque, ut alter credat id, quod reapse falsum est, & contrarium ei omni, quod scire tentat.

His principiis traditis, atque tamquam tutis ab innumerabili Casuistarum multitudine habitis, nulla est assertio, quantumvis sit animi sensibus repugnans, quæ in humano commercio adaptari nequeat, & coram Judicibus & Magistratibus, atque confirmari etiam subscriptione, ac juramento. *Juramento*, inquam: quia eò progressi sunt, ut non modò permitterent hominibus æquivocorum usum, & restrictionum mentalium, verùm etiam artificiosarum istarum expressionum fraudulentarum confirmationem invocatione magni, terribilisque nominis Dei, dum veritatem abdunt: adeò ut quod fidei humanæ est anchora firmior, atque stabilior; strictius societatis politicæ, ac veritatis sacrosanctius vinculum, justitiæque, atque medium extremum, ab omnium Orbis hominum consensu repertum, ut vacuo molles stent pectore curæ de veritate, placidaque securitas à falsitate, ac dolo; servire juramentum faciant

ciant maximè ad confirmandas fraudes, stratagemata, elusiones, duplicitates, verbo dicam, impudentiora mendacia, quibus fide abutuntur, justorumque simplicitate tam in privatis commerciis, quam in Tribunalibus publicis. Hæc per hyperbolem nè videantur dicta, textus ipsos Casuistarum pangam.

338 Exordiar à *P. Thoma Sanchez*, qui *Princeps Theologorum Moralistarum* audit. Quamvis enim ante eum alii doctrinam pessimam æquivocorum, & restrictionum traderint; illorum nullus tanti fuit antea pretii, qui præfata adeò ampliaverit doctrinam, dilataverit, casibusque particularibus adhibuerit. Binas tantum conditiones ad earum apponit usum: *Primum*, quod motivum sit rationale; *alteram*, quòd loquentis intentio non sit ad fallendum proximum directa. Sed utraque ridicula, atque vana. Quis enim ille est, qui restrictionibus, & æquivocis verum studiosè velit abscondere, quando nullius sibi nocimenti est, commodi, aut voluptatis pandere illud apertè? Nonnè contradicit opus

verbis; quum volunt, & eligunt quod ab alterius deceptione est inseparabile? V. g. videt casum quis alterum perpetrantem actu & re ipsa homicidium; & tamen testatur, atque jurat ante Judicem, aliumve, *non vidisse*, intelligendo intra se, *non vidisse ad manifestandum*, sive *dum erat in cunabulis*: nonnè verum habet, sese agnoscere optimè, captionem, quam abscondit, apprehensuram Judicem, hòcque fine uti restrictione, quæ eum credere faciat, non vidisse se homicidium, ipsumque sic eludat?

Sanchius itaque regulam condit (a) sequentem: *Prima regula sit: Quoties verba sunt significatione sua ambigua; pluresque sensus admittentia, nullum est mendacium ea proferre in sensu, quem proferens ex illis vult, & concipit, etsi audientes, aut is cui juratur, in alio sensu accipiat: etsi nullà justà causà ducatur proferens. Possunt quoque absque mendacio ea verba usurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed*

V

tan-

(a) Lib. 3. in Decal. c. 6. n. 15.

tantum verum sensum reddant ex aliquo addito, MENTE PROFERENTIS RETENTO, quodcumque illud sit. Ut (en in terminis ipsam damnatam propositionem 26.) si quis, vel solus, vel coram aliis; sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis gratia, sive quocumque alio fine, JURET, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo INTRA SE aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; re vera non mentitur, nec est perjurus. Navar. Valent. Salon, Toletus, Suarez, Lessius, &c. Et subdit (a): causa verò justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio conseatur tunc expediens, ac studiosa. Hæc pariter est eadem 27. condemnata.

339 Et concludit (b): *Ex his deducitur primò, testem non juridicè interrogatum de aliquo delicto, posse respondere, SE NESCIRE, intelligendo intra mentem, ita ut teneatur dicere: quamvis id verè sciat, quia*

vidit. Verùm si interrogatio facta fuerit juridicè, poterit is uti etiam præfatis æquivocis? Respondet: Potest testis prædictis æquivocationibus uti, etiamsi aliàs juridicè rogetur, quotiescumque non teneatur ob aliquam causam ferre testimonium, ut quia notabile damnum ipsi sequeretur &c. Quia cum, eà causâ excusante, non teneatur; verè dicit, SE NESCIRE, NON VIDISSE, NEC AUDIVISSE, intelligendo, ITA UT DICERE TENEATUR.

Secundò deducitur, reum non legitimè interrogatum de proprio delicto, quod fecit, posse respondere, SE NON FECISSE ILLUD, intelligendo intra se, EO MODO, QUO JUDEX INTERROGAT, nempe, ut SUBSTAT ILLI JUDICIO.... Addunt bene Navar. Toletus, Sairo, Leonardus, & Philiarchus, posse dicere, SE NON FECISSE, intelligendo intra se, IN ALIA DIE AB EA, IN QUAFECIT. Imò & bene VALENTIA ait, posse intelligere QUODCUMQUE ALIUD ADDITUM, SOLA MENTE CONCEPTUM, quo id reddatur verum. Item licebit respondere, SE NON OCCIDISSE PETRUM, intelligendo, ALIUM EJUSDEM NOMINIS, vel etiam eundemmet, intelligendo, ANTEQUAM

NAS-

NASCRETUR. Similiter, subdit (a), Reus potest uti æquivocatione, quando extractus est ab Ecclesia: quia tunc Judex non habet jus interrogandi, & procedendi. Ita Sotus.... Similiter quando Judex interrogans est excommunicatus, denunciatus, &c.

340 Hinc decernit (b); *Quando reus injustè occultos socios detexit, aut testis injustè crimen Rei occultum coram Judice prodidit; si non sit sufficiens aliunde informatio ad procedendum contra eos socios, aut illum Reum, possunt Reus, & testis ille se offerre coram Judice, & jurare, illos non fecisse id delictum, intelligendo, ITA UT ID DELICTUM SUBSIT ILLI JUDICIO: & falsum dixisse, intelligendo, QUATENUS FALSUM FUIT, ID DELICTUM EOS FECISSE PUBLICÈ, ITA UT SUBESSET ILLI JUDICIO. Quis non viderit latam portam ad illudendum, non modò privati, sed & publicorum Judicum interrogatoria? Audiens præcipuè, quæ adjecit ipse Sanchez, suis stabilitis principiis semper innixus: Tertio deducitur (ait): Quoties factum exterius contra legem, excusatur à culpa ratione aliqujus circumstantiæ, posse rogamum juridicè de illo factò, id*

negare intelligendo, de factò CRIMINOSO. Quisquis ergo vel à semet, vel à Confessario, vel ab alio, quem existimat doctum, esset persuasus, culpabile non esse homicidium insidiantis suo aut honori, aut bonis, & etiamsi Regicidium foret: poterit ad judicium vocatus negare intrepidè, vel solemniori juramento, occidisse, intelligendo intra se, non commisisse occisionem culpabilem, seu factum criminiosum? Pergit SANCHEZ: Ob eandem rationem, quando taxa alicujus rei est injusta, si pluris vendens, aut defraudans in pondere & mensura, ita ut sibi satisfaciatur pro pretii injustitia, & reddat correspondentes merces pretio dato; potest hic interrogatus à Judice, AN PLURIS VENDIDERIT, VEL DEFECERIT IN PONDERE, AUT MENSURA? Id negare, & asserere, SE PRETIO TAXATO VENDIDISSE, ET INTEGRÈ PONDUS ET MENSURAM TRADIDISSE, intelligendo hæc, ITA UT PLURIS VENDENS, AUT DEFICIENS IN PONDERE ET MENSURA DELIQUERIT. Atque ad hoc satis est, opinionem esse PROBABLEM, eam taxam non obligare.

En consecutionem ejusdem

V 2

al-

(a) Ibi n. 19. (b) Ibi nn. 23. 24. & 26.

(a) Ibi n. 27. (b) Ibi n. 28. & 29.

alteram (a): *Quintò deducitur, eum, cui licitum est aliqua bona abscondere, eò quòd illis ad vitam sustentandam egeat, nè à Creditoribus capiantur, & sic cogatur mendicare, posse rogatum à Judice jurare, SE NULLA BONA HABERE. Atque idem possunt jurare id scientes, dummodò ipsis constet, licitè eum abscondere ad hunc finem, intelligendo secum, NON HABERE BONA ABSCONDITA, QUÆ JUDICI MANIFESTARE TENEANTUR.*

341 Haud levis sunt momenti quæ sequuntur. Sextò, inquit (b), *deducitur: Quoties quispiam à cujusvis debiti obligatione liber est, posse rogatum à Judice de illo, id negare, intelligendo intra se, ITA UT DEBEAT.... Quoties sive verè, sive fictè promittens matrimonium, immunis est ob aliquam causam ab implendi obligatione, posse eum à Judice vocatum jurare, SE NON PROMISSISSE, intelligendo, ITA UT TENEATUR IMPLERE. Quod diximus, procedere non tantum, quandò est certa causa non implendi, sed etiam quoties Sapientum iudicio est PROBABILE non teneri. Quia (ratio clara in systemate probabilistico) potest ample-*

Etendo opinionem PROBABLEM, existimare, se tutà conscientia non obligatum.... Et eadem ratione Clericus rogatus à Custodibus, AN ALIQUA PORTET, eo fine ut gabellam solvere compellatur; potest jurare, SE NIHIL PORTARE, intelligendo, EX QUO GABELLAM DEBEAT.... Et idem credo, quoties laicus aliqua portat, aut habet, aut vendidit, ex quibus gabellam aliquà ratione non debet, aut non debet integram, juxta PROBABLEM opinionem. Potest enim juramentò rogatus negare, se habere, portare, vendidisse, sive eam solam quantitatem, ex qua gabellam non debet, intelligendo intra se, ITA UT EX ILLA DEBEAT, ut benè notat Suarez, &c.

Octavò deducitur, venientem ex loco minimè peste infecto, qui falsò infectus creditur, rogatum à custodibus Urbis, veneritnè ex eo loco? posse jurare, se ex eo loco non venire, intelligendo, TAMQUAM EX LOCO PESTILENTI. Atque idem benè docent Sylves. Azor, &c. quandò adeò celeriter transit per locum peste infectum, ut nihil eum pestis attigerit; potest enim jurare, se illac non transisse intelligendo, ITA UT ALIQUID

MA-

MALI EX LOCI PESTILENTIA CONTRAXERIT.

Decimò deducitur, si per injuriam extorqueatur promissio jurata alicujus pecunie danda, licere juranti uti hac equivocatione: JURO, TIBI NUMERATURUM PECUNIAM, intelligendo ut ille casus TIBI regatur à verbo JURO, ut sit sensus, TIBI JURO. Similiter non esset plusquam veniale mendacium dicere URO, ablata I, cum nihil verè urat. Imò credo nullum fore mendacium, si illud verbum, URO, accipiatur MATERIALITER ad nihil significandum, sicut diximus.

Undecimò deducitur, coactum aliquam accipere in sponsam, quam ducere non tenetur, posse jurare, se accepturum, intelligendo intra se, SI TENET, vel, SI POSTIÀ PLACUERIT MIHI: Constat ex dictis, & docet Toledo. Idem intelligo de muliere non cohabitante viro, eò quòd conscia sit adulterii viri, ac proindè justam diwortii causam habet; quippè jurare compulsa, se viro cohabitaturam, potest id jurare, intelligendo intra se, SI AD ID TENEOR.

342 Sed & quid poterit respondere Marito interroganti adultera, an patrarit adul-

terium? benè multa, etiam cum juramento. *Decimo tertio, subjungit (a), deducitur, adulteram rogatam à Marito, AN ADULTERIUM ADMISERIT, posse jurare, SE NON FREGISSE MATRIMONIUM; quia adhuc matrimonium integrum, ac stabile perseverat; quamvis vir ea verba in eo sensu percipiat, ut fidem tori non violarit.... Negat autem Sotus, licere illi negare adulterium, conspiendo intra se aliam rem ab ea, IN QUA ID ADMISIT. At tenendo nostram sententiam, num. 14. relatam, VERIUS EST ID LICERE.... Similiter potest jurare, se non fecisse, intelligendo, UT TIBI REVE-*

LEM.
En quot evadendi modos illi suppeditat benignitas Casuistica. Verùm si contingeret, quòd interrogans nitretur, sua petitione excludere illam ipsam æquivocationem, quâ utitur persona interrogata; eritnè vel tunc evasioni locus? est fanè, respondet benignissimus Sanchez (b): *Tandem id observandum est; quoties licitum est ad se tuendum uti aliqua æquivocatione, id quoquè erit licitum, etsi interrogans urgeat excludens illam æquivocationem. V. g. Iniquus*

V 3

Ju-

(a) Num. 31. (b) Num. 32, 35, & 37.

(a) Ibi n. 41. (b) Ibi n. 45.

Judex interrogat testem, AN SCIAT DELICTUM, SIVE PUBLICÈ, SIVE OCCULTE? *Potest testis respondere*, SE NEC PUBLICÈ, NEC OCCULTE SCIRE, intelligendo, ITA UT TENEATUR DICERE: ut docet Sotus et si aliquantulum dubius. Et cum promptuario Authorum subdit: *Atque idem docent de Reo, qui rogatus de delicto secreto, urgetur ut dicat, sive fecit publicè, sive occultè, sive ipse Judex juridicè roget, sive non, dicentes posse adhuc respondere*, SE NON FECISSE, intelligendo, NON UT INIQUITATE TUA ROGAS, SED UT TENERIS TAMQUAM JUDEX ROGARE.... *Atque idem docent de rogato à custodibus*, &c. nempè, posse hunc respondere, NON VENIRE.... *Idem censeo, quantumcumque reduplicet iniquus interrogator, ut juret, se nulla æquivocatione uti, & absque omni prorsus æquivocatione id intelligere: adhuc enim id jurare potest, intelligendo, ITA UT PLANÈ DEBEAT LOQUI, ET EXPLICARE, vel aliquid aliud mente concipiendo, quò verum id redatur.* Concludit tamen (a): *At oportet, ut utens quacumque ex dictis amphibologiis intendat sensum, quem verba verè pos-*

sunt habere: Et sic opus est, ut sciat, se in aliquo vero sensu posse dicere, quamvis in specie illum ignoret. Ita Suarez, &c. At sat erit, ut intendat sensum, quem doctus vir illi consultit, aut intelligit. Vid. Eraniſte (b).

Hæ, similesque doctrinæ, atque exempla sunt hoc de argumento apud Sanchezium. Quorum praxi, existimata probabili propter illius auctoritatem, aliorumque ab ipso laudatorum; nemo non videt, abire in derisum, & in similitudinem improprii auctoritatem Tribunalium, & juramentorum religionem. Quid, si Sanchezio annectas sectatores suos?

§ II.

343 **P.** *Castropalaus*, cellor si meriti Author inter Probabilistas; horum tenens generalem doctrinam (c) ait: *Si aliqua causa honesta occultandi veritatem intercedat, qualis esset, si ad tuam, tuorumque salutem, honorem, rem familiarem tuendam conveniret occultatio veritatis, aut si conveniret, nè an-*

nueris interroganti; nullam culpam committis sic amphibologicè jurans.... Quod verum habet, tametsi non rogatus jures, sed te offeras ad jurandum; si tamen jurandi, occultandique veritatem honesta causa intercedat. Laudat pro hac doctrina Toledum, Suarez, Valent. Less. Navar. Sanchez, & Bonaciam. Exemplisque firmat sequentibus: Rogatus de delicto quod saltèm sub opinione PROBABI non teneris manifestare, vel ex eo quòd non juridicè rogaris, vel ex eo quòd tibi grave nocumentum ex manifestatione proveniat, negare poteris fecisse, subintelligendo, IN CARCERE, vel, AD DICENDUM. Rogatus, an promiseris Matrimonium, à cujus obligatione SECUNDUM OPINIONEM PROBABLEM immunis es; jurare poteris non promisisse, subintelligendo, UT TENEARIS. Exemplus PROBABILITER à gabella solutione, jurare poteris, non portare talem, aut talem rem, estò portes, subintelligendo, ITA UT GABELLAM DEBEAS. Sancheziique monitum adjungit: Pro supradictis, inquit, est maxime advertendum, utentem aliqua ex dictis amphibologiis debere scire saltèm in genere, se posse abs-

que mendacio veritatem tegere. Non tamen opus est, in particulari cognoscere modum, quo debet tegi. Quocirca, si intendat jurare eo sensu, quo vir doctus verum reperiet, & sciat, verum reperiri posse, sufficet ad excusationem. Et concludit (a): Etiam si rogans omnem æquivocationem vellet excludere, & ultrà de re facta PETAT JURAMENTUM de calumnia, exigatque JURAMENTUM DICENDI VERITATEM SINCERE ABSQUE ULLA ÆQUIVOCATIONE; ADHUC POTERIS JURARE AMPHIBOLOGICO JURAMENTO, & restrictione facta: quia subintelligere potes, TE JURATURUM ABSQUE ÆQUIVOCATIONE INJUSTA. Nulla enim propositio ITA AMPLÈ SUMI POTEST, quin aliquam restrictionem habere possit in mente.

Hiscæ duabus in postremis assertionibus, non plus ultra, ad quod in præsentia devenire Probabilissimus potuit, continetur. Ponamus v. g. agi de inquisitione reorum læsæ Majestatis in primo capite, ut de Scentium ausu adversus Principis supremi vitam, regii patrimonii usurpatione, in Rempublicam conjuratione, vel aliis ejusmodi.

(a) Ibi n. 46. (b) Epist. tom. 1. pag. 276. n. 13. & seqq. (c) Part. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 7.

(a) Ibi n. 5.

Judices ad facinoris, facinorosorumque nudam & apertam notitiam exactiores agunt, & diligentiores scrutationes, atque tribunalia constringunt solemnioribus juramentis ad veritatis confessionem; &, ut omnem eam occultandi præcludant viam, urgent ad jurandam confessionem absque ullis æquivocis, seu restrictionibus, sed cum integra sinceritate, ac tota claritate. Si Rei docti sint, atque practici in tergiversationibus casuisticis, qualicumque æquivoco deludent promptè interrogationem, quamvis præstarent postea millia millium juramentorum de nullam habendo prædicti notitiam sceleris, atque decies centena millia de loquendo omni cum majori exactitudine, ac sine ullius umbra æquivoci, vel amphibologiæ; sicque nec Deum, nec conscientiam offendere propriam credent, nixi doctrinis præfatis, quæ illos dispensant ab omni culpa. Si verò Rei sint rudes, & ignorant medium inveniendū æquivocum aliquale opportunum, facile tacebunt, omnia negabunt, atque quoquo ab eis juramenta exigantur, abs-

que peccati scrupulo edent persuasi, quòd si ipsi necessaria invenire nesciunt æquivoca, scient docti & perspicaces; quia re ipsa dantur hujusmodi æquivoca, quandoquidem juxta eos, nulla propositio ita amplè sumi potest, quin aliquam restrictionem habere possit in mente. Impossibile itaque Magistratibus erit, atrociorum veritatem delictorum palam facere per juramenta, quantumvis sacratio- ra. Transeamus ad Probabilitas alteros.

344 D. Gravissimus, P. Filiucius (a) quærit: *Quale peccatum sit uti amphibologia absque rationabili causa?* & decernit: *Resp. & dico primò, PROBABILE ESSE, quòd sit mendacium, atque adeò perjurium, si confirmetur juramento. Dico secundò, PROBABILIS VIDERI, non esse mendacium, neque perjurium. Dico tertio, ejusmodi restrictionem, quæ mente concipitur, non debere esse ad libitum, sed proportionatam verbis, & materia. Talem esse ait SUAREZ illam: NON COMEDI, intelligendo HODIE; cum interrogans putet alioquin numquam comedis rem illam. Item illam, PETRUS NON EST DOMI,*

cum

cum tamen re vera sit: verbum enim EST sumitur à dicente pro COMEDIT. Idemque dici potest de aliis similibus, scilicet Suario duce, cujus omnes sententiæ tutissimæ.

Quæro, quâ cautelâ utendum sit in amphibologia? Resp. & dico primò. Assignari possunt duo modi pro personis judicio præditis. Primus est habere intentionem præferendi verba MATERIALITER (id est, tamquam si essent merus sonus, & nullatenus significatio quædam conceptus mentis.) Ad majorem securitatem, cum incipit v. g. dicere, JURO, debet interponere SUBMISSÈ restrictionem mentalem, ut HODIE: Et deinde addere alta voce, NON COMEDISSE REM ILLAM: Vel JURO, & interponere, ME DICERE: tum absolute ALTA ITEM VOCE, QUOD NON FECI HOC, VEL ILLUD. Sic enim verissima est mea oratio. Secundus, habere intentionem non absolvendi orationem tantum per verba externa, sed simul cum restrictione mentali. Liberum est enim homini exprimere mentem suam totaliter, vel partialiter. Sed quia non omnes homines sunt ita judicio præditi, ut calleant hos binos fallendi proximum modos,

subdit: *Pro rudibus, qui nesciunt in particulari concipere amphibologiam, satis est, si habeant intentionem affirmandi, vel negandi in sensu, qui contineat re ipsa veritatem. Ad quod necesse est, ut saltè in universum sciant, se posse negare in aliquo vero sensu. Quid facilius, præcipuè juxta Castropalai doctrinam?*

345 Haud his addiderim *Escobarium*; qui enim fidelem sese prodit sectatorem 4. animalium, & 24. seniorum, quibus datum est aperire Apocalypseoos librum, & septem signacula ejus, citra aleam non discrepat ab eorum sententia. Similiter alies ejusdem farinae prætermiserim brevitas gratiâ, & ut tantisper immoremur in *Tamburino*, qui cæteros impræsentiarum, seque ipsum superavit duplici in loco.

§. III.

IN primo (a), cui titulus, *de juramento assertorio æquivoco*, scribit: *Quæstio est: an liceat juranti accipere verba in alio sensu, quam ea præferunt: JURO v. g. PER DEUM, me hac nocte non dormivisse, intelligendo, vestitum: me non habe-*

re

(a) Tract. 25. cap. 11. n. 325. 327. & 328.

(a) Lib. 3. in Decal. cap. 2. §. 2.

re pecuniam, intelligendo, quam tibi elargiri velim: uxorem, vel maritum matrimonii leges non fregisse, intelligendo, manifestè: non deberi à me tibi centum, intelligendo, ita ut non possim compensari cum aliis centum, quæ tu mihi debes: me, si sim Scholasticus, non esse locutum cum candidato ad Cathedram, intelligendo, ita ut sim subornatus: me ementem, vel vendentem rem tantumdè vendidisse, vel emisisse, quandò non possum ad justum pretium pervenire, vel ob aliam rationabilem causam, intelligendo, quò ad debitum valorem, vel quò ad contractum externum, vel aliò modò.

Queritur ergo: an hæc, vel similia, quæ per extensum ponit Castropalaus, Rebellus, Lefsius, Bonacina apud Tancredum, liceant sine mortali? Respondeo: Licere, ut iidem docent, & docetur passim (præsciendò tamen à damno, quò dolosò hoc juramento injustè facerem) etiamsi quis non sit rogatus jurare, sed se offerat. Ratio est, quia tunc Deus non nisi ad veritatem testificandam imploratur.

At estnè saltè veniale sic per equivocationem jurare? Resp. Si

aliqua subsit causa, & ego movear solùm ad occultandam veritatem, non verò ad proximum decipiendum, nullum est peccatum, causà me prorsus excusante. Si nulla sit causa, veniale erit: audientes enim, licèt sine ipsorum damno, ut suppono, tamen sine causa, licèt non ex directà intentione, decipiuntur in factò. Ita iidem. Talis est Tamburini doctrina, aliorumque Probabilistarum, quandò verba patiuntur equivocationem. Sed si fortè non patiuntur, quid tùm? pergit ipse (a): Quandò verba nullò modo ex se patiuntur talem equivocationem, seu mentis restrictionem, licetnè aliud intelligere solùm ex mea mera voluntate? JURO v. g. me non dormivisse, intelligendo, me non comedisse: quò pactò materialiter solùm dico, me dormivisse, non significativè. Respondeo: Sanchez negat licere; quia non est in cuiusvis arbitrio significationem vocibus imponere. At hæc Sanchezii ratio, quæ sanè efficacissima est, Tamburino non placet. Unde subdit: Verùm hæc ratio me non potest avellere à probabilitate, quòd liceat. Fateor enim, non esse in meo arbitrio significationem

nem imponere vocibus, meque ineptè, & contra constitutionem vocum illam meam significationem imponere. At hæc ineptia, vel inobedientia, quò tandè peccatum est? Cum ergo ex alia parte verum jurem, idque sine cuiusquam damno, & sine gravi deceptione, non est, unde ex hoc capite peccatum cognoscam, sicut omnes non cognoscimus ex verbis ex se restrictionem patientibus.

Huc pertinet, quandò quis joci causà juret, PETRUM v. g. esse suspensum, intelligendo, quoad ejus imaginem, quæ verè suspensa est è fenestra. Sic etiam pueri aliquandò jurant, per hanc animam ita est, intelligendo animam, seu officulum ligneum in globulo sui thoracis, &c. Dico enim, de his esse discurrendum, perindè ac de equivocatione hætenus dicta, & consequenter sine causa, esse dumtaxat veniale. Ita Bonacina, Sanchez, & Filiucius. Hac tamen doctrinà, & autoritate quasi non admodum satisfactus, sibi objicit Tamburinus ipse (obvia sanè, & naturalis est objectio): At hòc modò loqueris contra pactum Reipublicæ, quò in constitutione lingue inter homines tacitè initum fuit, ut significativè preferrentur verba, non

verò solùm materialiter. Lege Sfortiam Pallawizzinum in sua Theologia, &c. Sed reponit: Resp. ejusmodi pactum nimis speculativè ab ingeniosissimo excogitatum esse. Addo, estò affuisse conventionem, ut per illas voces possent aperire homines conceptus suos; at contendo, numquàm affuisse pactum, quominus iidem possent, quandò vellent, illas materialiter efferre. Certè sic efferunt infantes, sic adulti quandò incipiunt discere linguas exteras.

Hac posita doctrinà, quæ propter tot DD. qui eam propugnant, autoritatem, judicabitur saltem solidè probabilis, ulterius consistit in mundo humanum commercium, societas civilis, quæ maximè ab hominum dependet fidelitate, atque sinceritate in simplici conceptuum significatione per voces? Quis umquàm poterit alteri fidere? Quis nequiverit tutò decipere proximum suum, dum suam sit penes voluntatem uti restrictionibus, significatumque verbis accommodare illud, quò sibi magis placet, & proficit: verba accipiendo, Panem v. g. pro vino, Matritum pro Compostella; atque Propositiones, v. g. ego dico tibi veritatem, pro

(a) Ibi num. 4.

ego dico tibi falsitatem; ego eram Valentia, pro eram profetaus Romam? Quis non timebit alterius assertiones, quantumvis Sancto invocato nomine Domini? Uniuscujusque esto iudicium incommodorum incredibilium, quæ prædictæ derivant doctrinæ, quibus cursum Probabilismus præstat, & alas. Hæc de juramento assertorio.

346 Ad promissorium quod attinet, idem Tamburinus (a) declarat: Certum est, jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, vel jurare verbis equivocis, non esse licitum sine causa, licitum esse cum causa, juxta ea, quæ diximus cap. 2. §. 2. & 3. In Edit. Lugdunensi 1700. abradi sunt, remissione tamen hac relicta, sicut & nota §. 1. sine 2. & 3. Recole n. 73. Quemadmodum & modò hæc, & sequentia, quibus Tamburinum liquet edidisse Prop. 25. damnatam ab eodem Innoc. XI. Nam quibusdam præmissis observationibus, docet (b). Si quis juret cum expresso hoc tertio animo, nullò modò promittendi, vel se obligandi, non est mortale. Ratio est, quia sic jurare, est

non jurare. Non enim potest esse, vel intelligi juramentum, nisi ut productivum obligationis. Si ergo hanc obligationem positivè excludis, nec vis ut juramentum illam producat, convinceris nolle jurare. Ita Sanchez, Bonacina. Item (c): Si quis juret cum animo solius promissionis HUMANÆ, atque adeò non sub auctoritate testimonii DIVINI, seu (quod idem est) non cum animo se obligandi ex vi virtutis Religionis, idem dici debet, quod modò n. 4. innuimus. Et concludit (d): Ex quibuscumque equivocis juramentis, vel quoquò modò fictis, quæ in conscientia non sunt vera juramenta promissoria, non enascitur obligatio ex vi Religionis. Ut quid ergo juratæ promissiones, si nemo esse valet conscius, cujusmodi sit mens promittentis, vel invocato Deo?

Adjecit tamen (e): Quid, si cesset ejusmodi præsumptio, & jurans clarè probet, se sine animo vero jurasse; poteritne Judex eum condemnare? Possè, & debere docet Sanchez, & Castropalao, non ex vi juramenti, sed ex legibus Castellæ, sic disponentibus in pœnam deli-

licti dolosè jurantis. Igitur qui Castellæ non subicitur legibus, nequè gravosæ obligationi ejusmodi subicitur. Quid, subdit, si talis lex alicubi non adsit? respondet, arbitrio Judicis tùm servari decretum pœnæ secundum gravitatem culpæ sic jurantis. Recole ipsius doctrinam nn. 212. & 213. Ubi docentem vidimus, humanas leges numquam, vel rarò obligare in conscientia. Sed si præfatis in juramenti cesset obligatio à Dei lege profecta, aliæ quævis humana cessabit quoquè in probabilistico systemate. Plura reperies in eodem Tamburino (a) alibi. Hinc ob oculos reduc insignem fraudem, & miram confidentiam Vivæ (b) negantis, reperiri locum, ad quem Lectores ducit Tamburinus pro damnata propositione, quam referat Dinellus (c).

347 Sed & P. La-Croix hoc proponit (d) quæsitum: An liceat jurare rem, quam tantum PROBABILITER judico esse veram? Et respondet: Sanchez, Castropalaus, aliique cum Diana affirmant: quia juras hoc, quod judicas verum: ergo non pejeras. Undè quod ali-

quis audivit à viro nobili, & fide digno, potest secundum illos AA. affirmare, & extra iudicium JURARE esse verum. Quod aliqui apud Dianam extendunt ad juramentum etiam in iudicio. Notandum, hanc probare La-Croixium sententiam, tametsi tantum recitativè impræsentiarum procedere videatur. Quandoquidè narrata Suarezii opinione, quæ requirit moralem certitudinem ad omne juramentum, subdit: Et hæc ultima sententia videtur probabilior. Quæ verba in ore La-Croixii aliud significare non possunt, quàm contrariam esse probabilem, adeoque tutò sequendam: sicque sententiam, ad omne exigentem juramentum certitudinem moralem, non sibi arridet ita, quin aliam, quæ unum testem fide dignum sufficere asserit, simul arbitretur probabilem, licitam proinde in praxi. Certè moderniorum Casuistarum mos est, glossis, subtilitatibus, expressionibusque arbitrariis palliare aliquatenus horrorem malignarum, atque proscriptarum ab Ecclesia sententiarum, ut quomodocumquè consistat series continuata Pro-

(a) Ibi cap. 3. §. 2. num. 1. (b) Ibi n. 4. (c) Ibi n. 5. (d) Ibi n. 7. (e) Ibi num. 11.

(a) Ibi cap. 12. (b) In Prop. 25. Innoc. n. 1. (c) Tom. 3. pag. 592. Epist. 9. n. 227. (d) Lib. 3. p. 1. c. 2. dub. 3. q. 70. n. 267.

Probabilistarum primæ clâsis, quos recensuimus, & qui eas innoxie docuerunt, priusquam condemnarentur.

§. IV.

348 **R**Es est manifesta in *P. Viva*, qui sub terminis restrictionis mentalis puræ, & non puræ, notitiæ communicabilis, & non communicabilis, eisdem retinet re ipsa damnatarum thesium 26. & 27. sensus. Ait (a) cûmprimis: *Utraque propositio à plurimis primi subsellii DD. videbatur doceri apud Dianam, & apud Sanchez.* Exploratum est, atque ultrò fatetur *P. Hurtado*, binas illas damnatas theses fore excerptas in terminis ex *P. Sanchez*. Sed iste amplius non esset magnus ille vir, ille Doctor infallibilis, ille Princeps Theologorum Moralistarum, illud lumen splendidissimum Theologiæ, si contestificaretur *Viva*; qui propterea negat esse proscriptas in sensu à *Sanchezio*, cæterisque intento, *Verum*, inquit, si attentè mens plerorumque istorum cum eodem *Sanchez* inspiciatur; & si advertatur ad casus (quos jam

recensuimus) in quibus docent, has amphibologias licere, & eorum fundamenta, liquidò apparebit, eos nolle, licitas esse restrictiones purè mentales, quas Pontifex ut mendacia damnat, sed solum restrictiones non purè mentales, aut equivocationes, & ad summum locutionem MATERIALEM. Hanc ipsum approbantem mox videbis, si tantisper sistas. Quicumque itaque imperitus, qui leget in fide *Vivæ* doctrinas *Sanchezii* de æquivocis, & restrictionibus, eas non esse arbitrabitur ab Ecclesia proscriptas, iidemque commodò tempore præmuniri posse absque conscientia scrupulo: Et ecce aperte delusam Pontificis mentem, unà cum damno gravissimo societatis humanæ.

Præterea statuit (b): *Rustici, qui ignorant opportunas adhibere equivocationes, debent advertere, nùm prævaleat bono publico occultatio veritatis, an sincera illius confessio, nè proximus decipiatur. Certè quando veritatis occultatio confert ad tuendam salutem, honorem, res familiares (en in quo stare faciat bonum publicum) aut ad quemlibet alium virtutis actum, tunc licita est equi-*

v0-

vocatio: major tamen causa requiritur ad superaddendum juramentum locutioni ambiguae. (Sane si locutio non esset mendacium, sed veritas inveniretur, non major causa requireretur). Quando tamen non occurrit commoda equivocatio, aut restrictio externa; si causa sit gravis, Rustici possunt usu duplicis scientiæ, facillè obvio, veritatem occultare, non animò decipiendi, sed solum permittendo deceptionem. Quibus aliis terminis docet idem ipsum, quod traditum accepit ab Affectoribus damnatarum thesium; quasi quando non occurrit restrictio externa; interna, quæ à mendacio eximat, & perjurio, uti possit.

349 Deinde inquit (a): *Utrum Reus criminis capitalis, si juridicè interrogetur, possit negare delictum cum Juramento, si sit spes evadendi?* Et respondet: *Negat D. Thomas, Navarrus, & alii plurimi apud Sanchez.* *Affirmant tamen etiam plurimi cum Sylvest. Henr. Less. Lugo.* Hæc opinio propter consequentiam systematis est probabilis, proindeque potest sequi licitè, & amplecti. Propterea juxta hanc sententiam (sub-

dit) si Reus juratus illud neget, censetur negare cum restrictione non pura, videlicet negando id esse verum, ita ut teneatur declarare, donec est spes evadendi. Si hæc restrictio, est non pura; pura quæ erit? Discretionem istam desumere, ut sibi videtur, à spe evadendi supplicium, non ab objecto in se ipso, ut sit pura, vel non pura, adeoque sit, vel non sit mendacium; nonne res est frigida valdè, ac illuforia? Sed cumulum addit (b) subjungens: *Sequitur demùm in quonam sensu verum sit id, quod diximus num. II. ex Innocentio III. dictum etiam Simoni Mago à D. Petro. Quod scilicet, nè pro vita quidem defendenda licitum sit mentiri, atque adeo nec uti restrictione interna, seu purè mentali. Non enim est sensus, quòd ad vitam propriam, aut proximi tuendam, necnon ad vitandum aliud grave incommodum, non liceat alterius deceptionem permittere (sic res deauratur) adhibendo congruam equivocationem, aut restrictionem externam, seu non purè mentalem, aut usum duplicis scientiæ, aut etiam in nonnullorum sententia locutionem materialem. Reminiscere,*

Tam-

(a) In Trut. Prop. 26. & 27. Innoc. n. I. (b) Ibi n. 14.

(a) Ibi num. 20. (b) Ibi num. 21.

Tamburinum adversus *Sanchezium* licitam tandem habere locutionem *materialem*, id est, dicere *panem*, & intelligere *carnem*, velle significare *indotum*, seu *ignorantem*, & dicere *doctum*, vel *scium*. Modò *P. Viva* cum *La-Croixio* post damnatas *Sanchezii* theses approbat, ut ex modo proponendi apparet, laxitatem opinandi, ad quam non accessit *Sanchezius*. Quid dicemus de illius *damnatarum thesium Trutina theologica*, in qua perniciosiores convictui communi etiam num defensantur opiniones? Nondum est finis.

350 *P. Baunius* asserit (a): *Nequit fieri peccatum veniale, ad quod quis se obligavit per juramentum, quin novum committatur. Toletus.... Covarruvias. Additur, quòd emittendo hoc juramentum, peccatum est mortaliter juxta opinionem aliquorum. Quia species est blasphemie accipere Deum veluti faciæjursorem offensæ, & vadem prave voluntatis, qualis illa est, quam habet, qui se determinat ad aliquam culpam, quantumvis venialem. Contraria nihilominus opinio habet fautores suos, nempe non esse peccatum mortale illud juramen-*

tum.... Et possumus illam sequi sub consideratione, quòd accipere Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, & possit damnare hominem. Hisce ipsis terminis damnata est *Prop. 24.* Porrò *Baunii Summam de Peccatis*, & *praxim Beneficiorum* prohibuit *Academia Parisiensis*, & *Clerus Gallicanus*. Recole omninò n. 82. notabilem censuram. Ecquid clarius, quàm allatis verbis *Baunium* inquirere, peccetnè graviter is, qui se facturum juret aliquod peccatum leve? Et iccirco mirabile non est, si eos laudat, qui de juramento *promissorio* loquuntur.

Nihiloscilicet *P. Viva*, errorem proscriptæ thesibus *Baunii* tribui immeritò, existimat, quia, inquit (b), *Baunius solum in juramento promissorio parvitatem materiae admittit.* Sed perperam. Extrema enim *Baunii* verba, *possumus eam sequi*, &c. negotium exhibent. Respondeat itaque *Viva*, an quod *Baunius* ibi ait, *accipere Deum in testem mendacii levis*, intelligi velit vel de mendacio, quod dicitur, & juramento firmatur, vel de eo, quod quis se dicturum pro-

mit-

mittit? Si primum: ergo *Baunius* loquitur de juramento *assertorio*, adeoque damnatæ assertor est propositionis. Sin alterum dicat *Viva*, illius orationem ob *petitionem*, ut ajunt, *principii* ineptam valdè reddit, esset enim hujusmodi: *Possumus sequi opinionem, quæ negat, graviter illum peccare, qui se aliquod leve peccatum commissurum juraret, sub conditione, quod non est grave peccatum, si quis in re levi se mentiturum juraret.* Sive, ut significantius exponam, perindè est, ac si diceret: propterea non est grave peccatum id juramento promittere, quod est leve peccatum, quia grave peccatum non est, si quis jurejurando promittat, obulum se furaturum. Hoc omnis dixerit vitiosum argumentandi genus, in quo adfertur rationis loco id, quod quaritur in generali propositione. *Baunius* autem ex eo, quòd magnum crimen non esse putavit, si quis in re levi pejeraret, concludere voluit, nec illum graviter peccaturum, qui se facturum juraret id, quod leve esset peccatum. Vidit quippè, majori concessio, minus fore concedendum.

Accedit, quod ipse *Viva* (a) advertit: *Non adducitur Deus ad testandum falsum, quod graviter derogat sue summæ Veracitati; sed solum invocatur ad testandum verum, nempe ad testandum, quòd detur propositum de patrandæ culpa veniali.* Cum ergo *Baunius* loquatur de accipiente Deum in testem mendacii levis; citra aleam non de jurante se mentiturum, sed de mendacium, quod dicit, juramento confirmante loquitur.

351 Porrò plus ingenuus in hac parte *P. de La fuente Hurtado*, quàm *PP. Viva*, & *Daniel*, ultrò fatetur, thesim 26. ab *Innocentio* condemnatam fore depromptam ex *P. Thoma Sanchez*. Verùm unà simul inutilem reddit, & vanam damnationem suis sophisticis distinctionibus, & illuforiis expositionibus, quas adhibet in sua *Theologia reformata*, quam potius dixeris, *d. pravata*. Conatus est, casus eos, in quibus usus æquivocorum permittebantur, & restrictionum ante damnationem, cum separatim spectentur, plures esse, in quibus jurari poterit cum restrictionibus, verborumque tergiver-

X

ia-

(a) Su m. de Peccat. (b) In Trut. Prop. 24. Innoc. num. 1.

(*) Ibi num. 10.

satione, quin incutratur perjurium. Exemplum præstat in homicidii Reo, qui coram Judice jurat *alta voce*, non illud perpetrassè, & *submissâ* subjungit, quin audiatur, *in via publica*, vel *in domo*, vel *in Ecclesia*. Et hoc pacto ludit de juramentorum Religione, Pontificioque Decreto. Hunc ad effectum integram *dissertationem* (a) occupat, ut irritò conatu evincat ex Scripturis, Traditione, Scholasticorum autoritate, atque multis argumentis (quibus usus est *P. Daniel*, qui etiam scripsit post Innocentianum Decretum) restrictionum usum esse innocentissimum. In miseræ hujus causæ patrocinium laudat eos, qui sustinuerunt illam, & sunt *Sánchez, Fagundez, Henriquez, Bresserus, Reginaldus, Toledus, Dicastillus, Castropalaus, Moya, Valentia, Lessius, Filliucius, Sayrus, Trullenchus, Tamburinus*. Et hinc concludit, esse incredibile, *Innocentium* absolutè proscripsisse restrictiones. Ecceur? Quia Pontifices, *inquit*, non assolent censurâ notare nisi opiniones novas, & hæc doctrina est antiqua: & quia gravia habet fundamenta in sacris litteris: &

quia nullum est credendi motivum, non intendisse Pontificem eos damnare, qui restrictionibus utuntur ullo absque fine bono. Ita quoque discunt alii ejusmodi Moderniores. Ultimis his temporibus magno conatu, scandalo dicam, *P. Catanei* sententia eadem in causa restrictionum, amphibologiarum, & mendacii propugnata est adversus celeberrimum *Orsi*, Cardinalis qui fuit, atque veritatis, sinceritatisque Christianæ vindex. De quo Vide Catalanum de Mag. Sacr. Palat. pag. 232.

252 Sanè tam Græci, quam Romani, immersi quamvis essent in aquis vehementibus tenebroso Gentilissimi, æquivoca tamen, restrictiones perosi, & amphibologias, cavebant tamquam à verissimis mendaciis, illisque utentes in juramenti execrabantur vii veros perjuros, eò execrabiliores, quò fraudem adjiciebant juramento falso. Referente *Tito-Livio* (b): Quidam posse credentes interpretare juramentum, quod in magnum Reipublicæ commodum editum erat à Tribuno Plebis, Populumque Romanum à vinculo absolvere; illis noluit iste acquiescere, &

sed

sed suo proprio prætulit commodo juramenti custodiam. Et *Polibi*: à *Cicerone* (a) laudati relatu: *Annibal* post victoriam de Romanis reportatam, decem ex illis remisit Romam sub jurejurando redeundi, si quæ per ipsos proponebat Senatui, effectum non haberent, uti re ipsa non habuere. Illorum quidam sese credidit immunem à juramenti adimplerione, eò quòd cum ab exercitu diceisset, continuo regressus est, simulans non nihil sibi reliquissè in papillione. *Non rectè*, subdit nobilis *Tullii* sensus, *fraus enim disringit, non dissolvit perjurium. Fuit igitur stulta calliditas, perversè imitata prudentiam. Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator, & callidus, vincetus ad Annibalem duceretur.*

Numquid illuminati Evangelio & fide, quique Christianæ doctrinæ Magistri vocari ambiunt, nesciunt, aut nolunt intelligere veritatem, quam solo naturæ lumine agnoverunt Pagani ipsi? Confundantur, & reveantur omnes, qui supradictis doctrinis invertunt prorsus regulas bonæ fidei, fundamenta societa-

tis civilis conturbant, violant religionem Juramenti, Magistratuumque autoritatem eludunt. Qui jurabit in dolo proximo suo, qui in sinceritate, impossibile erit discernere: nec Judex in tribunali, nec Mercator in foro, nec amicus in conversatione, nec venditor & emptor in contractibus, nec Dominus, nec servus, neque alius quisquam in re domestica securus erit umquam, nisi quibuscum agunt, cor suum adaperiant candidè, vel potius claudant æquivocis, & restrictionibus maledictis, à mendacii Parente nactis.

ARTICULUS II.

Opera simulantia.

§. I.

353 **E**O usque mentalis restrictio sese diffuderat, ut non sisteret tantum in verbis, verum etiam in factis voluit sibi præparare, ac vendicare locum, tamquam *Simulationis proprium* (b). Sic v. g. si Eucharistiam petiisset indignus, mortem, aliudve grave malum, nisi

X 2

ac-

(a) Theol. Refor. dissert. 15. (b) Dec. 1. lib. 3.

(a) Lib. 3. de Offic. (b) D. Thom. 2. 2. q. 111. a. 1.

accepisset, illaturus Presbytero, poterat iste tum hostiam non consecratam illi dare per simulationem. Quam opinionem Ecclesiam proscriptis in Joanne Sanchez, aliisque, ultrò fatetur P. Viva (a). Hinc altera, multòque gravior sese nobis aperit controversia, prisca Scholæ Theologis ignorata, sed à summis Politicæ scientiæ Magistris nuper in Scholas inducta, ut etiam politica machinamenta, dolos, & artes in ipsam Religionem inferrent. Quæstio sic habet: *Nam in causa Religionis, & Fidei simulare; ac fingere liceat, prophanæ Religionis ritus, ad speciem saltem, ac fucum externius exercendo? Numve incurrendi gravioris periculi metus simulationem illam excuset, occultaque mentis intentio cobonestet?* Controversia ista non nudam Theologorum curiositatem, sed factum ipsum pro sui fundamento habuit: factum, inquam, quò gravioris periculi metu, vel majoris spe comòdi (utique spiritualis, ut puto) exterior fidei simulatio exercebatur ut licita; quin & ut necessaria probabatur.

Factum est hodie plusquam certum, & notum ex Archiepiscopo *Dominico Fernandez Navarrete*, (b) & ex Card. *Ludovico Maria Lucino* (c) omninò videndis.

354 A sæculo jampridem permissus est Profelytis Sinenfibus cultus apertè idololatricus, atque superstitiosus. Primi Missionarii, qui ex Societate Jesu illuc transferunt, hunc continuo cultum pronuntiavere impossibilem cum Religione Christiana. Quapropter ibi congregati anno 1628. constituerunt, numquam suis Neophytis fore permittendos ritus, ac cœremonias in cultu Sinenfium usurpari solitas. Tandem sub *Innocentii X.* Pontificatu à S. Universali Inquisitione die 12. Septembris anno 1645. pronuntiatum est, ac definitum: *Non licere, Idolum externius, & fidei venerari pretextu intentionis, ad Christi Crusem occultam directæ.* Experimentià verò discentes, fore admodum difficile, *Mandarinis* persuadere, atque *Litteratis*, ut desistant à cœremoniis, quibus Sinenfes Cœlum, Philo-

so-

(a) In Prop. 29. *Innoc. n. 2.* (b) *Tract. 7.* à pag. 451. ad 518. (c) *Esame e Difesa del Decreto en Pudisceri da Monsignor Carolo Thomaso di Tournon.* Edit. 2. Romæ 1729.

sophum *Confucium*, suosque Parentes defunctos colunt; Collegium Romanum consuluere. Quod & rescripsit, esse permittendas, nè prædicationis Evangelii impediretur, aut hac de causa expellerentur à Regno. Præfati Collegii consultò decreverunt plenè congregati rursus *Cantoni* anno 1667. sensum permittendi Sinenfibus honorare solitis ritibus *Confucium*, atque mortuos suos, inniti *opinione probabilissima* (dicerenè quis optimè potuerit, vagam Probabilissimi lucem nondum penetrasse ad novum usque mundum, ut expergerent arca-na quædam, sepulta sub nascentis fidei obscuritate?) cui obijcienda nulla erat evidentia contraria; & hac supposita *probabilitate*, non esse præcludendam viam salutis turbæ magnæ Sinenfium, qui recuserint Religionem Christianam amplecti, si quod ipsis videbatur licitum impediretur, atque gravi sine suo incommodo relinquere haud posse arbitrabantur.

Mirandum certè, atque animadvertendum hinc, quanta permisceant principia moralia & politica, ut superstitionem extollant, atque idololatriam.

Primum, hæc opinio, quam judicant *probabilissimam*, expugnata est à fortissimis rationibus, gravibusque Doctoribus. At quamdiu illis non opponi valeat evidentia certa, sat eis est hoc, ut illam declarent *unicam in praxi opinionem.* Deinde, ii sustinent, quòd bona fide credentes, prædictum cultum superstitiosum fore licitum & permissum, ad praxim reducere possunt absque offensa Dei. Post hoc famosum Decretum Collegiale Romanum fuerunt illi perseverantes semper in tolerantia adeò perversa. Nec improbationes, neque insultationes Hæreticorum (adeò gravis testimonia scandali) nec admonitiones prudentes, & charitativæ cæterorum Missionariorum; neque instructiones, nec urgentissimæ ordinationes Vicariorum Apostolicorum, nondum corrigere illos valuerunt, atque deducere per vias rectas.

355 Post hæc quot variationes, quot subterfugia, quot repagula excogitarunt ad pertinaciam? Initiò victas dabant manus, sacrificia Idolis oblata, supremosque honores *Confucio*, & Manibus præstiros, non esse tolerandos. Sustinent

subindè, cujusdam gratià elegantis distinctionis, Idololatricos esse, atque superstitiosos Gentilibus; sed Christiani poterant innocenter, sanèctèque illos exercere, cultum referendo, quem dabant Idolo *Kinoam*, ad crucem floribus coopertam, positis super altare. Exindè tutiùs ipsis placuit facta dissimulare, ut crederentur licitè hujuscemodi consuetudines. Sed simulatione detecta evidentissimè, commentum tunc sunt, retinendos, observandosque fore tamquam civiles honores, & politicos eos ritus, qui veri habent sacrificii characterem, quosque ipsimet agnoverant tamquam Religionis actus. Et quia eximi volebant à Decreto Apostolico anni 1645. laudato, apertè damnante corruptelas ejusmodi, ad indigniora recurrunt mendaciorum præsidia, & artificiorum, ut impetrarent anno 1656. sub proposito S. Inquisitionis Congregationi Romanæ exlegalibus, infidis, atque falsis *P. Martini Martinez*, Decretum approbatum ab *Alexandro VII.* quod arbitrabantur favere suo scopo.

Quà impetrà insurrexere incomparabili fastu adversus De-

creta Apostolica illis adversantia, quæque ad pravum sensum contorquere non valuerunt. Eò usque devenerunt, ut *Jansenistis* præstarent famosam distinctionem *juris*, & *facti*, quâ Romano Pontifici negabant asphaliam, sive infallibilitatem; quasi res esset, non dogmatis, sed puri facti, & quidem maximè dissiti, in quo fallere ac falli nescius non sit. *Postremò*, ut multa prætereamus, quæ retrò actis temporibus hac in re acciderunt, quantum, & quàm diu Apostolica Romanorum Pontificum desudavit industria, & non parvam iis inde laborum, atque curarum materiem attulerit; graviores, quas inuit *Benedictus XIV.* Constitutione edita 12. Septemb. 1744. Controversiæ, quæ hoc ipso ineunte sæculo eruperunt, seu potiùs renovatæ fuerunt, quæque ipsas novarum Ecclesiarum soboles, vehementi discordiarum turbine, agitantès hodiernum usque diem, eò rem adduxerant, ut tot Verbi Dei Præcones eximii sine causa adhuc laborassè, largoque sudores, & sanguinem ipsum frustra effudissè viderentur, ut tantum à fidelibus malum averterent, in aperto ponunt;

nunt: adeò ut *Benedictus XIV.* laudatâ constitutione, atque novissimâ regnantis P. O. M. *Clementis XIII.* contra Tunquinenfes Missionarios, opus fuerit, ad optatum aliquandò finem imponendum, finitivis demùm suis, & Apostolicæ Sedis mandatis, atque præceptis promulgatis. Fiat, fiat.

§. II.

356 **V**ERùm quod olim factum in remotissimis Sinenfium Regionibus S. Sedes reprobavit, idem non longo ab hinc tempore in Ottomanico Imperio frequentari etiam dolemus, ubi Christi Fideles nonnulli, Christianam Religionem occultè quidem tenent, mahumeticam tamen Sectam sacrilega simulatione profitentur publicè: ut expressè habetur in actis Concilii nationalis in Albania (a). Quinam lethale consilium illud delusis quibusdam Neophytis dedissent tam ibi, quàm alibi, nostra non inter est. Id unum tamen citra culpam dicere possumus: Eisdem esse ubique *Probabilistas*. Sed quòcumque se vertant simula-

tionis hujus sacrilegæ Snafores & Consiliarii, illud saltem concedere compelluntur Christi oraculis (b), aliisque longè multis ex Evangelio proferendis, vetitam esse fidei negationem sacrilego mendacio expressam. At non minùs mendacii genus est, quo quis factis forinsecùs negat, quod corde tenet; quàm quo quis verbis ipsis id præstat. *Non refert autem*, inquit *Angelicus (c)*, *utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.*

Si itaque falsam Religionem verbo mentiri non licet, quantumvis vera teneatur in corde; nec falsam Religionem simulare licebit, ac tingere, verà licèt in corde retentâ. Imò cum animi nostri sensus factò veriùs exprimantur, quàm verbò; is profectò fidem differtius, & apertius negat, quàm sese idololatram prodit publico Idololatriæ exercitio, quàm si nudo, simplici que verbo sese idololatram diceret. Quid plura? Simulatio in materia Religionis, & fidei practicæ, ut ita dicam, amphibologiæ, & æquivocationis genus est, eò periculosius, quòd infirmis at-

X 4

que

(a) Part. 1. capp. 2. & 3. Editionis Romæ curatæ an. 1706. (b) Matth. 10. vv. 28. 32. & 33. Lucæ 9. v. 26. (c) 2. 2. q. III. a. 1.

que pusillis, externi cultus Idolo delati spectantibus, urgentiorem præbeat ruinæ occasionem, quâ & ipsi ad idola colenda non excitantur modo, sed petrahuntur.

357 Nec est quod quis nobis bonam simulantium illorum intentionem occentet, quæ sacrilegam simulationem cohonestet. Bona enim illa, quæ jactatur intentio, seu relatio externi cultus Idolo delati ad Christum D. cum occulta secretaque omnino sit, actum externum per se malum minimè cohonestat, multoque minùs scandalum removeret, cum ab adstantibus infirmis in fide, atque pusillis minimè deprehendatur, dum tamen delatus Idolo cultus deprehenditur. Egregium hac in specie exemplum nobis exhibet Liber Machabæorum (a) in persona Eleazari, viri ætate grandævi, inter Synagogæ Primores: Qui à Rege Antiocho carnes porcinas manducare jussus contra præscripta Mosaicæ legis, simulationem omnem execratus est, quâ facillimè comminata sibi mortis periculum devitasset, quamque antiqui Amici suadebant, *iniqua miseratione com-*

moti. Alterum in eadem facti specie suppetit exemplum Apostolus (b) in persona Cephæ, seu Petri ab illo graviter, asperèque coram omnibus objurgati, ac reprehensi ob simulationem longè levio-rem, quàm quæ modo vocatur in controversiam: Illa in materia disciplinæ, hæc in materia fidei. Succedit ordine tertium *Libellaticorum* exemplum, qui cum satis sibi virium non esse experirentur, ut contemptis Imperatorum Edictis, quibus ad cultum Idolorum adigebantur, vincula, carceres, flagella, ac etiam mortem generosè perferrent; libellos à Præfectis Provincia- rum numeratâ pecuniâ impetrabant, qui illos Imperatorum jussis obsecutos, thura Idolis dedisse, falsò ac mendaciter testabantur. Qua in re legi potest integer S. Cypriani liber de *Lapsis*. Ii porrò *Libellatici*; sedatâ tandem persecutione, tamquam gravissimè criminis Rei, publicæ poenitentia subjecti sunt.

358 Iis documentis bene informati Religiosissimi Martyres, hanc sibi illicitam simulationem agnoverunt, vitandamque suo ipsorum exem-

plo

plo docuere. Sic S. Saba (a), S. Anastasius (b), S. Eufiratus (c). Uno verbo, D. Justinus M. (d) sententia est: *Christianos emori malle, quàm aut mentiri, aut Inquisitores Fidei fallere dolofo, simulatoque responso.* Quod profectò si licuisset aliquando, paucos, aut fermè nullos Martyres habuisset Ecclesia. Quare ingentes Deo referendæ sunt gratiæ, quòd nefariæ hujus, ac subdole artis Doctores, atque Magistri Scholas nondum aperuissent suas, quo tempore Martyrum sanguine irriganda fides erat; nè publico illo testimonio fraudaretur Ecclesia.

Nefariam illam, ac subdolanam artem simulandi in causa Religionis, & Fidei, in Philosophis Ethnicis execrati sunt Ecclesiæ Patres numerò multi. D. Augustinus (e), cum multis ostendisset, *Senecam* Idola forinsecus, & externè colentem, numquam tamen ex animo, atque sincerè eadem illa coluisse, subjungit: *Eò damnabilius, quòd illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, ut eum*

Populus veraciter agere existimaret. Origenes scribit (f) in hæc verba: *Impossibile tamen esse, ut qui Deum novit, supplex fiat statuis, nec hoc tantum stultum est si quis preces simulachris offerat, sed etiam cum aliquis id simulat vulgi opinionibus se attemperans, quod faciunt philosophi Peripatetici, & qui sectantur sectam Epicuri aut Democriti.* Eandem simulandi artem execrati sunt in *Arianis*: S. Hieronymus (g) in *Priscillianistis*: D. Augustinus (h) in *Manichæis*, *Apollinaristis*, *Pelagianis*: S. Greg. Nazianz. (i) S. Cyrillus Alexan. (k) Photius in Bibliotheca (l), S. Augustinus (m): quòd nimirum æquivocis, ac subdolis artibus Concilia, Patres, Pontifices ludere, iisdemque fucum facere niterentur. Ut hinc noverint, quos primos doctrinæ suæ Duce-ces habeant, qui in causa Religionis, & Fidei simulandi artem in Ecclesiam invehere moliantur.

359 Quis jam poterit sustinere illum sermonem P. Antonii à Spiritu Sancto (n): *Imò*

exi-

(a) Apud Metaphrastem. (b) Apud Bollandum ad diem. 22. Januarii
(c) Apud Surium ad diem 13. Decemb. (d) In Apol. 2. ad Antonin. Imp
(e) Lib. 6. de Civit. c. 10. (f) Lib. 7. cont. Celsum non longe à fine. (g) Epist. 61.
(h) Lib. cont. Mend. c. 2. (i) Orat. 42. (k) Epist. 2. (l) Cod. 179
(m) Lib. de gest. Pelag. (n) Tract. 1. scet. 6. n. 26.

(a) Lib. 2. cap. 6. (b) Ad Galat. 2.

existimo satis probabile, ex magna causa v. g. ad evitandam mortem, victoriam ab hostibus reportandam, posse Christianos uti veste instituta ad profitem-

dam falsam sectam, v. g. veste sacerdotali Turcarum, vexillo, ubi depictus est Mahometus. Quis, inquam, poterit sustinere?

QUÆSTIO VI.

DE HOMICIDIO.

Ad Prop. 2. 17. 18. & 19. Alexandri VII. atque Innocentii XI. 30. 31. 32. 33. 34. & 35.

ARTICULUS I.

Homicidium ad vitæ propriæ securitatem.

360 **S**Citè animadvertit D. Angelicus (a): *Facere aliquid ad utilitatem communem, quod nulli nocet, hoc est licitum cuilibet privatæ personæ: sed, si sit cum nocumento alterius, hoc non debet fieri, nisi secundum iudicium ejus, ad quem pertinet æstimare, quid sit subtrahendum partibus pro salute totius. Hinc firmat: Occidere malefactorem, licitum est, in quantum ordinatur ad salutem totius Communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communi-*

tatis conservandæ.... Cura autem communis boni commissa est Principibus habentibus publicam auctoritatem. Et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis. Et semper solidus, & constans docet (b): Quia occidere hominem non licet, nisi publicâ auctoritate propter bonum commune; illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut se ipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam auctoritatem. Longè à modernis Casuistis est doctrina hæc.

361 P. La-Croix sic habet (c): *Probabile est, numquam licere privato directè intendere mortem alterius. Ita S. Thomas, Cajetanus, &c. opposita tamen sen-*

(a) 2.2.q.64.a.3. ad 3. & in corp. Vid. etiam ibi q. 65. a. 1. & 4. sent. dist. 3. a. 2. alibique. (b) Ibi a. 7. (c) Lib. 3. par. 1. dub. 3. n. 821. §. 9.

sententia plurimorum, quos referunt, & sequuntur Lessius, Diana, Lugo.... est communior, & satis probabilis. Utique Casuistis illis; quin & radix potissima majorum laxitatum hoc in argumento, quæ auctoritate ipsorum adolescunt probabiles, atque licitæ. Laudatum nobis dividendum (a) Leonardum Lessium non magis ingenii monumentis, quàm virtutum fama (& miraculorum, cujus idcirco vita publici juris facta, Romæ proscripta est) aeternum ex toto Orbe consultum pro Oraculo. Qui tamen in libro de Jure, & justitia (b) seu dixeris, in collectione principiorum laxiorum circa restitutionem, & latrocinium, non modò docet, posse aliquem intendere directè occisionem ejus, qui actu aggressor est illius vitæ, sed etiam tantum in præparatione animi: Si accedas inquit, ad ferendum, nec possim evadere, nisi vel fugiam, vel te præveniam. Et quidem, si possim absque periculo, vel ignominia declinare, vel fugere, teneor ex Charitate. Si nondum accedis, tamen instructus es ad invadendum, nec possim evadere, nisi

præveniam. Tunc enim possum prævenire, ut iidem Doctores docent. Si per famulum, vel sicarium me statueris occidere, nec alia sit spes evadendi; hoc etiam in casu videtur licitum prævenire, si periculum sit præsens. Sanè si periculum sit remotum, talis opinionis praxim non approbat; at collectam omnino facit Authorum, qui eam propugnant, quique suâ auctoritate reddant probabilem.

362 Ejudem Lessii auctoritate, Molina, aliorumque nixus P. Busenbaum (c) ita tuit imprimis hoc principium: *Jus natura permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè eripere tibi conatur vitam, aut que ad eam honestè agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, pudicitiam, membrorum integritatem, prævenias, & occidas: Ita tamen ut id fiat animo te defendendi, ET CUM MODERAMINE TUTELÆ INCULPATE, hoc est, non inferendo majus damnum, nec utendo majori vi, quàm necessarium est ad arcendam injuriam. Ita communiter. S. Thomas 2. 2. q. 46. a. 7. Qui enormior terminorum abusus, quàm*

(a) Imago 1. sæculi S. J. lib. 1. dissert. 5. pag. 17. (b) Cap. 9. dub. 8. (c) Dub. 3. sup. 5. Decal. præcep.

quàm appellare nomine defensionis offensionem, aggressio- nem, sicariatum, pravenire, ac occidere eum, qui ne cogitat quidem adimere vitam! Quæ *D. Angelici* injuria atrocior, quàm ipsum obtrudere Publico quasi socium; & primum servatorem abominabilem adeò, execrandarum- que doctrinarum! Quantum ab his primò diversam esse, ac contrariam loco in eodem cirato, demonstrat novissimè *Eraniste* (a).

Subindè *Bussembaum* dedit (b): *Ad defensionem vite, & integritatis membrorum licet etiam filio, Religioso, & subdito se tueri, si opus sit, cum occisione contra ipsum PARENTEM, ABBATEM, PRINCIPEM: nisi fortè propter mortem hujus seculara essent nimis magna incommoda, ut bella, Sylv. Bonac.* Et subdit (c): *Licet quocquè occidere eum, de quo certò constat, quòd de facto paret insidias ad mortem.* Et laudat *Navarr. Lessium, Filiusium.* Atque ipse adornat exemplum uxoris conscientie imminentis periculi suæ nocturnæ occisionis à marito, cui hunc concedit occisione præoccupare, si evadere ipsa

nequeat. Ast undè id valet certò constare? Num quia maritus arma præparavit? sed quot valent esse præparandi motiva? An quia iniquum suum prodidit propositum? Nonnè duodecim sunt horæ diei, & hominis voluntas omni momento mutabilis? aut non præter fugam suppetunt mulieri media evadendi mortem benè multa? Meritò itaque doctrina ea proscrip- ta est à Clero Gallicano anno 1700. tanquam *Juri naturali, divino, positivo, & Gentium contraria, nefandis cadibus, & phanatismo viam sternens, societatis humana perturbativa, Regibus quoque presentissimum periculum creans.*

Hic notandum, & præ oculis semper habendum, conditione illa, cum moderamine inculpatæ tutelæ, abuti valdè *P. Molinam* (d) ita monentem: *Servatur autem moderatio inculpatæ tutelæ, quamvis arma capiantur adversus eos, qui armis carent, aut etiam sumantur validiora. Scio dissentire nonnullos (D. scilicet Thomam, veteresque DD.) sed ego ipsorum opinionem, etiam in foro exteriori, non probo.* Satis est, ut

ut hinc juxta Casuistas, vel is, qui venenum propinat inimico se insidiant, moderatio- nem inculpatæ tutelæ servet.

363 His lumen admovet *P. Tamburinus*, Probabilista alter, cujus opera pluriès edita magnà *Doctorum commendatione*, ut vult *P. Sotuel*. Is præmissò hoc generali principio: *Justum, & sine peccato est* (quid decrat, nisi etiam pium & sanctum annexerit) *homicidium, si, etiam auctoritate propria, fiat ob defensionem vite, bonorum, honoris; & constituto: Ut vitam meam defendam* (non verò ut vindictam sumam) *communis est doctrina, posse à me occidi eum, qui me injustè aggreditur, etiam intendendo ejus mortem, ut medium vite meæ, licet sit meus Pater, Filius, Frater, Dominus, Conjux, Sacerdos, Religiosus, dubium excitat* (a): *An possim licitè prævenire occidendo eum, qui me parat occidere? Atque decernit: Certum videtur, posse à me, cum moderamine toties dicto* (re ipsa tantum apparente, ac illusorio) *interfici eum qui proximè, & in procinctu parat, me injustè aggredi.* Ita *Navar. Sylv. Bannez, Lessius.* Ratio est, quia illa periculi pro-

pinquitas est moraliter actualis aggressio. *Dari solent exempla, inquit, videlicet, mulieris existimantis sese à marito nocte occidendam: solventis, & è catena excutientis canem adversus fugere non valentem: servi coram Domino, ejusque jussu tentantis alterius inter- necionem: & tandem venenum præparantis, inevitabiliter bibendum ab alio artificiosè. In his, similibusque casibus judicat Tamburinus, esse certò licitum, morte prævenire injustum aggressorem.*

Subdit (b): *Alterum incertum: AN LICEAT interficere eum, qui veluti remotè parat, me de medio TOLLERE? Varia offeruntur exempla: Inimicus meus quaerit opportunitatem me occidendi: AN ANTEQUÀM illam inveniat, possim ego illum INTERFICERE? Idem præcipit suis famulis, ut ii me circumveniant, occidantque: AN POSSIM famulos, vel Dominum præveniendo occidere? Meus adversarius adit Judicem, nec desistere vult; tentatque falsis testibus, mihi delictum imponere, vel omninò occultum propalare, ut sic ego injusta morte puniar: POSSUMNÈ vel testes, vel adversarium occidere; vel etiam ipsum Judi-*

cem,

(a) Lettere apolog. editæ Venetiis 1763. à pag. 57. n. v. & seqq. (b) Ibi n. 8. (c) Ibi n. 9. (d) Tom. 4. tract. 3. d. sp. 11. n. 5.

(a) Lib. 6. in Decal. c. 1. §. 1. n. 15. (b) Ibi n. 16.

cem, quandò aliam evadendi viam non habeo, & mihi clarè constat ipsum injustam scienter sententiam in me esse PROLATURUM? Dico (a), quamvis aliqui id concedunt, ut Bannez, probabileque putat Petrus Navar. Dicastillus mox citandus, & quoad accusatorem Sanchez in Decalog. Lege item Laymann. Ego cum aliis sic pronuntio: LICÈT speculativè, HÆC FIERI POSSE, probabile APPAREAT; TAMEN in praxi NULLÔ MODÔ SUNT EXPEDIENDA. Ita Sotus, Less. Diana, Bonac. Sed quid hæc profunt in systemate probabilistico, in quo ea opinio & in speculativis, & in practicis est probabilis? Cùm, quia Authores à Tamburino allegati, & alii, uti sunt PP. Valerius Reginaldus, Tannerus, Emmanuel Sà suas opiniones reddunt probabiles: tùm, quia si judicant, fore incertas, jam non est lex, attentis suis principiis, quæ ad omissionem liget. Undè citatus Bussembaum infert (b): Hinc etiam dicunt alii, ut Sanchez.... & alii, licere occidere eum, qui apud judicem falsâ accusatione, aut testimonio id agit, unde certò tibi constet, quòd sis occidendus, vel mutilandus, vel etiam (quod

alii difficiliùs concedunt) amissurus bona temporalia, honores, &c. Quia hæc non est invasio, sed justa defensio, posito quòd de alterius injuria tibi constet, nec sit alius evadendi modus.

Has itaque juxta decisiones, utique probabiles virtute systematis, satis est, quòd quisque, sicut accidit continuò, periculum verè apprehendat, inevitabile amissionis vitæ, honoris, vel fortunarum, quam minatur vel inimicus, vel falsus accusator unus, vel iniquus Judex, ad hoc, ut cunctos necare valeat tutâ conscientia, & sine scrupulo. Et quis jam esse volet umquam denunciator, testis, aut Judex, quibus mors imminet ex facili apprehensione aliena illata; seu inferendæ injuriæ?

364 Nec meliorem expectent sortem ministerii Justitiæ ii, qui parent, exequunturve Judicium, sive Magistratum justa. Quandoquidem ad suam defensionem quisque illos potest quoque occidere licitè ex persuasione suæ innocentia adeò luminosa, quòd nota esse debeat ipsis justitiæ Ministris. Hanc esse P. Molina opinionem, imò DD. (Probabilistarum scilicet) communem

nem, pronuntiata à Judice injustâ sententiâ, asserit P. Honoratus Fabri (a). Qui & subjungit: Excipit De Lugo casum illum, quo satellites Ministris Judicis, licet innocentiam Rei cognoscerent, vellent adhuc capitalem pœnam, & sententiam Judicis in reum exequi: posset enim reus illis resistere, etiam occidendo, ut cum communi Doctorem docet Molina.... Si hæc autem licent post latam sententiam à Judice, ante illam potiori jure licebunt. Succinit P. La-Croix (b) per hæc verba: Innocens, qui ad mortem capiendus est à satellitibus, scientibus ipsius innocentiam, potest se defendere, etiam, si opus sit, occidendo satellites. Et idem recitat de more, disputari ab AA. de reo, magna præconis voce traducto, nimirum, an possit se defendere, & aggressorem occidere? Quare opinio affirmans erit probabilis, & idcirco tuta.

365 Sed quid horribilius, quam primo in limine vitæ, infantis miseri nascentia rumpere fata? Joannes Agidius Trullenb ita scribit (c): Aliqui existimant, si aliud non suppetat remedium, licere pro-

curare abortum foetus inanimati ad evitandum periculum vitæ, & infamie puella pregnantis, sicut diximus licere ad evitandam mortem naturalem. Hæc autem opinio non omninò placeat Diana, & meritò. Non tamen videtur IMPROBABILIS. Non desinam hic admonere, subdit, quòd consultus de hoc casu à viro nobili, & fide digno, testatus est mihi, doctissimum Theologum Societatis Jesu, quem ego scio, respondisse, ut supra dictum est. Et P. Hereau inquit (d): Potest illum (foetum) excutere, ut multi volunt, nè honorem inde suum amittat, qui illi multò pretiosior est ipsâ vitâ. Modò ejusmodi opinio damnata est ab Innoc. XI. Prop. 34. Nihilofecius communio rem sententiam appellare non dubitavit P. Viva (e), directè procurare abortum foetus inanimis, quando mors pregnantis imminet ab intrinseco. Crimine quò Parvi cadem potuere mereri?



AR-

(a) Tom. I. pag. 108. (b) Lib. 3. p. 1. dub. 3. nn. 815. & 816. (c) Tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 1. dub. 4. (d) Sup. Decal. (e) In Prop. 34. n. 13.

(a) Ibidem n. 17. (b) Ubi sup. n. 10.

ARTICULUS II.

Homicidium ob defensionem honoris.

§ I.

366 **V**Ita tandem propria bonum est adeo præminens, ut aliqua le possit apprens suppeditare motivum, unde valet in supradictis casibus iustificare propter propriam defensionem alterius occisionem. Sed quid, ut iam innuimus, quod patrem libertatem concedant Casuista ob bonorum tuitionem longè inferiorum? Ante omnia indulgent propter defensionem honoris, non quidem veri, sed vani Idoli, superædificati super fundamentum idearum fallacium huius mundi errantis. Ecce rursus venit in campum auxiliaribus suis doctrinis, *securioribus inter Theologos, qui scripserunt à trecentis annis, P. Lessius. Qui asserit (a):* *Fis est viro honorato (sic se existimat omnis homo) occidere invasorem, qui fustem, vel alapam nititur impingere, ut ignominiam inferat; si aliter hæc ignominia vitari*

nequit. Lessium ante ipsum hanc tradiderat doctrinam P. Vazquez (qui unus in moralibus promille) hisce verbis (b): Omnes fatentur, quod licitum est, invasorem, qui fuste, aut alapam minatur malum contra honorem, occidere, si alius non sit sufficiens modus defensionis. Solas vult sufficere ad occisionem minas intentantis. Similiter P. Azorius (cujus doctrina, P. Cardenas teste, magna sapientum commendatione recepta est) inquit (c): Certè hoc videtur PROBABLE, cum alio modo suum honorem defendere non potest: aliter enim ex malitia hominum honor innocentis passim tolli posset.

Crudelis adeo opinio, quæ præfert hominis occisionem pro alapa, pretiosius vitæ bonum postponens tantillo honori, à pluribus post recepta est, ita ut eam adoptans *Busembaum, dixerit (d):* *Licere tamen (occidere) si aggressor fustem, vel alapam viro valde honorato impingere conatur, quam aliter avertere non posset, docent cum Diana, Lessius, Hurtadus, & alii duodecim. Et Tamburinus (e):* *Honestus vir,*

(a) Lib. 2. de Just. c. 9. dub. 12. n. 77. (b) Opusc. mor. c. 2. §. 1. dub. 9. n. 34. (c) P. 3. Inlt. Moral. lib. 2. p. 105. (d) Ubi supra dub. 3. n. 2. (e) Ubi supra §. 3. n. 1.

vir, nè alapam v. g. percutiatur, honestaque mulier ex Cajet. & Sylv. nè impudicam maculam patiat; occidere, etiam sine timore irregularitatis, invasores possunt, quando aliter consulere sibi nequeunt. Ita Suarez, Bonacina, Koning, & passim apud Dianam. Quibus adjungi possunt PP. Salmantenses, qui & statuunt (a): Si quis conetur proximum aliquem inhonorare percutiendo fuste, aut alapam, tum si aliter hanc percussorem vitare nequit, poterit injustum invasorem occidere.

367 Sed quid si percussor ille statim fugiat? *l. Reginaldus ex monito Christiano, vindictam esse interdictam privato, non infert (b),* quemquam debere offensas sustinere in pace; sed hominem militare posse, tum insequi percussorem, non ut malum pro malo reddat, sed ut conservet honorem sibi ablatum. Quasi dixerit, posse facere quidquid faceret vindictam sumere volens; hanc tamen intentionem, quæ unà prohibetur à Lege, ac Evangelio, habere non debere. Pariter pater *Hurtadus à Mendoza, Filliu-*

cium, Becanum docet P. Henriquez (c), quod si quis post impactam alapam, non progreditur, aut fugam se committit; vir nobilis, vel honoratus sic injuriatus potest illum repercutere, persequi, totque illi plagas imponere, quot ad sui honoris recuperationem credit necessarias. *Henriquezii sententiam amplectitur, ut mox videbimus, P. Escobar, & subdit: R. tio est, quia quamdiu damnum illatum est in suspensio, semper est locus defensionis, ut patet in eo, qui furem insequitur ad recuperandum ablatum. Nam quamvis honor non sit apud percussorem, sicut ablata res apud furem; potest tamen, non secus ac res furtiva, recuperari, ostendendo signa excellentiæ, & astimationem apud homines captando. An non alapam percussus censetur tamdiu honore privatus, quamdiu adversarium interimat? Antievangelicæ huic rationi quid reponi possit, nescire liceat, memores illius (d):* *Benedicite persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere: nulli malum pro malo reddentes; nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes.*

Y

Mo-

(a) Tract. 25. c. 1. punct. 4. §. 3. (b) Prax. fori pœnit. lib. 21. n. 62. (c) Lib. 14. c. 10. n. 3. (d) Ad Rom. 12. v. 14. & 17. 1. Petri 3. v. 9.

Moderatiùs fuit locutus P. Lessius (a); sed tandem consentire videtur. Recensitis enim pluribus memoratæ sententiæ sanguinariæ assertoribus, pronuntiat: *Hæc sententia est SPECULATIVÈ probabilis: tamen IN PRAXI non videtur FACILÈ permittenda.* Hòc ipso concedit inveniri casus, in quibus permittenda sit in praxi: sicut qui dixerit, *in praxi non videtur facilè permittendum adulterium* v. g. hujus praxim ut illicitam non auderet damnare. Hinc alii apud Tamburinum (b) sententiam eam concedunt licitam in praxi, ac sine limitatione; contestaturque Diana, id pios, & doctissimos Viros docuissè. Recole à nobis notata nn. 19. atque 20.

368 Quid? Ipse Lessius adhuc loquitur (c): *Si contumeliis afficias sive per verba, sive per signa; hic etiam est jus defensionis.* Nam ex sententia omnium licet contumeliosum occidere, quando aliter ea injuria arceri nequit (quamquam ipse armis non invadat), ait Petrus Navar. lib. 2. c. 3. n. 376. Si ergo tres, quatuorve Authores, & etiam unus Clasicus

opinionem suam efficit probabilem; licita occidendi licentia ob sola contumeliæ verba, vel etiam signa, erit opinio plusquam probabilis, cum sit communis omnium? Et nè Lessii videatur hyperbolica locutio; est saltem communior inter Probabilistas, si de se ipsis testimonium perhibentibus credendum est.

P. Franciscus Amicus (d) sic habet: *Conveniunt supraacti Doctores, fas esse ad propulsandam ignominiam, quam mihi aliquis inferre conatur, illum prævenièdo occidere: sicut fas est, ad declinandam mortem, quam mihi injustus invasor molitur, illum occidere, antequam mihi mortem, vel mutilationem inferat.* Idem testatur P. Patrius Sporer (e) dicens: *Etiam ad honorem necessarium tuendum, viro honorato licere occidere injustum, & contumeliosum aggressorem, docent DD. communiter ferè omnes.* Et sine dubio verissimum est in hac suppositione, quòd vir honoratus in aliquo casu aliter ignominiam, vel contumeliam repellere, honoremque sibi aliter tueri non possit, nisi occidendo

ag.

aggressorem contumeliosum. Et ante Sporerium dixerat Moya (a): *Licetum est ad eum (qui persistit dicendo, mentiris) propulsandum, quando aliter non potest, persistentem percutere, & si opus est, occidere.* Idemque dicendum, si in contumeliosis verbis iterandis persistat, nec aliis possit verbis cohiberi: quia id non est vindicta injuriæ illatæ, sed inferendam repellere. Idem itaque dicendum erit de viro & uxore, fratribus, aliisque, qui sese contumeliis invicem afficere assuescunt, quin alter alteri cedere velit.

369 Profectò quò habeatur à Casuistis in pretio honor ille purè mundanus, unicè consistens in fallaci idea, atque depravata hominum phantasia, ex duobus apud illos Authoribus clasicis deprehenditur. Constituit P. Lessius, occidi furem non posse ob rem parvi momenti; est enim, inquit, valdè iniquum, ut pro pomo, vel etiam uno aureo servando, alicui vita auferatur. Benè, & optimè. At continuo subjungit (b): *Si tamen tibi verteretur probro,*

nisi rem furi extorqueas, posses conari, & si opus esset, etiam occidere, juxta Sotum. Sotum numquam tam scandalosam tradidisse doctrinam, demonstrat Eranius (c). Quis verè illam docuerat, est P. Vazquez. En ejus verba (d): *Licet sit res parvi pretii; si tamen ex eo, quòd Dominus illius non eripiat illam è manibus latronis, illi vertatur dedecori, & ille sit homo honore dignus in populo, potest ipsum occidere, cum aliud non restat remedium, ut docet Mercado: quia tunc tuetur suum honorem, non res.* Quin concinens P. Tamburinus addit tertium, P. Molinam scilicet: *Illud Molina, ait (e), contra Baldum, aliosque, non reprobo, licet res est unius (aurei) aut minoris valoris, si illam quis, resistente Domino vel custode, vellet auferre, seu ejus possessionem occupare, posse interfici, si aliter repelli nequeat; quia non injustus solum, verum etiam contumeliosus graviter est (ut supponi omnino debet) contra presentem Dominum is, qui sic tentat alienum arripere.* Addit Lessius: *ETIAM si deinde recuperare per Judicem*

Y 2

cem

(a) Lib. 2. de Just. c. 9. dub. 12. n. 8. & 79. (b) Ubi supra §. 3. n. 2. & 3. (c) Ubi supra n. 78. (d) De Just. & jur. disp. 36. sect. 7. n. 106. (e) Tract. 5. in Decal. c. 11. sect. 3. §. 4.

(a) Quæst. select. 3. q. 3. §. 2. (b) Ubi supra lib. 2. c. 9. dub. 11. (c) Tom. 4. Lett. 28. pag. 140. n. 20. & seqq. (d) Opusc. Moral. dub. 8. n. 32. (e) Lib. 6. in Decal. c. 1. §. 2. n. 4.

cem possit. Ecce jam tres, quatuorvè hujus sententiæ Assertores, præter alios, quorum singuli, utpote classici, & omni exceptione majores, eam reddunt solidè probabilem.

§. II.

370 **P**orrò si sæculares honorem suum tanti facere possunt, juxta præfatos Theologos; alii tamen non indulgent ponderosam eam honoris defensionem Ecclesiasticis, & Religiosis, qui abrenuntiavere mundo & concupiscentiis ejus, humilitatis, ac moderationis evangelicæ speciali professione: quasi præscripta Evangelica non ex æquo adstringerent omnes christianos. Sed *P. Amicus*, suam adornans Theologiam juxta Scholasticam hujus temporis Societatis methodum, (ubi proposito dubio) (a) *an possimus operari, non solum ex opinione probabiliori, sed etiam ex probabili minus tuta?* respondet: *Negant ferè omnes antiqui* (non quia oppositum aliquis dixerit, sed quia non omnes tale dubium excitaverunt); *sed nobis cum Recentioribus dicendum est, &c.*

absolutè, ac liberè decernit (b): *Negari non potest, quin saltem honorem, famamque illam, quæ ex virtute ac sapientia nascitur, quique verus honor est, justè defendere Clerici & Religiosi valeant, ac sepè DEBEANT: cum hic sit proprius professionis ipsorum, quem si amittant, maximum bonum amittunt. Nam per hunc redduntur summoperè estimabiles, & conspicui secularibus, quos sua virtute dirigere, ac juvare possunt: Quo sublato, nec illos dirigere, nec juvare poterunt. Ergo saltèm hunc honorem poterunt Clerici cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum MORTE INVASORIS defendere. Quin, interdum, Lege saltèm charitatis, videntur ad illum defendendum TENERI si ex violatione propriæ famæ integra Religio infametur.*

Pro hujus doctrinæ defensione à censura Universitatis Lovaniensis, & à supremi Brabanticæ Consilii interdicto, epistolam dedit *Amicus* ad *P. Zergol*, Gratzensem Theologum, atque iste ad alios, ad famosum præcipuè *Caramuellem*; qui rescripsit: *Doctrinam AMICI solam esse veram, & oppositam IMPROBABLEM; censem*

mus omnes Docti. Eam nihilo-fecius proscrispsit *Alexander VII.* Prop. 17. atque idcirco à pluribus *Amici* exemplaribus abrasa est in terminis ipsis; sed subsistit adhuc sententia ejus, quam transcripsi, quæque, ut patet, continet, & efflat totum thesibus expressè damnatæ virus. Et hinc videas, quàm arbitraria, & omninò falsa sit interpretatio *P. Viva*, volentis (a), *Amicum* momenta rationum damnatæ thesibus proposuisse tantum disputandi gratiâ. Hoc uti solet interpretamento, dum suos ut excuset ab assertione damnatarum thesibus, quò aliò se se vertat non habet, ut alibi (b) fecit pro suo *P. Ripalda*. Ad præsens quod attinet vide *Diniliium* (c) & *Eraniste* (d).

371 Sunt & pejora priorii interpretamenta *P. Martini Torrecille*, Sedi Apostolicæ delata ab Hispaniæ primis Pastoribus (e), ita scribentis: *In Propositione 17. damnata ab Alexandro VII. quæ agebat, licere Religioso, vel Clerico occidere calumniatorem gravia crimina in eos minitantem, si aliò*

modò vitari non possit, non venit damnatum dicere, LICITUM ILLIS ESSE, CALUMNIATOREM OCCIDERE, quando actum injuriosa verba in eos profert, famæ valdè læsiva, si alia via non est tantum malum vitandi. IMMO, NEC DAMNATUM venit dicere, SOLUMMODò esse peccatum veniale in Religioso, vel Clerico in casu Propositionis damnatæ occidere calumniatorem. Si ergo ii propter sui honoris defensionem, famæque, virtutis, & sapientiæ valent, ac sepè debent moliri mortem ipsos offendentium, potissimum quàm privati infamia redundat in Coctum; apprehendant sat erit, aut sibi persuadeant calumniatos fuisse, vel infamatos, ut absque timore culpæ, nisi ad summum venialis, ad effectum ducant iniquum attentatum adversus quemcumque, etiam sublimioris, vel regii, in Republica characteris.

372 En tandem propositum casum, ac definitum à *P. Amico*, qui novus videbitur, nec ab ullo umquam excogitabilis Theologo. Primus, quem sciam, statuit, posse

Y 3

Re-

(a) In Prop. 17. Alex. VII. n. 1. (b) In Prop. 23. Innoc. n. 3. (c) Tom. 1. pag. 15. Epist. 2. à n. 3. (d) Tom. 2. Obser. Lett. 15. à n. 2. pag. 272. (e) In toties laud. supp. Libello pag. 48.

(a) Tom. 3. disp. 15. (b) Disp. 36. de Just. n. 118.

Religiosum interficere fœcunam inferioris conditionis, quacum peccavit; semper & quando hæc honori ducens, se prostituisse tanto viro, malum factum publicaret istoque pacto traduceretur ille. Quid vobis videtur? nonne nobile quæsitum, nobiliorque resolutio hæc, decorans Jesu Christi moralem inclutam? Serio hæc loquendum: nonne res est amarissimis plangenda lachrymis, Theologiam christianam adeo indignè violari prophanis vocum novitatibus? Quid? O Deus bone! Non deerunt fortè Theologi ad confirmationem thesisi Amicianae, quam publici juris factam legunt apud *Caramuelem* (a) suam, & alienam firmatam autoritate per hæc verba: *Legisti hanc doctrinam, & inquiris: AN HOMO religiosus, qui fragilitati cedens, fœminam vilem cognovit, quæ honori ducens, se prostituisse tanto viro; rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere? Quid scio? At audiui ab eximio Patre N. S. Theologiae Doctore, magni ingenii, & doctrina viro: POTUISSET Amicus hanc resolutionem omisisse; at semel impressam debet illam tueri, & nos*

eamdem DEFENDERE. Doctrina quidem est PROBABILIS, quæ potest uti Religiosus, & pellicem occidere. Id generis ratiuncularum pondere redduntur probabiles doctrinae adeo horribiles, nec nominanda in nobis, de quibus *Caramuel* ipse, alique factionis probabilisticae ultrò fatentur, nullum esse vestigium in Theologia Scripturarum divinarum, & SS. Patrum.

ARTICULUS III.

Homicidium propter rerum familiarium tuitionem.

373 **D**E hoc querit *P. Lessius* (b) his conceptis verbis: *Utrum liceat occidere furem in defensionem suarum facultatum?* Et primo loco ita decernit: *Dico primo: laicis id esse licitum, si illæ facultates sint magni momenti, nec sit probabilis spes illas recuperandi.* Hac decisione generaliter proposita, multis rationibus eam suadet, quarum primæ inserit observatum dignam periodum istam: *Qui jurem diurnum, non se telò defendentem interficeret, non excusaretur ab homicidio in foro*

ex-

externo: in foro tamen conscientia excusaretur, si non erat probabilis spes recuperandi, vel si recuperatio NON ERAT CERTA, SED DUBIA, ut Sotus ait. Hanc ultimam limitationem æquo pulsant pede *Sotus* (a), & *Lessius*. Sed hic post suæ thesisi probationes, adjectas ejus conditiones declarat. Primam ita: *Dixi in Propositione, SI RES ILLÆ SINT MAGNI MOMENTI: quia pro re minima non videtur concessum jus defensionis cum tanto alterius malo. Est enim valde iniquum, ut pro pommo, vel etiam uno aureo servando, alicui vita auferatur.* Sed subdit, quæ notavimus num. 369. quæque numquam reperies integro lecto *Soti* articulo; sunt enim directè opposita documentis *S. Evangelii*, naturalisque æquitatis primis principiis.

Exponit subindè *Lessius* conditionem secundam sic: *Dixi, NEC SIT PROBABILIS SPES ALITER RECUPERANDI: quia si possit aliter recuperari v. g. per Judicem, sapè erit saltè contra charitatem pro illius (rei) defensione occidere, ut si fur, re ablata, fugiat.* Dùm ergo ejusmodi est spes, furis occisio, non erit quidè contra justitiam (quis

nisi apertus Rigorista negaverit?) sed erit saltem contra charitatem; at non semper, sed sæpè; adeoque ne charitas quidè offendatur aliquandò internectione furis fugientis, tametsi res ablata recuperari valeat vel per viam justitiæ, vel aliundè. Laxitatem ejusmodi opinionationis nec invenit in *Soto*.

Secundo loco *Lessius* sic definit: *Dico secundò, idem licitum esse Clericis pro defensione rerum suarum.* Quod asserit post etiam de Religiosis, laudatque *S. Antoninum*; sed citra aleam injuriæ, à qua numquam purgari ab ullo poterit *Lessii* sentus. Cujus ibi quæsitum est: *Utrum Clericus, vel Laicus sit irregularis, qui ob defensionem rerum suarum occiderit?* & responsio: *Breviter dico, Laicum non esse. Idem PROBABILITER de Clerico, si id fecerit cum debito moderamine.* Si ergo sustinet, quidquid asseruerat suprà de Laicis, dicendum fore quoquè de Clericis & Religiosis; per eundem licebit Religioso manus suas lavare in sanguine tantantis rapere violenter de manu sua pomum, vel aureum unum, vel quid simile, quando

Y 4

(a) Theol. fundam. fund. 55. (b) Lib. 2. de Just. c. 9. dub. 11.

(a) Lib. 5. de Just. & jur. q. 1. art. 8.

dò sibi verteretur probro, nisi rem furi extorqueat; pariterque nullam actionem exeret, saltem interdum, ne contra charitatem quidem, occidendo furem, re ablata, fugientem, quantumvis possit aliter recuperari, v. g. per Judicem; neque fiet ullatenus irregularis probabiliter. Hujus generis doctrinæ certò certius non leguntur in Soto.

Difficultas altera à P. Lessio suscitata est: *Difficultas est, inquit, quousque se extendat hæc defensio?* Et resolvit, varios exponendo modos, quibus invadi possunt aliena bona. Primò, ait, si per te nitaris auferre, teque defendas contra impediendam. In hoc casu est communis sententia, posse interfici. Hanc esse communem sententiam, sit fides penes Authorem; sed valdè eum timeo, eò adscribere modò Theologorum communi, quò supradicta Soto. Secundò, si re accepta fugias, tunc possum insequi, & ferire, vel si necesse sit, eminens telò petere. En unicam fortè decisionem, in qua unius moris sunt Lessius, & Sotus: iste tamen reservatori expressione, ac circumscriptiori, ut Lectori patens erit. Sed ecce

primò diverfi in sequentibus: Si invadas, inquit LESSIUS, res meas per famulum, vel arte Magica per Dæmonem; nec aliâ ratione, quàm nece tua, possit impediri: Si conjuraveris in mea damna: Si impedias iniquè meos Creditores, nè mihi satisficiant: Si falsa accusatione, vel falso testimonio MEFORTUNIS CONERIS EVERTERE; nec alia ratio impediendi suppetat, supple, quàm nece tua. Hujusmodi decisiones tot tantorumque casuum, laxas, scandalosas, & damnatas, vel in damnatis virtualiter contentas, non reperies in Soto; quí materia in præsentem eam tradit doctrinam, ex qua colligitur apertè illas improbare, & detestari.

374. Hinc Tamburinus (a) habet: Fateor esse PROBABLE cum Vazquez, aliisque apud Dianam, Lessio, & Reginaldo apud Bonacinam, non si est spes aliter recuperandi, vel esset timor recuperandi cum magna difficultate, posse te tentare rem tuam, sive immobilem, sive mobilem (si extat in individuo) resumere. Quodsi fur contra renitatur, inevitabilemque suam possessionem custodire contendant, posse occidi: quia tunc

in-

injustè te fur impedit, & moraliter, seu æquivalenter te agreditur. Paulò ante (a) constituerat: Licere occidere volentem mea bona ALICUJUS MOMENTI injustè occupare, si aliter ea defendere nequeam, CERTUM EST TUM JURE NATURÆ, TUM CIVILI.... Quo jure fruuntur etiam CLERICI, RELIGIOSIQUE sine periculo irregularitatis. Si autem, quia quæ requirit bona magni momenti LESSIUS ad necem furis; alicujus momenti sufficere ait Tamburinus: Scire desideres, cujus pretii aut valoris bonum esse debeat in Casuistarum existimatione ad licitum furicidium? Ipse Tamburinus (b) respondet: Molina T. 4. tract. 3. disp. 6. n. 6. non satis esse putat valorem trium, quatuor, vel quinque ducatorum. Dicastill. lib. 2. de Just. tract. 2. disp. 10. dub. 5. n. 50. longissimè majorem quantitatem requirit, quàm ea, quæ in furto est sufficiens ad mortale. Annotationes ad Aretinum apud Dianam part. 5. tract. 4. resol. 18. monent, non debere esse minoris valoris, quàm duorum aureorum. Sed profectò censeo, de-

bere ex circumstantiis id expendi: Unus enim, vel alter aureus erit magni momenti pro eo inope, cujus integrum patrimonium in illo aureo residet. Contra: decem, vel viginti erunt exigui ponderis pro Rege, vel valdè divite. In summa, res, propter cujus defensionem est quis interficiendus, debet esse magni momenti, vel ex se, vel in sui estimatione, vel ex aliquo damno consequente.

375. At citatus P. Molina, quamvis non sufficere credat quatuor, quinqueve scuta ad furicidium, si tamen non sit simplex furtum, sed rapina; contractius asserit (c): *Quandò quis injustè aggredietur usurpare rem etiam valoris unius aurei, vel minoris adhuc valoris resistente Domino, aut custode illius, certè neque ad culpam, neque ad pœnam aude rem condemnare, qui illum defendendo interficeret cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Unde P. Escobar hanc statuit (d) propositionem generalem, jam proscriptam: *regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* Et P. Hurtado (e) atque ex ipso P. Viva (f)

in-

(a) Ibi n. 1. (b) Ibidem n. 4. (c) Ibi disp. 16. dub. 6. (d) Prop. 31. ex Innoc. (e) Prop. 31. 32. & 33. Innoc. dissert. 19. n. 65. (f) In Prop. 17. & 18. Alex. VII. n. 10.

(a) Ubi supra §. 2. num. 6.

inquit : Si aliquando amissio unius aurei foret alicui pauperi ingens damnum , ut si artifici tollatur instrumentum sue artis , quo sublato non possit suam , ac suorum vitam sustentare ; tunc poterit illud defensione occisiva custodiri ; & ideo propositio damnata solum vult , id non licere REGULARITER , est in aliquibus circumstantiis possit id licere. HURTADI VERÒ verba sunt. Si injustus aggressor per viam impediret diviti , ne liberaliter daret eleemosynam pauperi , aut pauperi , ne peteret ; certum apparet , vim illam propulsari posse eadem vi , qua defenduntur bona temporalia summi momenti , & ea maxime , quorum amissio equiparatur morti , & vitam amaram redderet , laboriosamque , ac difficilem. Atqui ob bona ista rectè perveniri potest usque ad defensionem occisivam violenti aggressoris , quando occiso est medium efficax ad damnum nostrum vitandum , & alia media deficiunt : idem igitur licebit ad defendendas spes illas pauperis. Porro Casuista cum P. Amico (a) cohonestare pergunt homicidium , non propter rerum , quas actu posside-

mus , defensionem modò , verùm etiam quarum spem possidendarum habeamus. Doctrinam istam exitialem confixit Ecclesia (b).

ARTICULUS IV.

Duellum.

§. I.

376 **P**Rinceps Theologorum Moralistarum apud Probabilistas P. Thomas Sanchez ita scribit (c) : Dubium est : AN LICEAT innocenti id duellum acceptare , sive offerre , quando certum est fore , ut actor per fraudem in judicio ipsum opprimat , & ejus injustam condemnationem IMPETRET ? Quidam neutrum licere ajunt , quòd sui defensor ille solus dicatur , qui invitus ad pugnam ab aggressore cogitur. At hic etiam ad duellum provocatus , id spontè acceptat. Quamobrem non tamquam sui defensor excusandus est , sed tamquam invasor condemnandus.... Sed melius alii dicunt , licere huic innocenti duellum AD VITAM , HONOREM , ET RES FAMILIARES IN NOTABILI QUANTITATE tuendas , quando constat omninò , injustè , & per

per calumniam actorem procedere : & certum omninò est , fore , ut innocens hæc amittat , nec aliud sibi evadendi remedium suppetat. Quia si hoc duellum rationem defensionis cum moderamine inculcata tutela induit (ut Doctores secundæ sententiæ fatentur) ea defensio contra invasorem est licita ET PRO VITA , ET PRO HONORE , ET PRO REBUS etiam tuendis. Et ita hanc sententiam tenent Bannez 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 4. in corp. & solut. ad 2. Manuel.... Navarra lib. 2. de rest. cap. 3. in 2. part. dub. 13. in nova editione n. 289. & 290. Ubi meritò rejicit limitationem Cajetani , petentis consensum Principis ; nam defensio jure ipso naturali absque alicujus licentia conceditur. Atque optimè Bannez ait , licere innocenti in his casibus acceptare , & offerre duellum ob rationem traditam. Imò & non provocando ad duellum , interficere occultè actorem illum calumniosum ; cum hæc occisio sit vera defensio. Nihilominus poenitere Sanchezium videtur quod scripsit scripsisse , dum hanc subdit stupendam limitationem : Imò benè Navarra eo numero 290. ait , teneri innocentem non acceptare duellum ,

nec indicere ; si potest , occultè illum occidendo , id vitæ , honoris , rerum familiarium periculum evadere. Quippè sic proprium vitæ periculum in duello imminens vitabit.

Tædet animam meam citationum passim falsarum omninò. Adeat Lector Cajetanum , quem laudat Petrus Navarra , locis citatis , & Dominicum Bannez , cum loco laudato de Jure , & Justitia , tum in 2. 2. q. 40. a. 1. prope finem ; & audiet quanta adversus illos dicat testimonia Sanchezii ; de quo scimus , cum vitæ , honoris , fortunarumque defendendarum causâ , non solum duellum , sed etiam , quod deterius est , Homicidium proditorium permisisse , duasque Propositiones uno loco docuisse , quæ post damnatæ fuerunt , altera quidem ab Alexandro VII. quæ est 18. altera ab Innocentio XI. quæ est 30.

377 Nihilofecius Sanchezii opinionem de vita , de honore , deque fortunis ; cum in judicio maligni accusatoris calumniâ haud dubiè periclitantur , duello defendendis , docent Salmanticenses (a) , Diana (b) , Lessius (c) , & Castro-
pa-

(a) Loco supra citato. (b) Prop. 32. & 33. Innoc. XI. (c) Lib. 2. in Decal. cap. 39. n. 7.

(a) Tract. 10. c. 4. punc. 3. n. 39. (b) P. 5. tract. 13. resol. 27. (c) Lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 49.

palaus, cujus hæc sunt verba (a): *Sexta causa, quæ est periculum vite, honoris, & fortunarum magis est controversa inter Doctores.... Ut ergo cum distinctione procedamus, proponendi sunt casus, in quibus hoc periculum necessariò quis subire potest, & offertur duellum ad illius evasionem. Primò, si minetur tibi aliquis mortem, aut falsum testimonium, aut gravem jacturam divitiarum, nisi duellum cum illo acceptes, & credas, sine dubio tibi illud malum inferendum esse recusatò duellò; in hoc casu tibi licitum est duellum acceptare, imò ad illud invitare, quia non invitatus ad malum, sed ad minus malum: neque enim eligis periculum mortis absolutè, sed certum periculum mortis, infamiae, amissionisque bonorum, commutatus in periculum dubium, & incertum. Sic Sanchez lib. 2. cap. 39. num. 8.*

378 Verbo: omnes Casuiste, qui plùs, qui minùs, concedunt in hac materia vituperabiliores licentias. Propter unius honoris mundani defensionem, P. Laymannus, Author adeò selectus, & acceptus apud illos, sequentes eru-

ctavit propositiones malas (b): *Si vir equestris in aula regia officio, dignitate, Ducis, aut Principis favore ob ignavia suspensionem excidere debeat, nisi identidem provocanti (ad duellum) se sistat, non audeo damnare eum, qui mere defensionis gratià paruerit. Idemque sentiendum, si ad pugnandum laceffens alterum, crebra convicia & contumelias adjiciat, à qua ille molestià, & subeundo dedecore aliter liberare se non possit, nisi armis congregiatur. Nam si ob defensionem bonorum, hominem mutilare, vel occidere fas est; multò magis, si ita necesse sit, ad defendendum honorem, vel avertendam contumeliam. Quandoquidem honor pluris valet, quàm fortuna bona, & injuria personæ major est, quàm fortunarum damnum.*

Alias adjunxit ratiunculas P. Filliucius (c) dicens: 1. *Quia quando non potest aliter honori consuli, nisi invasorem occidendo, licet utiquè occidere.* 2. *Quia invaso fas est invadentem occidere, quando fuga sibi ignominiosa est, ut suprâ diximus.* At major ignominia est, illatum duellum respuere: ergo. 3. *Cur in tali eventu non potest ac-*

acceptari duellum, non animo provocantem occidere, sed tantùm comparendi in loco condicò, nè famam strenui viri (sive ut ait P. Hurtado apud Dianam part. 5. tractat. 16. misc. 2. resol. 99. nè ignavus, gallinæ, & non vir dicatur) quæ nobilibus equè chara est, ac ipsa vita, amittat? 4. Si quis velit adimere vitam, vel bona, nec possit aliter ea tueri, quàm acceptando duellum, potest acceptare: cur ergo non etiam ad servandum honorem & famam, poterit duellum acceptare? 5. Acceptare duellum, & comparere in tali loco, non est intrinsecè malum, sed quoddam indifferens, quod benè vel malè fieri potest: cur ergo, si justa causa subsit, qualis est honoris aestimatio, non possit licitè fieri?

§. II.

379 **S**Ed & P. Daniel Stadler anno 1751. volumen emisit inscriptum: *De Duello honoris vindice.* Continuò ac lucem aspexit publicam, omnes Evangelicæ doctrinæ, ac disciplinæ christiannæ commovit peritos, istorumque justæ lamentationes adversus præfati libri opiniones pervenere ad Petri so-

lium. Quapropter *Benedictus XIV.* Congregationem Emin. Cardinalium, atque Theologorum instituit, in qua dicti voluminis doctrinâ seriò & maturè discussa, expensâque Constitutionem, quæ incipit *Detestabilem*, edidit die 24. Novembris 1752. qua sequentes Propositiones damnavit tamquam falsas, scandalosas, & perniciosas.

I.

Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indèque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis aliàs sibi debita, ac promerita spe perpetuò carere deberet; culpâ, & poenâ vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humane vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certò sciunt, pugnam non esse secuturam, utpotè ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Ecclesiasticas poenas, ab Ecclesia contra Duellantes latas, Dux, vel Officialis militum.

(a) Tract. 6. disp. 5. punct. 7. n. 9. (b) Lib. 3. tract. 3. c. 3. (c) Tom. 1. tract. 19. cap. 8.

sum sibi contradicentem? Ibi-
dem, alibique, ac ubique re-
clamantem, & præsertim I. 2.
q. 96. a. 5. ad 3. obstan-
tem: *Princeps dicitur esse solu-
tus à lege: quia nullus in ip-
sum potest iudicium* CONDEM-
NATIONIS ferre, si contra legem
agat. Unde super illud *Psalm.*
50. TIBI SOLI PECCAUI, &c.
dicit *Glossa: quod Rex non ha-
bet hominem, qui sua facta di-
judicet.* Videndus etiam ibi q.
105. a. 1. ad 1. Et rursus
Eraniste loco supra citato (a).
Sed quid non mortalium pe-
ctora cogit laxandi sacra fa-
mes? Videntes non vident,
ut decipiant de vanitate in id
ipsum, sintve ab omni culpa
defensi, ac poena sub tanti
Doctōris pallio, vel lace-
rato. Sed de his infra. Impræ-
sentiarum dandus non est lo-
cus controversiis, sive de
Romani Pontificis supra Re-
ges autoritate (illorum ne-
mo aut ordinavit, aut um-
quam consentit Regis tyranni
occisioni) sive de propria
vitæ defensione contra Prin-
cipem, qui ductus furore, vel
concupiscentia effræni, abu-
tendi v. g. uxore alterius,
adoriretur exempto gladio ma-
ritum, ut liberius suæ sacri-

ficaret libidini: quo in casu,
certè metaphysico, dubitant
Theologi, quid tum deberet
facere maritus, si fugâ, vel
aliter suæ occisionis evadere
non posset periculum. Modò
itaque est dumtaxat quæstio:
an personis privatis, sive Po-
pulo sit aliquandò licitum ten-
tare adversus Principis supre-
mi personam, ubicumque ha-
betur uti tyrannus, vel ob
suum regimen revera tyranni-
cum, vel ob usurpationem
regni alieni, quod possedit,
vel ob simile motivum quod-
cumque? Et de hac dicimus,
definitum esse ab Authoribus
gravibus, illum posse inter-
fici licitè, ac sine ullo pec-
cati scrupulo; quin, ita neces-
sariò decernendum ab omni-
bus Probabilistis juxta princi-
pia ab ipsis communiter con-
stitutata. Quis talia fando, tem-
peret à lachrymis!

381 Ad Authores graves
quod attinet, ex quorum do-
ctrina sceleris ejusmodi horri-
bilis, execrandique resultat
honestas; imprimis *P. Valen-
tia* quærit (b): *Utrum liceat
privato cuilibet Civili occidere ty-
rannum?* Et positâ distinctio-
ne tyranni in regimine, &
in titulo (nam est tyrannus,
non

non propter injustam arroga-
tionem potestatis, sed tantum
propter usum pravum, Com-
munitati perniciosum, suæ
in gubernando autoritatis,
aliundè legitimæ; vel tyran-
nus est, quia usurpavit autho-
ritatem, quam vi conservat)
respondet: *Si est tyrannus pri-
mò modò, nulli particulari licet
eum occidere: nam eum tunc
coercere pertinet ad Rempubli-
cam, quæ sola posset jure op-
pugnare illum, & vocare in
Subsidium Cives.* Indulget sal-
tem ex consequenti Reipubli-
cæ, quod negat privatis, jus
occidendi. Et quidem nomine
Reipublicæ non accipit nisi
Populum, vel subditos, cum
loquatur de Rege absoluto,
non de Principe dependente
ab optimatibus in regimine
Aristocratico. Populus itaque,
& communitas subditorum po-
terit secundum *P. Valentia*, in-
surgere adversus Monarcham,
sive Magistratum supremum,
sumere arma, & perdere, quum
tyrannicum dixerint eorum
imperium.

Pergit *Valentia: Si tamen
esset tyrannus secundò modò,
cuilibet eum posset occidere, si
non esset recursus ad superiorem,
nec majus indè Communitati
detrimentum timeretur: nam*

*tota Respublica censetur gerere
justum bellum contra ipsum: &
ita Civis quilibet, ut miles qui-
dam Reipublicæ, posset eum oc-
cidere, sicut Judicum 3. Aod
occidit Eglon tyrannum.* Sermo-
nem habet de tyranno, non
jam de eo, qui tumultuariè
invadit regnum, sed de illo,
qui est in possessione pacifica
statùs, quamvis usurpati ini-
què, vique retenti. Et con-
cludit: *Unde quandò in Conci-
lio Constantiensi sess. 15. probi-
bentur particulares occidere ty-
rannum, intelligendum est de
tyranno primò modò: de hoc
enim eadem est ratio, atque de
aliis malefactoribus, qui solum
per publicam potestatem puniri
possunt.* Supremos Principes
pares facit malefactoribus cæ-
teris, & eodem exemplo, quod
rejecit *D. Thomas*, confirmat
doctrinam, quam ipso *Ange-
licus* improbat in nonnullis Ve-
teribus, tamquam Apostolicis
dissõnam præscriptis, saluta-
ribusque Scripturæ monitis.
Sanè juxta eundem *Valentiam*,
ut supra n. 236. vidimus, Prin-
ceps notoriè excommunicatus
vel ob hæresim, vel ob quam-
cumque aliam causam, eo ipso
privatur sua autoritate regia,
etiam ante sententiam Judicis,
adeoque ad clavum adhuc se-

(a) Leterre apolog. à pag. 93. (b) T. 3. disp. 5. q. 8. punct. 3.

dens auctoritatem exercet, quæ non est jam amplius legitima, sed usurpata, sicut ea tyranni, qui armorum violentiâ retinet regni gubernacula, quæ rapuit. Si hunc ergo tyrannum secundi generis Civis quilibet posset occidere; illo quoquæ in casu fiet licitum tyrannicidium, sive regicidium.

382 Succinit P. Molina (a) per hæc verba: *Duobus modis aliquis est tyrannus. Unò: quia licet sit verè Dominus Reipublicæ, in qua tyrannidem exerceat, iniquè tamen, atque injustè eam administrat. Alterò verò: quoniam non est Reipublicæ Dominus, sed eam usurpatam habet, ac oppressam. Tyrannum primò modò nefas est privatis interficere: posset tamen unusquisque ab eo se defendere, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, eumque interficere, si ita esset opus ad propriam vitam defendendam, quam ille injustè auferre vellet. Benè habet. Sed addit: Posset item Respublica ipsa quòdam capita (præcipuorum scilicet communitas subditorum) convenire, eique resistere, latèque sententiâ deponere illum ab administratione, si id ita excess-*

sus illius, communeque bonum efflagitarent, atque illum depositum punire. Ante latam tamen sententiam nefas Privatis esset eum interficere, nisi quando, ut dictum est, necessarium omninò esset ad vitæ defensionem. MOLINA itaque ad subditorum remittit iudicium, & facultatem privationis regiminis, atque vitæ Regis, existimati ab illis injusti & iniqui, etsi aliundè legitimi.

Pergit: *Tyrannum verò secundò modò QUIVIS DE REPUBLICA potest licitè interficere, nisi ex ea interfectione majora mala Reipublicæ imminerent. Ratio verò huius rei hæc est (eadem P. VALENTIÆ) quoniam, qui hòc modò est tyrannus, gerit bellum injustum cum Republica, quam tyrannicè habet occupatam, & cum partibus illius. Qua de causa si non sit superior aliquis, cujus auctoritate geri debeat, QUIVIS DE ILLA REPUBLICA potest licitè eum interficere; præsertim cum ea sit præsumpta, aut expressa voluntas corporis totius illius Reipublicæ. Quin, etsi esset superior aliquis illius Provinciæ, ut legitimus illius Princeps, ab illa injustè ejectus; fas esset Privatis de ea Republica ex præ-*

sump-

sumpta voluntate talis Principis interficere eum tyrannum. Licitè ergo Aod interfecit Regem Eglon, qui secundò hòc tyrannidis genere decem & octo annis oppressum habebat Israël, præsertim cum id fecerit de consensu Reipublicæ Israël. Porro frequentissimum est, Regem occupare armis Civitatem, Provinciamve, quæ in alterius erat ditione, cujus subditi persuasi sunt teneri injustè. Si hoc igitur in casu, exemplò Aodi, licet Privatis moliri contra vitam Regis occupantis; nemo non videt, quanto sit in periculo Regum vita, pendens, secundum Molinam, à cuiusvis voluntate, vel præsumpta;

383 *Molinam sequitur Iesus (a). Qui posita distinctione tyrannorum duplicis generis, ratione tituli, & ratione administrationis, ad primum quod attinet, resolvit: Si absque ullo jure armis Principatum invadat, vel occupet, sicut Turca regna Orientis, & alia vicina; talis potest à quovis de regno interfici. Etiam abutitur in confirmationem auctoritate D. Thome, ac Aodi exemplo, qui sustulit è medio Eglon Regem Moabitarum, qui oppresserat ty-*

rannicè Israëlitas. Ad secundum quod spectat, decernit, non posse ab homine privato necari, quamdiu manet Princeps. Sed subdit: Adde, si tantum excrescat tyrannus, ut non videatur amplius tolerabilis, nec ullum aliud remedium superfit; primum à Republica, vel Comitii Regni, vel alio habente auctoritatem esse deponendum, & hostem declarandum, ut in ipsius personam liceat quidquam attentare. Tunc enim desinit esse Princeps.

E contra D. Angelicus, *si sit intolerabilis excessus tyrannidis* (nonnullorum reprobata Antiquorum doctrina) docet ipse, primos fideles fore imitandos, qui etsi numero & virtute bene armati, non oberant tyrannis, sed patienter sustinebant; atque monet, ipsiscum esse recurrendum ad Deum, qui potens est cor tyranni lapideum in carneum convertere, ejusque crudelitatem in clementiam. Dispar omninò est itaque doctrina Lessii cum suis Valentia, & Molina.

§. II.

384 **S**Ed adest sedens in Cathedra sapientissimus inter tres P. Suarez, qui

Z 2

(a) T. 4. de Just. disp. 6. n. 2.

(a) Lib. 2. de Just. c. 9. dub. 4.

qui vocatur *eximius*, quique unus, cæteris deficientibus, *probabilis*, atque *tutus* reddit suas sententias. En analysim suæ *Defensionis Fidei Catholica* (a), ubi de tyranno *in titulo*, & *in administratione* ita scribit: *Communiter inter hæc duo genera tyrannorum constituitur discrimen. Nam asseritur, hunc tyrannum quoad titulum interfici posse à quacumque privata persona, quæ sit membrum Reipublicæ, quæ tyrannidem patitur, si aliter non potest Rempublicam ab illa tyrannide liberare. Ratio est: quia tunc non occiditur Rex, aut Princeps, sed hostis Reipublicæ: quomodo S. Thomas lib. de reg. Princ. cap. 6. defendit factum Aod, qui, cum esset privata persona, Eglon Regem Moab, cui serviebat Israël, interfecit; quia non erat verus Rex populi Dei, sed hostis, & tyrannus. Angelicus de gestis Aodi pronuntiavit: Hoc Apostolica doctrina non congruit; Suarius tamen noluit intelligere, ut veritate contempta scriberet: defendit factum Aod. Quis non miretur, aut parum fidelitatis, aut levitatis multum? Vox in Probabilissimo audiretur certè, & ululatus multus, Suareziani*

plorantes talem, vel similem calumniam de ipso, *Molina, Lessio*, hisque paribus. Sanè factum *Aod* plus evincit, quàm de solo tyranno *in titulo*. Eglon verus erat, & legitimus Moabitarum Rex, qui armis subegerat populum Hebræum, quem dura opprimebat servitute. Si ergo *Aodo* licuit eum interficere; licitum erit quoquè, Principem quemlibet legitimum, qui in servitutem ducat alienos populos, vel sic subjectos teneat, seu tenere credatur, interficere. Consequentia est bona; unde subdit *Suarius*: *Ideo etiam Doctores (sui generis) dicunt, contra hunc Regem non committi crimen læsæ Majestatis; quia in tali tyranno nulla est vera Majestas.*

De tyranno subindè Principi superiori submissò, si ad hunc recursus sit possibilis, docet, nulli licere Privato illum interficere propria auctoritate, sive, ut notabilibus *Suarii* verbis utar, *privatâ auctoritate*; Reipublicæ enim, seu communitatis auctoritate licere asseret. Ad tyranni verò necem, qui est Princeps supremus, absolutus, ab alioque independens, requirit ne-

ces-

cessariò, tyrannidem ac injustitiam publicam esse, ac manifestam, atque aliter regni libertatem non posse restitui, consequenterque agi, non jam de alicujus tantùm particularis, sed de bono Patriæ: *Et ita*, inquit, *dixit Bartolus, licere in eo casu occidere tyrannum propter commune bonum, non propter privatum.* Adjicit: *Denique oportet, ut Respublica non contradicat expressè. Nam si expressè contradicat, tunc non solum non præbet auctoritatem singulis, sed etiam declarat, defensionem non esse sibi convenientem.* Monet tamen, hanc sententiam ita moderatam ab Authoribus, v. g. *De Castro, Azor*, aliisque rejici, sed eorum reproductis argumentis subdit: *Sed hæc parum cogunt contra receptam sententiam.* Undè ad primi argumenti ex *C. Constantiensi* solutionem, non modò enervat Decretum illud, sed contorquet in hunc sensum: *Non omnis tyrannus occidi potest ante sententiam contra ipsum prolatam.* Ex tacito itaque Publici consensu poterit occidi, etiam ante communitatis sententiam, à quovis particulari tyrannus arripens possessionem regni, po-

tiorique jure post sententiam. Et quidem huc non loquitur *Suarius* de solo tyranno, qui est in actuali invasione Regni, sed de eo, qui jam est in hujus possessione tametsi vi retineat, ut clarè apparet ex toto contextu.

Hinc verò, reponit (a), *nova difficultas suboritur: quia juxta doctrinam hanc nulla est differentia inter utrumque casum, seu tyrannum. Quia etiam tyrannum quoad titulum non licet occidere auctoritate privata, sed publica; hoc autem modò etiam liceat occidere Regem tyrannicè gubernantem.* At subdit: *Respondeo, verum esse, tyrannum sine justo titulo Regnum occupantem, non posse à quolibet privato justè interfici per modum vindictæ, seu punitiois. Superest ergo, ut tantum jure defensionis liceat privata persona hunc tyrannum occidere.* Non est hic sermo de propriæ vitæ à tyranno aggressæ defensione, sed boni publici. Sequitur: *In hoc verò est magna differentia inter hunc, & Regem pravum. Rex, licet tyrannicè gubernet, quamdiu non movet actuale bellum contra Rempublicam sibi subditam, non infert illi actualem vim; & ideo refert*

Z 3

pe-

(a) Lib. 6. c. 4. Edit. Venetæ 1749. pag. 359. col. 1.

(a) Pag. 359. col. 1.

pectu illius non habet locum defensio, nec ullus subditus potest hoc titulo illum aggredi, aut bellum contra ipsum movere. At verò proprius tyrannus, quamdiu Regnum iniuste detinet (igitur supponitur occupasse iam, nec esse in aggressione actuali ad occupandum) & per vim dominatur, semper actu infert vim Reipublicæ, & ita semper gerit cum illa actuale, seu virtuale bellum, non vindicativum, ut ita dicam, sed defensivum; & quamdiu contrarium non declarat, semper censetur velle defendi à quolibet suorum Civium, imò etiam à quolibet extraneo: ideoque si aliter defendi non potest, nisi interficiendo tyrannum, cuilibet de populo licet illum interficere. Unde etiam in rigore verum est, id non fieri tunc auctoritate privata, sed publica, vel potius Regni volentis à quolibet Cive, tamquam membro, & organo suo defendi; vel Dei auctoris naturæ, dantis cuicumque homini potestatem defendendi innocentem (nota bene). Unde etiam in hoc non est discrimen inter utrumque tyrannum (in regimine scilicet, & in titulo): Neuter enim potest occidi auctoritate privata, sed necessaria semper est potestas publica. Differentia verò est, quòd

hæc potestas censetur commissu cuiuslibet particulari persone contra proprium tyrannum, non verò contra proprium Dominum.

Impræsentiarum non fit contra aleam sermo de illis hominibus facinorosis, qui tumultuariè invadunt actum statum, sive regnum ad tollendam legitimi domini, seu Reipublicæ possessionem, & libertatem: verum etiam de omni alio, qui occupaverit statum, possideatque, populo tamen spontè ejus dominationem non sufferente. Constat ex ipsius verbis illis, qui Regnum iniuste detinet; ex Aodi exemplo, quo utitur; & ex sententia, quam refutat, Castri, & Azorii. De hoc itaque tyranno docet, eum occidere, licitum fore cuilibet privato, si aliter Respublica defendi non potest, & quamdiu contrarium non declarat (quod numquam, seu quasi numquam contingit); quia interim semper censetur velle defendi à quolibet suorum Civium, imò etiam à quolibet extraneo: Et id non fieri tunc auctoritate privata, sed publica, vel potius Regni, sive Popularis communitatis: Vel Dei, auctoris naturæ, dantis cuicumque homini potestatem

de-

defendendi innocentem. Quàm latam aperiunt viam hæc novissima verba hominum phantasmata, qui ex levitate persuaderi valent, accipere à Deo potestatem defendendi, quotquot credunt innocentes, morti tradendo persecutorem, tyrannum, ipsum etiam Regem legitimum!

Dixi, *Regem legitimum*: quia quod intercedit tyrannum in titulo inter, & Regem legitimum, gubernantem tyrannicè, discrimen unum juxta Suarium est, quòd facultas primum interficiendi præsumitur à Communitate committi cuivis particulati; unicuique verò ad necem secundi commissà expressè requiritur. Quum igitur adfirmat, supremum Principem, & absolutum posse necari auctoritate publica, illius asserit licitam interuentionem ex commissio- ne communitatis cuilibet Civi, & vel extraneo. Quæ appositor doctrina ad Principibus periculum imminens seditionum, stragumque, ante faciem omnium populorum, qui jus Regis, regnantis super eos, facile dicitur tyrannidem!

385 Sed & Suarius ipse,

ut omnes suæ doctrinæ lumen videant, posuit quasi super candelabrum, subjungens (a): *Ex hac resolutione de proprio tyranno sequitur, priorem de Rege tyrannicè gubernante solum procedere ante sententiam depositionis contra talem Regem latam, non verò post illam: Quod malè fert Rex Angliæ, & examinatione dignum est. Nam sequela habet imprimis magnum fundamentum in Concilio Constantensi (quantum hic scribit, tantum post approbat) qui illud tantum loquitur de interficiente Principem tyrannum privatâ auctoritate, non expectatâ sententia, vel mandato Judicis cujuscumque, &c. Cessat etiam ratio facta, &c. Nam tunc jam supponitur expectata sententia justa, & legitima: & sic non procedit aggressor (ad Regis occisionem) auctoritate privata, sed in virtute sententiæ, & consequenter ut instrumentum auctoritatis publicæ. Denique postquam Rex legitime depositus est, jam non est Rex, neque Princeps legitimus, & consequenter non potest in illo subsistere assertio, quæ de legitimo Rege loquitur. Imò si talis Rex post depositionem legitimam in sua pertinacia per-*

Z 4

se-

(a) Ibidem col. 2

severans, Regnum per vim retineat, incipit esse tyrannus in titulo; quia non est legitimus Rex: nec justo titulo regnum possidet. Agendum ergo cum illo, sicut cum tyranno in titulo, quem licet privatis, juxta *Suarium*, sive ferrò, sive venenò de terra tollere, aliòve quocumque modo.

Declaratur hoc, addit, amplius in Rege heretico. Nam statim per heresim ipso factò privatur aliquò modò dominio, & proprietate sui regni: qui vel confiscatum manet, vel ad legitimum successorem Catholicum ipso jure transit: & nihilominus non potest statim regno privari... donec per sententiam, saltèm declaratoriam criminis condemnetur... At verò post sententiam latam omninò privatur regno, ita ut non possit justò titulò illud possidere. Ergo ex tunc poterit tanquàm omninò tyrannus tractari, & consequenter à quocumque privato poterit interfici. Horribilissima consequentia, quam RR. Pontificum deducet nullus; sed *Suario* legitima prorsus, atque necessaria, qui facultatem tribuit Summo Pontifici, Populorumque communitati à throno deponendi

authoritate privandi, administrationeque, atque in alterum transferendi solium, regimen, jurisdictionem ejus, qui metuenda tenet sceptrà, jubente Deo. Quin, eam confirmat ipse, concludens (a): *Hòc ergo supposito fundamento, dicendum est in puncto ultimo proposito, post sententiam condemnatoriam Regis de regni privatione, latam per legitimam potestatem, vel, quod perindè est, per sententiam declaratoriam criminis, habentis talem pœnam, ipso jure impositam; posse quidem eum, qui sententiam tulit, vel cui ipse commiserit, Regem privare regno, etiam illum interficiendo, si aliter non potuerit, vel si justa sententia ad hanc etiam pœnam extendatur.* Et hoc est, inquit, quod malè fert *Rex Angliæ.* Est autem verissimum. An vel in his *Suarizius* sit *Oraculum, Magister mundi?* purgato relinquam iudicio, ut suos percurram affeclas.

§. III.

386 **P**rimus sit *P. Emmanuel Sà*, de quo recolenda sunt, quæ diximus n. 237. quique in præsen-

sentia (a) scribit: *Tyrannicè gubernans, justè acquisitò dominiò, non potest spoliari sine iudicio publico. Latà verò sententià, potest fieri quisquam executor. Potest autem deponi à Populo, etiam qui juravit ei obedientiam perpetuò, si monitus non vult corrigi. At occupantem tyrannicè potestatem, quisque de populo potest occidere, si aliud non sit remedium.* Et quidem, ut ex præcedentibus verbis liquet, quin expectet sententiam Publici, potest occidere tyrannum, non actù invadentem, sed jam occupantem legitimi Domini potestatem. Si prioris, & posterioris illius partis conferas resolutionem, ipsa est *Suarii* sententia.

387 *Escobarium* famosa sua proponentem problemata, non facit, inquit ipse, mea sentienti inconstantia, sed *Authorum* probabiliter opinantium diversitas. Num habet (b): LICET, ET NON LICET privato cuilibet homini gladiò, venenò, proditione, aliòve quavis vi occidere Regem tyrannicè dominantem, regnum scilicet jam possidentem ex tyrannide. Certè ad 2. problematis partem decli-

nat *Escobar.* Non tamen interest: cum primam ipso suo problemate probabilem relinquat, & in responsione aliquatenus habeat uti *dubiam, suspectam, & consultiabilem;* & quidem loquens de occisione à Privato facta absque Communitatis decreto. Eiusmodi enim est secunda ejus ratio ibi: *Quia res tam gravis minime est privato iudicio concedenda, sed publicum postulat: & cades, si illa remedia non profuerint, tanquàm ultimum remedium adhibenda.*

388 Sequitur *P. Martinus Becanus*, primariis Societatis Theologis polemicis adscriptus. Cui cum adversarius Calvinista, productò libro *P. Mariana*, Jesuitas tyrannicidas objecisset, respondet (c) accusationi: *Quid Jesuita sentiant, sic accipe: Dupliciter fieri potest, ut aliquis sit tyrannus. 1. Ratione tituli, ut si absque ullo jure armis Principatum invadat, vel occupet, sicut Turca regna Orientis, & alia vicina. 2. Ratione administrationis, ut si is, qui est verus Princeps, tyrannicè administrat Principatum, onerando subditos injustis exactionibus,*

(a) Ibi pag. 360. col. 1.

(a) Verb. Tyrannus. (b) Lib. 32. sect. 2. de 5. præcep. Decal. probl. 15. (c) Aphor. 9.

vendendo officia iudicum, con-
dendo leges sibi commodas, Pu-
blico parum utiles. Hoc suppo-
sito, quid Becanus resoluit,
sive potius quam reponit suo
Adversario Jesuiticam doctri-
nam? *Qui est tyrannus*, subdit,
priori modò (qualem inter Chri-
stianos hoc tempore neminem
scio) potest à quovis subdito
interfici, si aliter jugum ipsius
excusi non queat. Sic Aod su-
stulit de medio Eglon Regem
Moabitarum, qui tyrannicè op-
presserat Israëlitas. Potest au-
tem id fieri duplici jure: pri-
mò, jure defensionis innocentis;
secundò, jure vindictæ. Potest
enim Respublica, quandò injustè
opprimitur, & suam innocen-
tiam defendere, & injurias si-
bi illatas vindicare, quia hoc
requirit ratio justitiæ vindica-
tivæ. Qui autem est tyrannus
posteriori modo, nempe ratione
administrationis, non potest à
subditis interfici, ut definitum
est in Concilio Constantensi. At-
que hæc est expressa sententia
Joannis Mariana.

Ita Becanus edisserit nobis
sensum Jesuiticum, nimirum,
à quovis subdito posse interfici,
non modò tyrannum, qui Reg-
ni invasor sit actualis, verùm
etiam qui habitualis fiat, uti
est Turca, à multis sæculis reg-

na Orientis possidens, & con-
tigua, fuitque Eglon, qui Ju-
daeorum statum subegerat. Ne-
que Becanum juvat obtestatio
ea, inter Christianos neminem
scio; ejusmodi enim parenthe-
sis motivum politicum est, cui-
libet obvium, & laudata ab
ipso exempla aequè de quo-
cumque Principe Christiano
evincunt. Porrò quàm parum
desideratur, ut fastidius ap-
prehendat subditus, Princi-
pem Christianum esse in ali-
cujus Regni possessione, vel
Provincia, quomodò in Orien-
te Turca! Alterve credat
suum statum oppressum, quem-
admodum ab Eglon populus Is-
raëliticus! Ex supradicta tam-
en doctrina poterit præten-
sum tyrannum hunc circum-
venire in sua Regia, tenerum-
que duro tondere ense latus
ad liberandum à servitute po-
pulum, Regna, & Provincias
injustè occupatas, eoque hoc
exequi jure, vel defensionis in-
nocentis, vel vindictæ.

Neque à sanguinariis istis
in meliorem vocari sortem Re-
ges legitimos, in tyrannidem
ratione administrationis decli-
nantes, quamvis ex Decreto
Constantensi in tuto collocari
videantur, nè morte illos af-
ficiant subditi, liquet cum ex
Re-

Regis Moabitarum legitimi
exemplo; tum ex principio
illo Suareziano: *Jam non est
Rex, neque Princeps legitimus;
incipit esse tyrannus in titulo.*
Iste vero, ut Becanus exponit,
potest à quovis subdito interfici.

389 Hinc rectè Becanus
conclulit: *Atque hæc est expres-
sa sententia Mariana.* Hunc
namque licitum habuisse ty-
rannicidium in sensu damnato
à C. Constantensi (a), patet.
Primùm, quia laudatum De-
cretum parvipendere videtur,
inquiens: *Verùm id Decretum
Romano Pontifici Martino V.
probatum non invenio, non Eu-
genio, aut successoribus.* Tum,
quia Gretserus hæretico *Ves-
pertilioni*, objicienti *Maria-
nam*, Jesuitasque, tamquam
tyrannidii fautores, respon-
det (b): *Mariana eo loci (lib.*
*1. de Reg. inst. c. 6.) disputat
de tyrannis, quorum duplex ge-
nus: unum eorum, qui alienas
ditiones violenter contra jus &
sus invadunt, & detinent, qua-
lis tyrannus Rex Turcarum; al-
terum eorum, qui legitimi qui-
dem sunt, & fuerunt Princeps,
sed postea legitimam potestatem
vertunt in tyrannidem. De ty-
ranno prioris generis non est dif-*

*ficultas, per se loquendo, ISTUM
SCILICET POSSE INTERFICI A QU-
CUMQUE PRIVATA PERSONA. De
tyranno posterioris generis potif-
simùm contenditur. Quid verò
tam Mariana, quàm alii Theo-
logi sentiant, eruditè explica-
tum invenies in refutatione APHO-
RISMORUM CALVINIANORUM cap.
3. Aphor. I. quam non ita pri-
dem evulgavit P. SEBASTIANUS
HEJISUS, Societatis nostræ Theo-
logus, cum refelleret pares tuis
APHORISTÆ IN MARIANAM, ET
JESUITAS criminationes. Et in-
fert: Proindè nihil Principibus
periculi imminet, quandò totius
Populi sensu pro tyrannis habentur,
si Populus sequetur Do-
ctorum, & gravium Virorum
(quod Mariana exigit) consi-
lium, iique sint Jesuitæ. Et nunc
Reges intelligite, erudimini;
nolite confidere in filiis homi-
num, mendacibus in stateris.
Tandem arguit Marianam de
scrupulo, adjiciens: *Queritur,
an eum, quem fas est ferro trū-
cidare, liceat porrecto veneno
tollere? Negat MARIANA per-
suasus, nunquam licere, quan-
tumvis morte digno offerri ve-
nenum, ab ipso reo, seu gnaro,
seu inscio epotandum. Quæ sen-
tentia, si quid (ait) vitii ha-
bet,**

(a) Lib. de Rege, & Regis institut. c. 6. (b) Tract. Vespertilio Hæret. tom. II. pag. 883. edit. Ratisb.

bet, nimia lenitas est; neque enim tam aperte constat, illicitè venenatum poculum latentis pestis ignaro præberi, ut hausta pereat, cui jugulum transfigi poterat. Sanè laudati Authores, gravissimi cum sint, execrandum efficient, spectato systemate probabilistico, opinionem non modò probabiliter, sed & certò probabilem, adeòque in praxi licitam.

§. IV.

390 **A**dde, Recentiores nonnullos, pro ea adhuc pugnantes, trahere nolentem trahi Concina, ne apud sequireos, esset Discipulus super Angelicum Magistrum, apud anteambulones impostores. Propositio Concina (a) hæc est: *Martyres quoque ipsi adversus tyrannos arma stringere potuissent.* Quis crediderit, hujus sensum esse ipsum, quem integro tractatu de homicidio improbat Concina, & expressè damnat sensum Casuistarum? Asseruerat enim (b): *Quartus error est eorum, qui docuerunt, licitum cuilibet subditorum esse, TYRANNUM OCCIDERE. Quàm sit error*

iste, & divina legi contrarius, & humane Societati perniciosus, nemo non videt. Numquàm licitum facit homicidium propter defensionem honoris, rei familiaris, etiam pudicitiae: numquàm permittit ullo in casu, vel cum evidenti periculo propriæ vitæ, ob hujus salvationem aggredi alium; quare scribit (c): *Recentiores Probabilistæ præveniendum invasorem docent. Verùm doctrinam hanc FALSAM reputamus; eamque damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. Numquàm igitur prævenire aggressorem licet; sed tantum ab eo impetiti, licitè possumus nos defendere.* Præterea, evangelicis oraculis, quibus patientiam commendat Christus in persecutionibus humilitatem, resignationem, munitur Concina, nè aliam tali in casu evasionem concedat, quàm fugæ, pronuntietque contra Probabilistas illicitam propriæ vitæ defensionem, quandò fugæ locus est. Et quum non est medium aliud declinandi ejus percussorem, qui ad occidendum invadit actum; cum Angelico suo Doctore vult, quod numquàm intendatur occisio in-

injusti aggressoris, sed unica defensio propria. Unde itaque malignum haurire sensum poterit laudata Propositio sua?

391 Quin, si caput ipsum, unde excerpta est, introspicatur, objicientium fiet palàm fides græca. In laudato enim capite 7. non definit de juribus Christianæ defensionis, de quibus disseruerat in quinque capitibus præcedentibus, ubi Casuistarum expugnat sententias scandalosas, perniciosasque, atque constituit Christianam legem, nisi rarissimo in casu, quòd deesset medium aliud salvandi vitam propriam ab actuali aggressoris injusti invasione, nullam permittere defensionem occisivam. Capitis itaque prædicti titulus est, *De Suicidio indirecto.* Quærit ergo, an aliquis possit juxta Christianæ prudentiæ regulas indirectè permittere propria vitæ jacturam, quin appellet ad media licita, quibus poterat in tuto ponere? Et definit: *Quemadmodum certum est, neminem posse propria auctoritate, excepta peculiari inspiratione, seu ordinatione Dei, directè occidere semetipsum: ita certum est, posse*

homines interdum juxta Christianæ prudentiæ regulas indirectè permittere propria vitæ jacturam. Hæc est conclusio ibi stabilita, & subjectum illius capitis, cujus certitudinem sic evincit: *Sacri Ecclesiæ Fasti, splendida istius indirectæ occisionis monumenta nobis exhibent. Christus D. Religionis nostræ Caput, sui ipsius crucifixionem permisit. Martyres, ejusdem Redemptoris nostri imitatores, virtutis amore, invictâ fortitudine mortem sustinere. Veritas fidei est, Christum D. se potuisse defendere, & simplici nutu Adversarios suos de medio tollere, atque in nihilum redigere. Martyres quoque ipsi adversus tyrannos arma fringere potuissent. Hæc omnia certa sunt. Et tamen nec Christus, nec Martyres impedire, sed licitè dereliquerunt, à persecutoribus occidi: ergo certum est, posse interdum permitti propria mors, sive SUICIDIUM INDIRECTUM.*

Quam doctrinam brevius exponit in suo Compendio (a) his conceptis verbis: *Permitti tamen INDIRECTÈ SUICIDIUM; non modò licitum, sed sanctum esse potest. Quoniam Christus D. ejusque Sancti Martyres illud permiserunt; & defensionem*

con-

(a) Theol. Christ. tom. 4. lib. 7. dissert. unica de homic. c. 7. n. 1. (b) Ibi c. 2. n. 5. (c) Ibi c. 5. §. 2. n. 9.

(a) Dissert. de Homic. cap. 4. n. 27.

bet, nimia lenitas est; neque enim tam aperte constat, illicitè venenatum poculum latentis pestis ignaro præberi, ut hausta pereat, cui jugulum transfigi poterat. Sanè laudati Authores, gravissimi cum sint, excrandum efficiunt, spectato systemate probabilistico, opinionem non modò probabiliter, sed & certò probabilem, adeoque in praxi licitam.

§. IV.

390 **A**dde, Recentiores nonnullos, pro ea adhuc pugnantes, trahere nolentem trahi Concina, ne apud sequiores, esset Discipulus super Angelicum Magilstrum, apud anteambulones impostores. Propositio Concina (a) hæc est: *Martyres quoque ipsi adversus tyrannos arma stringere potuissent. Quis crediderit, hujus sensum esse ipsum, quem integro tractatu de homicidio improbat Concina, & expressè damnat sensum Casuistarum? Asseruerat enim (b): Quartus error est eorum, qui docuerunt, licitum cuilibet subditorum esse, TYRANNUM OCCIDERE. Quàm sit error*

iste, & divina legi contrarius, & humane Societati perniciosus, nemo non videt. Numquàm licitum facit homicidium propter defensionem honoris, rei familiaris, etiam pudicitia: numquàm permittit ullo in casu, vel cum evidenti periculo propria vitæ, ob hujus salvationem aggredi alium; quare scribit (c): *Recentiores Probabilistæ præveniendum invasorem docent. Verùm doctrinam hanc FALSAM reputamus; eamque damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. Numquàm igitur prævenire aggressorem licet; sed tantum ab eo impetiti, licitè possumus nos defendere.* Præterea, evangelicis oraculis, quibus patientiam commendat Christus in persecutionibus humilitatem, resignationem, munitur Concina, nè aliam tali in casu evasionem concedat, quàm fugæ, pronuntietque contra Probabilistas illicitam propria vitæ defensionem, quandò fugæ locus est. Et quum non est medium aliud declinandi ejus percussorem, qui ad occidendum invadit actus; cum Angelico suo Doctore vult, quod numquàm intendatur occisio in-

injusti aggressoris, sed unica defensio propria. Unde itaque malignum haurire sensum poterit laudata Propositio sua?

391 Quin, si caput ipsum, unde excerpta est, introspicatur, objicientium fiet palàm fides græca. In laudato enim capite 7. non definit de juribus Christianæ defensionis, de quibus disseruerat in quinque capitibus præcedentibus, ubi Casuistarum expugnat sententias scandalosas, perniciosasque, atque constituit Christianam legem, nisi rarissimo in casu, quòd deesset medium aliud salvandi vitam propriam ab actuali aggressoris injusti invasione, nullam permittere defensionem occisivam. Capitis itaque prædicti titulus est, *De Suicidio indirecto.* Quærit ergo, an aliquis possit juxta Christianæ prudentiæ regulas indirectè permittere propria vitæ jacturam, quin appellet ad media licita, quibus poterat in tuto ponere? Et definit: *Quemadmodum certum est, neminem posse propria autoritate, excepta peculiari inspiratione, seu ordinatione Dei, directè occidere semetipsum: ita certum est, posse*

homines interdum juxta Christianæ prudentiæ regulas indirectè permittere propria vitæ jacturam. Hæc est conclusio ibi stabilita, & subjectum illius capitis, cujus certitudinem sic evincit: *Sacri Ecclesiæ Fasti, splendida istius indirectæ occisionis monumenta nobis exhibent. Christus D. Religionis nostræ Caput, sui ipsius crucifixionem permisit. Martyres, ejusdem Redemptoris nostri imitatores, virtutis amore, invictâ fortitudine mortem sustinere. Veritas fidei est, Christum D. se potuisse defendere, & simplici nutu Adversarios suos de medio tollere, atque in nihilum redigere. Martyres quoque ipsi adversus tyrannos arma stringere potuissent. Hæc omnia certa sunt. Et tamen nec Christus, nec Martyres impedire, sed licitè dereliquerunt, à persecutoribus occidi: ergo certum est, posse interdum permitti propria mors, sive SUICIDIUM INDIRECTUM.*

Quam doctrinam brevius exponit in suo Compendio (a) his conceptis verbis: *Permitti tamen INDIRECTÈ SUICIDIUM; non modò licitum, sed sanctum esse potest. Quoniam Christus D. ejusque Sancti Martyres illud permisissent; & defensionem*

con-

(a) Theol. Christ. tom. 4. lib. 7. dissert. unica de homic. c. 7. n. 1. (b) Ibi c. 2. n. 5. (c) Ibi c. 5. §. 2. n. 9.

(a) Dissert. de Homic. cap. 4. n. 27.

contra vim illatam negligere ob Dei gloriam, licitum esse potest. Spectatis itaque absque præjudicii scopo, textuque præmissi Propositionis Conciniæ, hujus germanum sensum quisque videt subito, alterum nec esse, nec esse posse, quam Christum D. Sanctosque Martyres habuisse potestatem physicam impediendi suam mortem, eâ tamen neque Christum, neque Martyres usos fuisse contra Persecutores: Christum, ut obediret Patri, Martyres Christo, qui eis persecutio- nis tempore fugam permittebat tantum, aggressio- nem vero adversus Persecutores numquam.

392 Et hic est legitimus similium Propositionum sensus, quæ formulis etiam significatioribus, atque fortioribus expressæ leguntur apud primos Christianæ Religionis Apologistas. Audiatur, aliis omisis, Tertulianus unus, ita scribens (a): *Si personam Hostium, ut deputamur, agere velimus, non deest nobis militum copia, major etiam illarum gentium, quæ quotidie contra vos arma movent.... Cui bello non idonei, non prompti fuissimus, etiam impares copiis, qui tam*

libentur trucidamur, si non apud istam disciplinam (Christianam) magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes... apud vos dimicasse.

Quodsi textum Concina intelligere libuerit de potentia morali, id est, licere Martyribus vitam tueri contra Persecutores; omnis æquitas, ratio omnis exigeret illius expositionem secundum regulas christianæ defensionis, ab ipso jam constitutas (b), videlicet, vitam suam Martyres potuisse armis licite defendere ab iniquis Persecutoribus: at moderamine eo inculpata tutela, ab eodem ibidem cum Angelico D. explicato, & à Caluistarum nemine ita restricto umquam, nimirum, quod numquam possent aggredi, nisi actu essent invasi, nec evadere fugâ potuissent, aliave via inevitabilis, certaue sua foret mors. Verbo: occisiva defensio medium esset unicum, & necessarium ad salvandum vitam, quasi occisio inuasoris sequeretur præter intentionem. Hæc est defensio christiana, quam unice permittit Concina, & quidem non absque difficultate, ac cum timore, & tremore.

Eo-

Eodem pariter sensu accipiendum illud est, quod subiungit (a): *Si mors extrinsecus per vim intentetur, tunc negligi remedia possunt, etiam ordinaria. Sic Martyres ordinariam defensionem neglexere, ut dictum est (b).* Quamnam hæc sunt, quæ licita facit, ordinaria media vitam custodiendi propriam, actu invasam injuste? Esse nuper innuimus, arripere fugam, abscondi, inuasorem propulsare minori ejus damno possibili, defendere, inquam, vitam cum moderamine inculpata tutela, prout ab eo explanatur. Hæc erant media ordinaria, quibus ex consensu Theologorum omnium uti poterant SS. Martyres, quæque neglexere amore virtutis, invictâ sufferendo potius fortitudine mortem. Sentum ejusmodi confirmant exempla, quæ Concina laudat: *Sic potest, quis in extrema necessitate, inquit, panem alteri extreme indigenti relinquere ex motivo virtutis. Sic licitum est naufraganti, tabulam, quam tenet, amico relinquere, si prudenter existimet, utiliore esse Reipublicæ ejus vitam, quam propriam.*

393 Fateor planè, rarissimo in casu, quo iniquus Princeps, suæ dignitatis regie oblitus, gladio evaginato adoritur actu & injuste privatam personam, ut suo impio eam sacrificet furori, Concina (c) concedere jus defendendæ vitæ adversus inuasorem Principem, sive Regem illum, qui utilis Reipublicæ minimè est, cum subditorum vitæ insidias fruit; sed potius *Ezech. 22.* lupo comparatur devoranti gregem. At si aliunde adhuc utilis Reipublicæ est, nobis aridet maximè sententia *Dominici Soto*, scilicet tunc subeundam esse mortem personæ invasæ, omittendamque defensionem. Nec Concina improbat, in progressu alleganti *D. Angelici (d)*, illud: *Sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere (non ait, occidere) in tali casu malis Principibus: nisi forte propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gratis turbatio timeretur.* Quo in sensu accepta Concina doctrina, non solum ejus est cum *S. Antonino, Sylvestro, & Comitolo*, sed itidem *PP. Molinæ, Lessii, Sporerii*, aliorumque communiter, adeò ut non in-

(a) In Apologet. (b) §. 2. cap. 5.

(a) Ibi n. 2. (b) Ibi n. 1. & cap. 5. §. 2. n. 1. (c) Cit. §. 2. cap. 5. n. 1. (d) 2. 2. q. 69. a. 4.

invenerim contradicentem ul-
lum.

Accedit, Principis occisionem ob propriæ cujusque vitæ defensionem esse casum, ut ita dicam, *metaphysicum*, quem numquam crediderim contigisse, benè perpensis principiis, ac regulis ab ipso *Concina* ibidem (a) constitutis. Juxta quas *imprimis* supponendum est, Principem exempto gladio invadere personaliter subditum innocentem. Hoc ne imaginari quidem valet de Principe, cui præsto sunt mediocrius millia, quò sese expediat à subdito quocumque sibi oso. *Deinde* oportet, invasum nullatenus effugere posse manus ejus, resistereque impotentem esse aliter; quia *si solis brachiis, pugnis, alapis resistere vales, armis uti non debes: si sola mutilatione, aut etiam minori latione repellere vim possis, haud licita occisio est*: atque, *si is qui te invasit, post vulnus inflicium in fugam se dederit, tu fugientem insequi, & occidere nequis*. Et denique necessarium, intendere semper defensionem propriam, occisionem verò alienam numquam. Si ergo ejusmodi con-

ditiones omnes sunt necessariò requisitæ secundum *Concinam* ad licitam propriæ vitæ defensionem contra personam etiam privatam, difficillimamque reddunt proinde juxta ipsum fortis ejusmodi defensionem; nonne potiùs erunt necessariæ, & plusquam difficiliter adversus personam publicam, maximè Regum? Videntur *Eraniſte* (b).

394. Hinc latissimum pater discrimen *Concinæ* doctrinam inter, & *Busembaum* (c). Qui docet: *Licere quoque occidere eum, de quo certò constat, quòd de facto parat insidias ad occidendum, ut si uxor e.g. sciat se noctu occidendam à marito, si non potest effugere, licet ei prevenire*. *Navarr. Lessius, &c.* Si ergo idem apprehendatur de Rege, vel altera persona publica, poterit quoque præveniri, atque occidi. Pergit: *Hinc etiam dicunt alii, ut Sanchez 2. moral. cap. 39, & alii* (hi opinionem reddunt probabilem) *licere occidere eum, qui apud Judicem falsa accusatione, aut testimonio id agit, unde certò tibi constat, quòd sis occidendus, vel mutilandus, vel (quod alii difficiliùs conce-*

ARTICULUS VI.

Sanguinaria doctrina epilogus.

§ I.

395. **P**rædictas solemniorum Casuistarum licentias contractiori, atque clariori extraxit modò, compilavitque *P. Escobar* ex suis quatuor animalibus, & 24. senioribus, obtestans nos ante omnia: *Hoc ingenuè profiteor, me nihil toto in libello scripsisse, quòd Societatis Jesu non acceperim ex Doctore. Quas enim proprias passim resolutionis innuo, ex Schola Societatis aperte deductas existimaverim. Sua igitur exorditur interrogatoria, quibus & suam annectit responſionem; hòc modò* (a): *Num possim interficere grassatorem, vias publicas tenentem? Potes in propriam defensionem, & aliorum, quibus ille mortem, & alia damna parat. Invasorem quis potest occidere? Respondet Molina, posse aggressum per se intendere mortem aggressori, quando videt id necessarium esse ad illius impetum evadendum. Teneorè fugere? non, si nobilis, si miles es. Li-*

Aa

cet-

cedunt, VERÈ TAMEN) amissurus bona temporalia, bonorem: quia hæc non est invasio (tametsi sumptis armis procedat ad occisionem) sed justa defensio, posito quòd de alterius injuria tibi constat, nec sit alius evadendi modus. Lessius tamen, & Filiucius, & Laymann non audent id defendere propter periculum magnorum abusuum (si ergo hi supervenire non credantur, concinunt & illi) vide Escobar, Hutadum, Lugo, Diana, &c. Concludit: Quandocumque quis juxta supra dicta habet jus alium occidendi, id potest etiam alius pro eo præstare: cum id suadeat charitas. Filiucius, Tannerus, Molina. An autem, & quanto ad hoc teneatur, vide Lessium l. b. 2. c. 9. d. 13. Dianum p. 5. T. 4. R. 6. 14. & o. Charitatem faciunt vindictæ instrumentum, & cadium; quam Discipuli Domini confiteri faciebant purè, sanctè, beneficè in illo: & vos debetis pro fratribus animas ponere. Satis est.



(a) Tract. 1. ex. 1. ex. 7. cap. 3. n. 34. 35. & 36.

(a) Citat. c. 5. (b) Lettere apolog. à pag. 163. (c) Medul. Theol. Mor. lib. 3. tract. 4. cap. 1. dub. 3. nn. 5. 6. 8. 9. 10. & 11.

cetnè occidere eum, qui non invadit actu, sed decrevit invadere? Docet Molina Tom. 4. tract. 3. disp. 12. n. 2. posse preveniri, quando ex aggressionis decreto vita tua periculo, maxime capitali, est obnoxia. Durus est hic sermo, & quis Christianorum DD. atque Religiosorum poterit sustinere?

Rursus (a): Aggreditur quis virum nobilem, seu alapa, seu baculo percutere, licebitne ei prius occidere aggressorem? Affirmat Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 12. n. 77. Quia maximum in aliquibus Regionibus dedecus est, alapas, vel baculi verbera ABSQUE VINDICTA relinquere. Limite tamen sententiam ad viros nobiles. Vindictam, quæ vel à Seneca appellatur inhumanum verbum, tamquam res detestabilis etiam apud Gentiles, quæque in adoptato à Casuistis casu palliatur mere defensionis nomine, in praxi tutæ; Escobarius licitam facit sub veris & propriis terminis expressam. Subditque: An liceat post impactam alapam, percutientem insequi, & interimere? Aliqui negant... At Lessius licere affirmat speculative, sed in praxi non consulendum ob periculum odii, vindictæ, & excessuum,

pugnarum, & cedium in Reipublicæ perniciem. Alii, sectus his periculis, IN PRAXI PROBABIEM, ET TUTAM judicarunt. Henriquez lib. 14. c. 10. n. 3. & n. 47.

Iterum (b): Num liceat contumeliosum, seu profanum, MENTIRIS, honorato viro, internecare? Negat Azorius... At Baldelus lib. 3. disp. 24. n. 24. putat, licitum esse occidere contumeliosum; sed in casu, quo aliter arceri non possit, nè detur licentia improbitati optimos viros contumeliis afficiendi, quàm facta, acerbioribus. Ratio istæ nonnè optima? Item (c): Licitum est Clericis, & Religiosis in tutelam suarum facultatum furem occidere, quando alius modus non suppetat: ergo & in tutelam honoris. Præterea (d): Quæsierim, quanti valoris debet esse res, pro cujus conservatione possum furem occidere? Non debet esse res parva, nisi ut defendat fur rem parvam, velit repetentem invadere; vel res parvi momenti in se, magna sit in virtute, v. g. lapis medicus; vel tolleretur cum injuria. Lessius. Regulariter autem Molina tom. 4. de Just. tract. 3. disp. 16. n. 7. unum aureum assignat.

De-

Denique (a): Accusator injustus me calumniis efficit morti addici, licitumne eum ad certamen provocare? Ita quidem, si non est alia via injustæ mortis evadenda: quia hujusmodi provocatio locum habet inculpatæ tutelæ: Nihil enim refert, quod accusator non per se, sed per Judicem aggrediat. Ita Hurtado, &c. Addit Sanchez, &c. In tali casu licere, accusatorem occultè occidere. Subnectit: An duellum possit acceptari in temporalium bonorum defensionem? Potest, si non adest alia via tuendi, sive duellum purgativum, sive non purgativum. Quia unusquisque habet jus sua bona tuendi etiam cum inimici internecione. Hurtado de Mendoza, &c. Potestne vir nobilis acceptare duellum in nobilitatis defensionem? Potest, si ex illius excusatione honorem, aut munia publica esset amissurus. Petrus Hurtado.

Insuper (b): Licetne occidere vitæ proximi injustum invasorem? Respondet affirmativè Filiucius... Quia ex lege charitatis LICITÈ PRO ALIO GERO, QUOD PRO ME IPSO POSSUM. Cedat invasus juri suo? Invasor potest occidi, quia invasus non

est Dominus vitæ suæ (& erit alienæ?) unde non potest juri suo cedere. Licetne invadentem res proximi necare? Respondet affirmativè Molina... Sicut de vitam proximi invadente affirmaverat. An teneatur? Idem Doctor in privato homine, & qui ad hoc non est deputatus ex officio, abnegat, tantam Charitatis adesse obligationem, ut ad defendenda bona proximi longè inferioris ordinis, quàm vitæ, teneatur invasori vitam temporalem, & plerumque aternam auferre. His manifestat Escobarius, suæque confirmat autoritate, quos laudat, legitimum Authorum sensum.

396 Recole tamen, quæ diximus n. 394. ex Busenbaum, & adde modò P. Sporerium (c) dicentem: Legè Charitatis licet pro alio facere, quod pro se ipso quoque potest. At licet cuique occidere, vel mutilare injustum aggressorem propriæ vitæ, bonorum, vel pudicitie: ergo idem licet ex Charitate facere pro proximo, nec tantum præsentem, ut in defensione vitæ à Latrone; verum etiam absentem, ut si vicini tui absentis facultates injustè diri-

Aa 2

pien-

(a) Ibi n. 96. (b) Ibi n. 41. & 45. (c) Tract. 5. in 5. præcep. Decal. cap. 2. sect. 3.

(a) Ibi n. 46. (b) Ibi n. 48. (c) Ibi n. 45. (d) Ibi n. 43.

pienda, domus incendenda, uxor violenter opprimenda sit, &c. Id nec aliter impedire potes, nisi occidendo inuasorem, occi-
DE IN NOMINE DOMINI. Porro ejusmodi spectatâ Charitatis licentia, non modo raris in casibus illis, sed & in quibusvis homicidium erit licitum. Licebit v. g. alteri, occidere *in nomine Domini* cum, qui amico suo, aut proximo impedit alapam, male tractat, seu inhonorat, grave vult inferre damnum, cum dedecore rapit bona, & ut dicam verbo, contra illum quamcumque similem exequitur actionem: qui in virtute permissionis concessâ à Casuistis *doctis, & piis*, quorum sententias cæteris omnibus communes reddit probabilissimus, quilibet potest per se ipsum uti hac occisiva defensione.

§. II.

397 **P**orro cunctæ hæreses initiis fuerit semper propositæ palàm, omnisque erroris tempus nascendi fuit tempus loquendi naturaliter, ac sincerè: commenta non sunt expositiones æquivocæ, fideique ambiguæ professiones, nisi ad declinan-

das censuras. Suas blasphemias incœpit proponere Arius nudè, & apertè; sui Discipuli nonnulli, numero pauci, continuo usi post illum sunt eodem sermone: at qui supervenerunt alii, ad Catholicorum loquelam accedere quæsierunt, ut animadvertere est in *Semiariorum* Fidei professionibus. *Pelagius* suam hæresim exorsus est abjectione necessitatis qualiscumque gratiæ interioris. Sed postea videntes affectæ horrorem tantæ impietatis in auribus Catholicorum (ut observat *S. Augustinus*); ad populum utcumque quietandum, satisfaciendumque aliquantulum, nomen gratiæ dederunt luci, quæ animum illustrat; atque ab Africæ, ac S. Sedis coacti censuris, ita loqui sunt aggressi, ac si reipsa adiutoria agnovissent gratiæ operantis, *quæ stupentem excitat voluntatem*. Antambulonibus sequiores ejusmodi pejores sunt.

Ab sit injuria dictis, salvaque sit semper differentia essentialis: Quod Hæretici in dogmate, videntur æmulasse in morali Casuistâ. Quapropter minus timeo à primævis laxissimi patronis, quam à posteris. Namque priores exponunt

nunt nudè ac simpliciter enormiores laxitates, nec exquirunt larvas ad sua principia mala, sicque palàm faciunt omnes consecutiones. Cui displicet, atque scandalum parit eorum doctrina, simul placet ipsorum sinceritas, & claritas, quum hoc pacto secum portent (*ut ita loquar*) contravenenum, & aperta corruptionis apparitione, minus periculosi sunt. Posteriores vero, nihil minus laxi in se ipsis, & in conspectu illuminatorum oculorum, aptiores sunt ad nocendum simplicibus. Quia dum sub velamine, ac ænigmate integer absconditur error, non adeò cognoscitur facilè, & animadvertitur ab omnibus, ut contradicatur, sed ingeritur sensim sine recipientis sensu. Laxitatis principia in horum Theologorum operibus servata, ad praxim deducuntur Confessariorum in tribunalibus Pœnitentiæ, & à Professoribus diffusè pertractata iis in temporibus, & locis, ubi totum credunt licitum. Ita liquet ex Scriptoribus RR. *Torrecilla, Hurtado, Taberna, Taberna Defensore, Gobatio, Sporerio,*

Lumbiero; & ut alios prætermittam, nonnullas in præsentia materia subjiciam Viva theses, & Croixii, quæ id demonstrant, quod primi Hispaniæ Pastores (a) exempli causâ flent super Torrecillam, deferentes: Videmus itidem quamplurimas ab eo defensari, quæ in Propositionibus à Summis PP. ALEXANDRO VII. & INNOCENTIO XI. proscriptis, ut minimùmque in earum præcipua ratione damnationis, indubiè nobis veniunt contenta, & adhuc conari ut PROBABLES, VEL A DAMNATIONE IMMUNES perperam defendere.

398 *P. Viva* scripsit post damnatas theses, necnon ad theologiam trutinam revocavit juxta pondus Sanctuarii, ut præferret t. tulus sui operis, & credidit *P. Jacobus Sanctiadal*, asserens, illum idcirco mirabilem, accepisse ab omnibus *Theologi primi gradus*. Novus hic Theologus primus docet primùm (b): *Verum est apud cordatos, fugam esse ignominiosam Viro Equestri, & idè non tenetur fugere, si invadatur*. Deindè clariùs iterùm (c): *Vir Equestris, ex communi doctrina apud LESSIUM...*

Aa 3

non

(a) In laud. documento, pag. 6. (b) In 2. Propos. Alex. VII. num. 7.
(c) In Prop. 17. Alex. VII. n. 5. & 9.

non tenetur fugere aggressorem cum suo dedecore, sed potest ab illo se defendere defensione occisiva. Potest Vir nobilis VOLENTEM IMPINGERE ALAPAM GLADIÒ IMPEDIRE ET UT MULTI DOCENT APUD DIANAM.... etiam defensione occisiva se defendere. Hinc scripsit rursus (a): Qui invasus ab altero, sive armis, sive contumeliis, si potest fugere, & malum declinare, non tamen fugit, sed cum debita moderatione se defendit, & alterum occidit, non tenetur ad restitutionem. Præoccupatus alta æstimatione Lesii aliorumque, qui tenere doctrinam verè anti-evangelicam, & prorsus conformem falsis mundani honoris ideis, ideòque damnatam, non vidit Viva consequentiam necessariam damnationis suarum assertionum. Nec vidit P. Casnedi, ut alios omittam, qui etiam post Decreta ea scripsit (b): Antecedens ab omnibus Theologis (suis) admittitur, nempe quòd vir nobilis (quasi quia nobilis, non esset Christianus) non teneatur fugere; quin possit pro sui honoris tuitione vitam suam morti exponere, & occidere aggressorem. Quod est idem, atque utrum-

que periculo exponere manifesto propter imaginarii honoris idolum defendendum.

399 Redeamus ad Vivam; qui thesim 31. ab Innoc. XI. damnatam sic trutinat (c): Hac Propositio tribuitur Molina.... & Bonacina, qui tamen hoc solum admittunt, si furto addatur magna contumelia, ac violentia, ita ut rapina sit, non furtum: in quo casu id etiam admittit Cardin. Lugo.... Propterea ut rapina ista inferat ingentem contumeliam, fieri debet adversus virum nobilem, non plebejum. Post (d): Constat, occidi posse cum moderamine inculpata tutela invasorem vitæ, pudicitie, honoris, bonorum externorum magni valoris, & quidem etiam proximi, ut docent communiter cum Fillucio, Molina, Azor apud Dianam. Invasoris pudicitie nunc omisso casu (de quo alias) P. Viva in præsentiarum tamquam rem certam, & exploratam statuit universim ingentem laxitatem horrendam, nimirum, invasorem, sive nostrum honorem, aut alienum denigrare tentantem, posse occidi; atque cum fateri debuisset, errasse, quos laudat, Authores, ip-

ipse potius sequitur errantes. 400 Quin intactam relinquit veritatem, quam vocant speculativam, tam improba thesis. Ratio à priori, cur nemini CALUMNIATOREM INTERFICERE liceat, fundatur, inquit (a), in illa maxima, & regula generali, quòd scilicet, ut possit invasor licitè interfici, duo requirantur, & quòd evidenter damnum grave inferat, & quòd evidenter non possit moraliter alià vià damnum illud impediri; aliter, ut notant communiter DD. innumeris cædibus aperiretur ostium cum magna Reipublicæ perturbatione. Hoc est primum, & magnum erratum. Ratio etenim à priori fita est in Evangelio, cui hæc thesis apertè repugnat; quæ de re non te pigeat Concinam legere, qui ejusdem falsitatem rectè demonstrat (b). Sed modò animum adverte ad Vivæ argumentationem. Sic enim assumit: Sed in casu nostro non est evidens, quòd damnum grave sequatur ex hoc, quòd aliquis vitatur calumniam inferre.... Nec est evidens, quòd non possit aliter gravis infamia declinari. Hactenus quidem non arma eripiuntur è manibus Clerici, vel Religiosi, qui ca-

lumniam appetuntur, sed dumtaxat monentur, nè iisdem temerè utantur.

Quid igitur, si utrumque sit evidens, licebitnè calumniatorem interficere? Nequaquam, inquit Viva: qui facile homines ex passione hallucinantur. Atqui nihil est vitæ facilius: consulet enim Religiosus ille, ne hallucinetur, aliquos domesticos, viros graves, & qui cæteros prudentiam antecellant, qui, si rebus expensis, judicabunt impendere toti Ordini grave detrimentum, si liceat homini illi furioso impunè debacchari; quid impediet, quominus de illius miseri interitu iidem constituent? Ea siquidem Viva conclusio: Unde debuit absolutè à natura tale medium ad vitandam calumniam prohiberi; eò quòd majus esset damnum in Republica ex frequentibus cædibus, quæ haberentur, quam bonum, quod inde sequeretur. Hæc, inquam, consecutio nihil impedit, quominus seniores illi in sententia permaneant. Negabunt, hallucinari sese. Negabunt, naturam vetare, nè famam, existimationem suam, quæ manifestè periclitatur, tueantur, ut, calum-

(a) Curl. Theologico-Moral. tom. 1. par. 3. de Restitut. q. 7. a. 1. n. 2.

(b) Disp. 13. sect. 3. n. 15. (c) In Prop. 17. Alex. VII. n. 10. (d) Ibi n. 12.

(a) Ibi n. 4. (b) Tom. 4. dis. unic. de Homic. cap. 5. §. 3. n. 16. p. 316.

lumniatore interfecto, eadem confervetur. Dicent, verendum non esse, nè cæde unius improbi Respublica perturbetur: hac ratione rectè caveri, nè vulgus, qui inconsideratè agit, hac doctrina temerè utatur: at callidis & præpotentibus hominibus non deesse venena, aut sicarios magno pretio conductos, quibus cædem tam occultè perficiant, ut nullum sit periculum, ne in vulgus efferatur. Demùm, si paucorum sermonibus fortè efferatur, incredibile visum iri, cædem factam à Religiosis hominibus, cum vulgò homines religioni sibi vertant, non modò credere, sed etiam audire facinora ejusmodi. Quid? estnè quidquam in argumentatione *Vivæ*, ex quo intelligi possit, improbum esse, & cum Christi doctrina pugnare horum hominum consilium malum? Quæro, *inquam*, quidnam sit in argumentatione hujus Casuistæ, quod à cæde calumniatoris deterrere possit homines, quibus eam perficere licet, occultandi facultate, ac impunitate proposita?

Sed frustra quæro: cum enim nihil aliud adferat, nisi difficultates, quæ occurrere

possunt in ea perficienda, evincit ille quidem, non licere coquis, laniis, sutoribus calumniatorem interficere; at damnatam thesīm falsam esse, hoc est, nemini omnino licere calumniatorem interficere, non evincit. Atque hujusmodi sunt rationes pleræque omnes, quibus *Vivæ* proscriptarum thesīm falsitatem explicare conatur. Quandoquidem *difficilem* quidem esse demonstrat earum *praxim*; & cum locus non est ejusmodi difficultatibus, obstare Christi doctrinam, quominus iisdem quisquam utatur, nullo modo demonstrat.

401 Magis intelligitur, nihil istum Casuistam vidisse in lege Christianorum, quod esset idoneum ad declarandam falsitatem damnatarum thesīm de Homicidio, talibusque usum esse argumentis, ex quibus *speculativè* veras esse sequeretur, si accipiamus testimonium ejus, quod hisce conficit verbis (a): *Dubitatur tamen hic primò: AN LICEAT saltem Viro Equestri duellum acceptare à provocante, quem scit suum esse calumniatorem, quin possit aliā viā gravem ignominiam à calumnia provenientem*

re-

*repellere, quàm illum occidendo? Respondeo, NULLATENUS POSSE, sicut non licet hunc calumniatorem occidere, ut constat ex Propositione 30. Innoc. XI... Quod pariter confirmant Propositiones 17. & 18. ab eodem Alex. VII. confixæ... Et ratio videtur esse... quia facilè homines sibi persuadent, se per calumniam offendi, nec aliam viam evadendi suppetere, præter mortem calumniatoris. Et quamvis in aliquo casu certissimè constaret tunc de calumnia, tum de carentia alterius medii ad ignominiam vitandam, præter mortem calumniatoris; neque poterit in eo casu, aut occidi calumniator, aut acceptari duellum; quia hujusmodi medium ad declinandam ignominiam est revera excessivum; posito quòd de se, & ferè semper animus in hac re obnoxius est hallucinationi. Quæ ratio militat universim in Propositionibus damnatis, quando videtur damnatio fundari in presumptione, & in casu particulari falsificari presumptione. Audistin quo *Vivæ* ubique naturatur argumento?*

Videlicet nihil habet, aut habere se simulat, præter humanam hallucinationem, quamobrem istæ homicidia repudiet, aut proscriptas theses

falsas esse intelligat. Nec mirum: nam nihil obstare, quominus, si *speculativè* loquamur, veræ dicantur, disertè scribit in ejusdem numeri extremo: *Quinimò quamvis speculativè loquendo posset in aliquo casu aliqua ex his propositionibus, quarum damnatio in presumptione fundatur, jure nature culpâ vacare; numquàm tamen licitum est eam in praxim deducere, cum id prohibeatur in virtute sanctæ obedientiæ, quia hujusmodi casus fortè est metaphysicè tantum possibilis, non verò moraliter.* Quid amplius dicere posset, si gladium Clerico, aut Religioso porrigere vellet ad necandum calumniatorem? Hæc enim est summa totius interpretamenti: Ei, qui nec calumniatoris injuriam ulcisci velit, verendum non esse, ne quid admittat Decalogo, & Christi voluntati contrarium; sed tantum nè hallucinetur, & Romano Pontifici, qui has theses damnavit, non obtemperet. Quæ privatus quisque fortassè timebit; Vir aulicus, Clericus, seu Religiosus, quibus facultas non desit, rem maturè, & occultatione, atque impunitate proposita, perficiendæ, facilè irridebunt. Dicent namque.

(a) In Prop. 2. Alex. VII. n. 9.

que : si non est difficile , Calumniis tuto cognoscere , calumniis appeti se , scriptisque Adversariorum lædi existimationem suam (nam si esset difficile , non liceret eis datâ operâ libellos conficere , quibus adversarios suos calumniæ , imposturæque infimulent) ; cûr tam difficile erit , agnoscere nos quid agant adversarii nostri , & cûm grave damnum ex eorum calumnia nobis impendere , tûm nullam occurrere illius vitandî rationem , præter eorum interfectionem ? Ad Romanum Pontificem quod attinet , ejus Decretò cautum esse dicent Reipublicæ tranquillitati , & nè Vulgus , qui temerè agit , his doctrinis utatur : cæterùm si casus incidat , in quo , attento *jure nature* , calumniatorem interficere liceat , hunc eò Decretò Pontificem non esse complexum .

§. III.

402 **T**Ranſeamus ad *La-Croixium* , qui tam usualis , & acceptus est inter Probabilistas , quique docet (a) : *Non teneris fugere invasorem , si per hoc incurras*

gravem ignominiam . Et asserit hanc opinionem esse *communissimam* : Authores 96. recensere *P. Gobati* Vindicem , & *T. Bernæ* Vindicem quoque *alios plures* . Numquid supra centum Authorem opinio hæc non stabit super pedes suos firma contra excussiones omnes , quas accipit à prohibitionibus Romanis , cum nequeat non esse *probabilis* ? Et quod est præcipuum , quo nititur , fundamentum ? Idem , *La-Croixio* ipsi paulò ante improbatum . Dixerat , invasorem non posse occidi propter receptas injurias , eo quòd infamia est accidentale malum , est amissio facile reparabilis . Non ergo sibi constat modò , quum consistere posse affirmat contra aggressorem , quin ejus declinetur occurſus , ob vitandam timiditatis , & imbecillitatis infamiam . Hoc ipſo nonnè fatetur sufficienter , existimationem valoris esse bonum essentialiale , cujus amissio est irreparabilis , præferendaque vitæ propriæ , ac alienæ ; quod antea negaverat ? At sua ipsius contradictio huic sententiæ nihil officit ; centum & amplius autoritate firmata , immobilis erit sua *probabilitas* .

Nec

403 Nec in sententia sua tenuisse constantiam , docet *La-Croixius* ipse , subjungens circa Ecclesiasticos , & Religiosos : *Ordinarie debent potius fugere : quia illis non ita est indecorum , nec debent tanti facere humanum judicium , qui Christi mansuetudinem sectantur , & humilitatem profitentur* . Ubi apparet sensibilius , reliquos Christianos posse juxta *La-Croixium* pluris humanum judicium fallax aestimare , neque ad imitandum humilitatis , & mansuetudinis Christi exemplum ullatenus adstringi . Quinimò neque hujus imitatores debere Clericos & Religiosos esse semper ; sed aliquando posse tanti facere humanum judicium , quanti homines hujus sæculi , atque quin ad medium promptum fugæ confugiant , in campo consistere contra aggressorem , hujusque occisione se defendere , quando scilicet , sese aliter gerere derivaret in illos gravem infamiam . Subdit enim : *Dixi* , ORDINARIÈ : *quia Felinus , Filliucius , & Lugo tenent , si spectatis circumstantiis etiam in illos redundaret gravis infamia , NON TENERI FUGERE ; tunc enim esset justa causa se ibi defenden-*

di . Quod spectaculum scandalosius , quàm Clericum & Religiosum , qui patientiæ Christianæ deberet esse utile exemplar , videre collucentem insignibus armis , ipsum intus dextrâ ac lavâ pro turribus , adstantem armatum ferrò , & colluctatorem expectantem ; atque ne quis dubitare valeat de fortitudine illius , una hæc de causa fieri homicidam proximî sui , animamque in gehennam mittere .

404 Procedit *LA-CROIXIUS* (a) : *Sententiam tenent Henricus & alii , quos refert Cardenas n. 64. qui dicunt : licitum esse se repercutere , aut insequi ad repercutiendum , quantum necesse est ad tuendum honorem . Quæ sententia etiam videtur PROBABILIS , saltem SPECULATIVÈ . Quia non est opus id fieri ex vindicta , sed potest esse intentio defendendi honorem , alioquin adhuc magis perdendum in aestimatione hominum , vel etiam reparandi æquivalenter* . Ita tanti facientem propriam aestimationem , quis crediderit , habere rectam , veramque doctrinæ evangelicæ , ac ipsius legis naturæ ideam ?

405 Nec minùs est liberalis *La-Croixius* cum suis *Clas-*

si

(a) Lib. 3. p. 1. n. 803.

(a) ibi n. 804.

sicis Doctoribus in permissio-
 homicidii propter temporalia
 bona. Postquam enim asseruit
 (a) cum P. CARDENAS: *Licere*
 (occidere) *si res sit magni mo-*
menti, nec possit aliter seruari,
vel recuperari, eamque actu
inveniat fur, vel raptor, do-
cent Authores COMMUNISSIMÈ,
quorum plures quàm centum,
adductis locis, & verbis enu-
merat Vindex Taberna. Rem-
autem magni momenti absolutè,
& respectu omnium (id est, res-
 pectu etiam ditiorum, atque
 ditissimorum) *putat Cardenas,*
esse valorem quadraginta impe-
rialium, & quod minus est, pu-
tat, esse absolutè parvi momen-
ti. Posset tamen, subdit, res
minoris valoris esse magni mo-
menti respectivè, v. g. ad pau-
perem, cui sublatà minore quan-
titate tollerentur necessaria ad
vitam. Hinc putat Tamburinus,
Petsch., Sporer, unicum vel al-
terum aureum esse magni mo-
menti respectu pauperis:: è con-
tra etiam viginti aureos esse exi-
gui momenti respectu divitis.
 Addit (b), prædictum occi-
 dendum jus esse tribuendum Cle-
 ricis, & Religiosis, Lugo,
 Diana, Mendo, & alii valde
 multi tenent, binis hisce ra-

tionibus robustissimis: *Tum,*
quia hæc facultas DE JURE NA-
TURÆ competit, neque JURE EC-
CLESIASTICO est sublata: Tum
etiam, quia Clericus, vel Reli-
giosus ordo non renuntiat juri,
quod habet, ad bona sua, qui-
bus etiam ad vitam indiget: er-
go possunt defendere, uti laici.
 Hinc concludit (c): *Licere oc-*
cidere furem fugientem cum re
mea magni momenti, si aliter
recuperari non possit, docent
plurimi, & gravissimi Autho-
res... Et idem licere Clericis,
docent Moya, Diana, &c. Spe-
ctata itaque quantitate absolu-
ta & respectiva, quæ exigitur
 ut res sit magni momenti, po-
 terit in prædicto casu Cleri-
 cus & Religiosus furem, qui
 fert secum rei ablatae pretium
 quadraginta Imperialium, &
 etiam, si non sit dives, mi-
 noris valoris pugiunculo in-
 sequi, dorsum incurvare, ac
 transigere. Videturne doctri-
 na hæc, & recensita superius,
 conformis fieri illi (d): *Ego*
autem dico vobis, non resistere
malo: sed si quis te percusserit
in dexteram maxillam tuam,
præbe illi & alteram. Et ei,
qui vult... tunicam tuam tolle-
re, dimitte ei & pallium?

Has,

406 Has, cæterasque, quas
 prætermitto, quasque *La-Cro-*
xius vel adoptat, vel relin-
 quit probabiles saltè, seriò
 recogitate, ac nisi Principum
 vigilantia, & Magistratum,
 ferales effectus, quos inevita-
 biliter producerent, impedi-
 rit, vidissetis, virtute confi-
 derata probabilissimi, illarum
 praxim cohonestantis, absque
 scrupulo gravis, aut vel levis
 peccati, periclitari omnes: si-
 quidem cujusque vita depen-
 deret ab alieno judicio, faci-
 lique apprehensione insidia-
 rum, & præjudiciorum vitæ,
 æstimationi, seu facultatibus:
 nullò autem negotiò quisvis
 sese credit circumventum, in-
 justèque invasum. Quantis ho-
 micidiis aperit vastissimum
 campum ea sola doctrina,
 quam *Sporer*, & alii *commu-*
nem inter Doctores vocant, ni-
 mirùm licitè interfici injurian-
 tes verbò, aut alio simili mo-
 do honorem nostrum læden-
 tes? Numquid sæpè non im-
 plentur facies virorum nomi-
 natorum, sive qui honorati
 existimantur, ignominia ver-
 borum? Nonnè frequentissi-
 mum, sese concipere infama-
 tum injustè, atque calumnia-
 tum apud personas spectabi-
 les, gravis ignominia pericu-

lo expositum, vel damni? Si
 ergo his, & supradictis in
 casibus licet occidere; nonnè
 manifestum est, infrequentia
 esse non posse homicidia, cul-
 tioresque Civitates in tot alias
 decurrent inciviles, ubi nihil
 agunt aliud feræ, quàm invi-
 cem aggredi, stitidere denti-
 bus, veciterari, cæterarum-
 que sanguine suam saturare
 crudelitatem.

Sanè Principes terræ, ac
 Magistratus quot utuntur cir-
 cumspèctionibus, cautelis, di-
 ligentiis ad delictorum publi-
 cam vindictam, sumendam po-
 tissimum extremò supplicio,
 nè in errorem ducantur, cæ-
 que abutantur autoritate,
 quæ donati sunt desuper, prop-
 ter quietem & securitatem po-
 pulorum conservandam formi-
 dine poenæ? Et quum ab evi-
 dentia facti, legumque insti-
 tutis coacti tenentur subscri-
 bere damnationis sententiæ,
 tota contremente dextera præ
 dissolutione nervorum, cala-
 mus ad scribendum adhibitus,
 vix reddit atramentum. Cum-
 que corpus rei jamjam est tra-
 dendum in manus carnificis,
 illorum pietas expetit omne
 medium ad salutem animæ
 ejus, tempori necessàrio, ut si-
 bi consulat, dando locum, mi-
 ni-

(a) Ibi n. 808. (b) Ibi n. 809. (c) Ibi n. 810. (d) Matth. 5. v.
 39. & 40.

nistrisque spiritualibus, doctrinam, zelumque animarum habentibus, qui ipsi præstent auxilium.

Quid modò dicam de privatis hominibus iis, qui nec à Deo, nec à legibus, sed à solis Casuistis potestatem habent proximum suum occidendi propter apprehensas vitæ insidias, honoris offendicula, contumeliam, mendacium, violentiam, pecuniarumque detrimenta? Hic nulla, quæ fervetur, formula juridica, nec testium, nec rationum fit conquisitio, aut momentorum discussio, vel circumstantiarum expensio. Confectus jam est processus: qui est, seu creditur offensus, actor est, testis, Judex feraliter pronuntians, simulque executor minister, quin tempus offensori, spatium, sive momentum præstet, quo provideat Dominum in conspectu suo, qui potest & corpus; & animam perdere; hòcque pacto priveatur corpus vitæ, anima paradiso. Quis inurbanis populis dignior procedendi modus, humanis, divinisque legibus è regione pugnantior, Christianis, atque comitibus intolerabilior?

§. IV.

407. **A**nimus tandem meminisse horret, luctuque refugit illorum trium Casuistarum principiorum confectarium probabilissimum. Quorum est 1. Contra injustum invasorem, qui actu tingere cæde manum experitur, non modò defendi posse propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ eo, quod exponit *D. Angelicus*; verum etiam illum, à quo timeretur mors, invadi posse ac occidi cum moderamine inculpatæ tutelæ à *P. Molina* (a) explicato per hæc verba: *Non solum ut quis se defendat à morte, sed etiam à vulnere, & à quacumque alia gravi injuria, potest licitè interficere aggressorem cum eodem moderamine inculpatæ tutelæ, ut ex dicendis patebit. Neque ut quis dicatur se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, est necessarium, ut non utatur armis adversus aggressorem, qui arma non affert, aut ut non utatur potentioribus, & nocentioribus armis, ut glossa, &c. Fas quippe est, quacumque via, & ratione & quibuscumque armis id totum efficere; porrigere pocula pro-*

proinde tristi gramine mista.

Huic nixi principio docent, præveniri eum posse vel à longè, qui paratus ad invadendum est, præparat vitæ insidias, servis ordinat ut circumveniant, injustè coram Judice accusat de delicto, morte, aut cujuscumque etiam amissione membri puniendo, & ubicumque fugæ locus dari non potest, seu tamen detur, est tamen ignominiosa & indecora. Ponamus itaque, Principem, vel Magistratum mortem decrevisse hominis privati (seu hujus cognatorum, vel amicorum cujusdam, cum pro his etiam idem fieri permittatur) ab istoque judicari, aut apprehendi injustum, ut contingit persæpè, atque aliud nullum sibi occurrat vitam suam, cognati, vel amici medium conservandi, quàm Principis, sive Magistratus occisio ferro, toxico, aliove modo: Eccur ex doctrinis illis judicare, ac constituere non poterit, Magistratum, vel Principem de medio tollere utcumque, atque prævenire? *Lessius*, *Tamburinus*, *Busembaum* unà cum aliis docent verbis apertè expressis, propriam tueri vitam posse occisione Principis scelerati, etiam

supremi, qui eam mucrone denudato vult rapere injustè, Cedo hòc præcisè in casu. At illi propriam defensionem vitæ extentant in aggressione, etiam prævenientem, de vita ejus, qui nostram auferre statuit: juxta hanc doctrinam nonnè poterit interficere Magistratum, vel Principem ipsum, qui adversum nos ediderit chirographum Decretum injusti, sive ut talis existimati, quo exponeretur *periculo, maximè capitali*, ut *MOLINÆ* utar verbis? Hinc *Confessus* Cleri Gallicani an. 1700. ejusmodi doctrinam hæc censurâ notavit: *Nefandis cedibus, & phanatissimo viam sternens, societatis humane perturbativa, Regibus quoque presentissimum periculum creans.*

408 Principium est alterum *Lessii*, *Vazquii*, *Azorii*, & quamplurium, licitam violentiam occisivam defensionem honoris, famæ, aut existimationis, atque facultatum, quæ bona dicunt ipsi, vitæ quasi, ut minimum, æqualia, & sæpius ressecata. *Justum, & sine peccato est homicidium* (citatus jam *TAMBURINUS* ait) *si, etiam auctoritate propria, fiat ob defensionem vitæ, honoris, &c.* *BUSEMBAUM*: *Jus na-*

(a) Tom. 4. tract. 3. disp. 11. n. 5.

tura permittit, ut vim vi repellas, & aggressorem, qui iniquè tibi conatur vitam, aut quæ ad hanc honestè agendam tibi sunt necessaria, ut bona temporalia, honores, &c. prævenias, & occidas. Et Amicus (a): Conveniunt supradiçti Doctores, fas esse ad propulsandam ignominiam, quam tibi aliquis inferre conatur: ILLUM PRÆVENIENDO OCCIDERE: Sicut fas est ad declinandam mortem, quam tibi injustus invasor molitur, illum occidere, antequàm mihi mortem, vel mutilationem inferat. Ac etiam de Ecclesiasticis, ac Religiosis asserit: valent, ac saepe debent. Eadem tradunt alii, quos Probabilitæ vocant Authores primæ classis, & omni exceptione majores. Ultrò fatemur, horum DD. sermonem esse communem de quolibet inhonorante, non specificantem Personas publicas; at neque excipientem, aut ad privatas dumtaxat restrictum: maximè cum illorum doctrinæ principia, vel in nullo casu vim habeant, vel in omnibus habere opus sit. Sed Casuistis donetur, credere illicitam Principis occisionem propter injuriam unius alapæ, aut fustè percussione, & si-

miliium: attamen, etiamsi nonnulla servanda sit injuriam & insaniam inter, ac personam injuriantem, traducentemque proportio; nec idcirco tamen juxta ipsorum doctrinam, præfati Principis occisio defensiva honoris & famæ erit numquam illicita. Fingamus exempli causâ, Regem verbo vel opere graviter & injustè offendere (jam fat est, quòd ita arbitretur) honorem & æstimationem, onerareque ignominii & opprobriis, non jam virum de plebe, vel etiam de equestribus inter Regni Magnates primi ordinis; sed integram Civitatem, Provinciam, Communitatem conspicuam, quarum propterea obscuratum sit aurum, mutatus sit color optimus, dispersi lapides Sanctuarii, adeò ut denigrata sit super carbones facies earum, & non sint cognitæ in plateis, ubi prius auris audiens beatificabat eas, quibusque oculus videns testimonium reddebat dilectionis super aurum & topazion. Tum saltem morte aficere Principem illum licebit ad impediendum malum ita grave, cujus fortassis æquo, vel etiam dif-

dispari momento trutina probabilistica discrimen partitur à vita, quæ bonum est tandem tranitorio, caducum, amittendum inevitabiliter hodie aut cras, cujus proinde omnis ponderatio non est digna honore & gloria Communitatis inclytæ. Tumque P. Amicus dicit quoquè, Clericos, ac Religiosos posse defendere, etiam cum morte invasoris, honorem illum & famam, quæ nascitur ex virtute, atque sapientia, ob quas nimis honorati sunt, dignèque glorificandi à sæcularibus, quorum dirigunt pedes in viam pacis. Subdetque: Quin, interdum lege saltem Charitatis videntur ad illum defendendum teneri, si ex violatione propria famæ integra Religio infametur. Porrò cum nec ipse distinguat; neque nos distinguere debemus inter Regum turres, & Pauperum tabernas.

409 Accedit tertium principium, & quidem *juris nature*, cui non derogavit Evangelium, & communiter traditum à plusquàm centum Casuistis, quorum nomina & testimonia recenset *Vindex Tabernæ*, ut legimus scriptum à *Bussembaum* post *Molinam* &

Lesium, post hosque à *La-Croixio*; videlicet, quòd defensio occisiva (verbis *Sporerii* (a) utar) *extendenda sub modo est ad necessariam defensionem honorum temporalium alicujus momenti*. Et hinc subinfert *Sporerius*, quemlibet posse propter tale motivum occidere *quemcumque*, id est, inquit, *etiam quemcumque superiorem, Dominum, Principem*. Et nè hoc nomine *Principem*, titularem, vel figuratum intelligere non nemo posset, adjunxit, *Personam publicam quamcumque*, etiamsi Hispaniarum Monarcha esset, atque Rex universæ terræ. Potissimum itaque cum viderint desolationem, quæ facta foret ab illo, stantem in familiis, Civitate, Provincia, toto Regno, integrove Ordine religioso; qui Authores præfati non admittent rei ablatae proportionatam quantitatem, neque credent licitam tutâ conscientia Personis adeò damnificatis, & protritit defensionem justæ possessionis auri, & argenti infiniti nimis, etiam cum morte injusti aggressoris, quantumvis Principis supremi? Et quid si ea temporalia bona habeantur necessaria, non modo

Bb

dò

(a) De Just. disp. 36. sect. 7. n. 106.

(a) Traçt. 5. sect. 3.

dò ad decentem familiæ, communitatis, cœtusque sustentationem corporalem, verùm etiam ad necessitates Populorum spirituales, propagationem fidei, Evangelii prædicationem Gentibus, alioque usus sanctissimos, uno verbo, ad majorem Dei gloriam, & salutem animarum? His adde, ex morte Principis nihil fore timendum mali Societati civili, Regni systemati, publicæ tranquillitati, imò promptus adesset successor illò justior, ad beneficentiam potius & levamen, quàm ad populorum gravamina natus. Quanti tùm haberent iniqui hominis, etsi induti regalem dignitatem, vitam, quæ cum morte commutanda necessariò est brevi tempore?

410 Demùm, si ubi permittunt occisionem privati, denegarent licitam personæ publicæ, vel saltem Regis necem; hoc maximè esset triplici ex capite, nimirum: vel propter supremam Principis classem: vel propter Personæ publicæ characterem: vel propter consecutiones funestas, quæ supervenirent in Regnum & statum. Quis tamen temperet à lachrymis, circumspectis omnibus Casuistarum doctri-

nis? *Lestius* etenim, *Tamburinus*, *Bussembaum*, *Bonacina*, *Sporer*, & alii benè multi, licitam cuilibet faciunt *in primis* occisionem Principis, ejus celsitudine contempta, propter defensionem propriæ vitæ, quam actù, atque injustè invadit exemptò gladiò; ac consequenter, capitali etiam pronuntiato decreto. Quam doctrinam, tametsi uti fallam à nonnullis modò rejectam, Probabilistæ tamen *probabilem*, & in conscientia tutam dicent; quia talem efficit plurium auctoritas, vel unius *Lestii*, de quo scriptum est, *nullam doctrinam securiorem*, &c. Aliunde gradûs differentiam numquam Casuistæ credunt eam, quæ damni non possit compensari magnitudine. Undè concedunt ad Principis occisionem ob defensionem honoris, & rerum familiarium, non sufficere quidem, injuriam ab eo illatam Equestris, Matronæ, Religioso, aut nobili familiæ gravem esse, vel damnum ab ipso illatum fuisse quatuor seu quadraginta Imperialium; secùs verò propter injuriam gravissimam, atrocissimam, funestorum, atque irreparabilium parentem consectoriorum; & propter dam-

num

num aureorum millies.

Deinde, si propriam quis valet tueri vitam occisione Principis invadentis injustè, quia non agit tum ut *Persona publica*: idem dicent de eodem, decretum mortis edicente iniquum, Personas spectabiles confundente turpiter valdè, aut subditos opibus spoliante amplis ex actu, ut facile crederetur, odio, malignis ideis, injustitia, & iniquitate manifesta; sic enim hominis privati tantum personam ostentaret, fragilitati, & brutalibus obnoxii passionibus, sicuti est cæterorum hominum. Possunt itidem concurrere haud rarò eæ circumstantiæ, aut prævideri in damno à Principe illato vitæ, famæ, sive facultatibus, quòd cœquandæ putentur, si non præferendæ, qualitatibus *Persona publica*, ut si vita sit bono communi necessaria, tactus infamiam sit religiosus cœtus magni nominis facultatesque creantur necessariae ad bonum statûs, vel Religionis Christianæ, ad fidei dilatationem, extirpationem hæresum, animarum salutem, majorem Dei gloriam. Quibus cedunt satis potentioribus cætera bona, tamquam collocandis su-

per Principes terræ, & scilicet gloria tenentibus præ ipsorum vita, quasi aqua cum nostra dilabente.

Postremò, ex tertio capite non liberatur à sanguinibus qualiscumque publica persona altera, & in regimine aristocratico supremus Judex, Senatus supremus, Dux ipse Majestatem Reipublicæ præferens, quorum ob uniuscujusque mortem evenit numquam statûs mutatio, aut vicissitudinis obumbratio; alter alterius deficientis onera portat continuò, resque in suo cursu naturali properant, & quietum iter habent. Item juxta Casuistas, ut illicitum fiat Regicidium, excessus consequentes sint admodum graves nimis, oportet; *Nisi forte* (*Bussembaum* inquit) *propter mortem hujus, secutura essent nimis magna incommoda, ut bella*, &c. Si ergo non valdè magna sint, licitum erit. Præterquamquòd certa res est, ac explorata, ob mortem Principis violentam, eadem, quæ ob naturalem, contingere incommoda systemati Regni, maximè ubi Corona est hæreditaria, sicuti est in parte Regnantium maxima, & adsit filius, aliusve legitimus successor. Sæpè sæ-

Bb 2

pius

pius iraque non erunt saltem timenda prudenter ejusmodi incommoda, necem Regis consequentia.

411 Introspectis ergo Casuistarum momenti, nullum est, quod possit sacrilegam retrahere manum à Principum cæde, molientium injustè reapse, vel existimativè adversum vitam, famam, aut res familiares, cæde, *inquam*, mucrone exequenda, pugione, sclopo, aconitò, similibusque modis, cum per se ipsum à quoquam, tum per alios jux-

ta editum Canonem à *Fillucio*, *Tannero*, *Molina*, aliisque, ac à *Bussembaum* promulgatum: *Quandocumque quis juxta supradicta habet jus alium occidendi, id potest etiam alius pro eo præstare: cum id suadeat Charitas.* Quæ forma virtutum cum sit, meritique gloriæ sempiternæ principium, animosè *Sporerius* instigabit, atque dicet: *Vade, & occide illum in nomine Domini;* à quo quisque recipiet mercedem suam juxta opera sua.

QUÆSTIO VII.

DE INJUSTIS ACCUSATIONIBUS.

De quibus Propositiones ab *Innocentio XI.* proscriptæ 43. atque 44. procedunt: sit ergo

ARTICULUS UNICUS.

Detractio, sive Calumnia.

§. I.

412 **S**Citè observat *D. Angelicus* (a): *Ille, qui malè accusat, peccat, & contra personam accusati, & contra Rempubicam. Unde prop-*

ter utramque punitur. Et hoc est quod dicitur Deuter. 19. CUMQUE diligentissimè perscrutantes, invenerint, falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit: quod pertinet ad injuriam persona. Et postea quantum ad injuriam Reipublicæ subditur: ET AUFERES malum de medio tui,

tui, ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant FACERE. Verùm neque pœna, scelerum vindex, quam à calumniantibus, vel injustè detrahentibus exigit semper Ecclesia; & benè dispositum regimen omne; nequè horror, quem vel Paganis ipsis natura indidit, nequè incommoda, quæ nefas ejusmodi derivat in Societatem civilem, premunt Casuistas, nè Christianos habeant excusatos, diversis saltem in occurribus, illisque permittant calumniandi praxim, detrahendive.

413 Doctrina generalis *Iesii* (a) est: *Si quis te infamet, nec possis infamiam aliâ ratione avertere, potes aliquos defectus illius occultos aperire, nè ipsi fides adhibeatur. Ita Sotus supra, & alii passim.* V. g. potes dicere, *isti fidem non esse habendam, eo quod aliàs in mendacio, vel perjurio sit deprehensus Rursus* (b): *Si tu alium injustè infamasti, qui te antea infamaverat, non teneris ei ad restituendum, si ipse tibi restituere nolit. Sed potes uti compensatione, servata tamen equalita-*

te, quantum fieri potest. Est contra Navar. Cajet. & Petr. Navar. Sed nostra sententia est verior. Ecce judex accusationis, & compensationis privatus quisque constitutus in causa propria: quasi accusatus injustam semper præsumat accusationem, atque calumniosam, etsi re ipsa justam, & legitimam, res non foret asfidua.

414 Concinit *Bussembaum* (c) per hæc verba: *Si quis injustè ledit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare aliâ viâ, quàm imminuendo quoquè famam illius; id licet, dummodò falsa non dicas, in tantum quantum ad tuam famam conservandam necesse est, nec magis ladas, quàm ladaris, collatâ tua, & alterius personâ. Lugo, &c.* Si ergo paris conditionis uxores binæ torum secretò violassent, ob idque altera alteram traduceret, poterit hæc illius pangere scelus, medium aliud non suppeditante pudoris conservatione. Idemque judicium fiet sexcentis aliis in casibus. Addit: *Si is, cui detraxisti, tibi similiter detraxerit, nec velit restituere, potes jure com-*

Bb 3

pen-

(a) Lib. 2. de Just. cap. 11. dub. 5. n. 130. (b) Ibi n. 133. (c) In 8. prac. Decal. dub. 3.

(a) 2. 2. q. 68. a. 4. ad 2.

penſationis, ſeu retentionis uti, dummodò infamia illata non redundet in alios. Ita PROBABILIS, Tolet. Leſſ. Sylv. Malder. Diana, Molina. Contra Cajet. Taner. Lugo. Pergit (a): *Quæres, an liceat alium infamare ad tormenta gravia vitanda? Reſp. LICET, ſi crimen ſit verum* (eſſi occultum cæteris, ſuxque non deroget famæ): *quia nullam alteri facit injuriam; cum habeat jus ad illud in neceſſitate revelandum.* Nùm patens non eſt injuſtitia, ejus ſeſe tegere culpâ gravi, qui in omnium conſpectu innocens apparet?

415 Sed extra numerum feciſſe magis, modumque videbitur *La-Croix* (b) pronuntians: *Si reus legitime interrogatus neget verum crimen, & ideo infamia redundet in accusatorem, Cajet. Molina, aliique apud Dianam dicunt, huic fieri injuriam* (quis hæſitare poterit?) *quia negando crimen, implicite dicit, eum falſò, & calumnioſè accuſare: ergo eſt cauſa injuſta illius infamie.* E contra FABER, DIANA, LUGO, DICASTILL. HANNOLD, SPORER PROBABILIS negant: *quia reus non tenetur ex juſtitia, fateri crimen, multo*

minus juvare accusatorem, vel contra ſe ipſum agere. Mirabilis ratio!

416 Quid? de formali calumnia, quæ falſa & malitioſa imputatio gravis criminis eſt, ſcriptum quoque eſt: *Non niſi peccatum veniale eſt detrahenti, Authoritatem magnam falſo crimine elidere.* Hanc theſim, aſſerit P. PIROT (c) publicè propugnatum Lovanii fuiſſe à Sodalibus ſuis unà cum doctrina P. DICASTILLI, morantis ibi, ſub duabus conditionibus, concludentibus licitas dumtaxat calumnias, quæ utiles ſunt propriæ æſtimationi, atque conducentes. Hinc *Dicaſtillum* laudat tamquàm dulcem valdè, ac humanum, qui calumniam permittit, ubi perexcellentes Theologi multi concedunt homicidium calumniatoris. Et concludit: *Oſtendatur mihi, calumniatorem habere jus ad ſuam famam, quando alteri præjudicavit.* Quasi Chriſtus D. non fecerit, & docuerit: *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos;* Charitatiſque lex æternæ locum ſibi non vendicaret erga malum operantes.

Quin, diſfuſa eſt Dicaſtillana

na doctrina in labiis adoleſcentularum Palatinarum; & tota Imperatoris aula impleta eſt fumo; quem Spiritus ſancti igne, non urente, ſed illuminante, ſtanteque auctro illo divino expellere adniſus eſt P. GUIROGA Capucinus. Qui proindè in ſubſanationem, & deriſum, & in ſimilitudinem improprii ductus eſt, ita eum deſcribente DICASTILLO (a): *Quidam Religioſus cucullatus, gymnopoda, hanc opinionem temerè parvificit ignorantes inter ſœminas, eoque progreſſus eſt, quòd perniciosa eſſet, & ſcandalosa, contra bonos mores, contra ſtatuum pacem, Societatiſque civilis, atque repugnans Catholicæ doctrinæ.* Sed ego ſuſtinui, & adhuc ſuſtineo: Calumniam, quâ diruitur calumniator, quamvis ſit mendacium, non eſſe tamen peccatum mortale, neque contra Juſtitiam, neque contra Charitatem. Quod ut evincerem, illi objeci multitudinem PP. noſtrorum, integrarum Univerſitatum (ex *is coaleſcentium*) P. JOANNEM GAM, Confellarium Imperatoris, alioſque quos ibi nominat) ex omnibus Profeſſoribus pu-

blicis & ordinariis Academia- rum *Vienne, Gratz, Praga* (à ſcõlis ipſis reguntur, & moderantur, ſicut *Gandia* in hoc Regno Valentia): *Quorum omnium cenſuras inquit, & ſubſcriptiones apud me habeo ſimul cum Cancellariis* (eorumdem domus Superioribus) *earum Univerſitatum, qui omnes ſunt ſeptemdecim, quibus annumerari poſſunt alii Doctores, & olim Profeſſores:* quia omnes illius cœtus temporales ſunt, & tranſeunt ſingulariter. Quis jam negaverit, tot Doctorum, Profeſſorum, & Theologorum ſtipatam agmine opinionem ſolidè eſſe, & pluſquam ſolidè probabilem?

Hinc *Caramuel* (b) argutatur: *Probo eſſe probabile, non peccare mortaliter, qui imponit falſum TESTIMONIUM alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat.* Quia illud eſt PROBABILE, QUOD ASSERTITUR A VIRIS DOCTIS: *at hac doctrina habet in ſe viginti, & plures viros MAGNOS, & DOCTOS.* Quòdſi dicantur non ſufficere, vix erit ulla opinio PROBABILIS. Et P. MOYA (c) ſubinfert: *Caramuel inquit, viginti & plures Authores aſſerre, eum qui imponit falſum te-*

Bb 4

ſi-

(a) Ibi n. 18. (b) Lib. 3. par. 2. n. 1211. (c) In ſua Apolog. Caſuiſt. pag. 127.

(a) Lib. 2. de Juſt. tract. 2. diſp. 12. n. 404. (b) Fund. 55. s. 6. n. 1151. (c) Prop. 7. de Char. n. 3. Vid. Eramila Epist. tom. 5. epist. 38. s. 1. à pag. 307.

stimonium alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, non peccare mortaliter: cur ergo peccabit eo, quod convicianti solum dicat MENTIRIS? Et quidem si pro defensione honoris licet alterum occidere; cur non & vocare MENDACEM. Quare P. Escobar (a) asserit: LICET, & NON LICET, crimen falsum proximo affingere, ad torturam in judicio, vel extra illud, grave damnum vitandum.

417. Super omnes est Tamburinus, in quo reperimus scriptum (b) etiam apud editiones novissimas: Quilibet jus se tuendi habet cum justo moderamine, præsertim eodem genere armorum, quo oppugnatur. Quod idem valet, ac posse reddi malum pro malo, calumniam pro calumnia, convicium pro convicio. Hoc principio positò, quærit, & refolvit: Potestne reus ad onerandam falsorum testium auctoritatem, eorum occulta crimina (complectitur hic generalis dicendi modus, genus omne occulti criminis, cujus manifestatio possit adjumento esse) revelare? Resp. Si alia via non datur, quâ commodè testimonium infirmet, SANÈ POTEST,

siue spontè, siue compulsi à Judice, testes illi testati fuerint. Ita Lessius lib. 2. cap. 31. n. 1. Hinc sequitur primò, eum; qui accusatur de crimine, quod juridicè ab accusatore probari nequit, non solum posse negare crimen, sed etiam dicere, accusatorem calumniari, & mentiri. Ita Petrus Navar. Lectoremque provocat ad D. Thomam, quamvis illi apertè reclamantem (c): Non licet ei (reo) vel falsitatem dicere, vel veritatem tacere, quam confiteri tenetur: nequè etiam aliquem dolum vel fraudem adhibere, quia fraus, & dolus vim mendacii habent. Et hoc est calumniosè se defendere.

Prosequitur tamen: An si aliò modò te ab injusto teste tueri nequeas, licitè falsa crimina illi possis objicere, quanta sufficiunt ad tuam justam defensionem? Duo assero, unum mihi SATIS PROBABLE, alterum SATIS INCERTUM. Probabile mihi est, te, si id facias, non peccare contra Justitiam, unde nec obligari ad restitutionem. Ita Ban. Ledes. Jo. de la Cruz allatè à De Lugo, &c. Laudatus Banez solum habet (d): Nobis verosimilior est sententia, quæ ait,

ait, quòd PER SE LOQUENDO, SECLUSIS ALIIS CIRCUMSTANTIIS, est solum peccatum VENIALE MENDACII objicere falsum testi iniquo, quandò ejus objectio prodest ad refutandum ejus testimonium. Nobis tamen verosimilior est sententia, quæ ait, unum Banezium, aliosque allegatos Dominicanos, etiam agglomeratos, cæteris contradicentibus, suas non reddere opiniones, suas non reddere opiniones probabiles ad sensum Probabilistarum. At prædicti pars quæsitæ in horum sensu est Tamburino satis probabilis, & ad praxim deduci potest absque timore gravis peccati. Unde subdit: Ratio est, quia sicuti si ad defendendam tuam vitam contra invadentem, mendacii, & stratagematibus curares, ut ille in foveam v. g. caderet, mendax quidem esses, sed non injustus; cum (quoad justitiam) habeas jus te defendendi omnibus viis: ita in casu nostro.

418. Ad alteram quæsitæ partem Tamburinus (a) procedit sic: Incertum mihi est, an id possit fieri licitè SINE ulla culpa. Et quidem De Lugo in sect. 2. n. 25. sic habet: CERTUM EST NON LICERE; QUIA AD MINUS ERIT MENDACIUM, QUOD NUNQUAM LICET. Et post qua-

tuor interjectas lineas: Hoc FALSUM, ait, crimen testis erit probandum per testes alios, qui cum debeant jurare, committent peccatum mortale, & per consequens eos ad hoc hortari ERIT MORTALE. Hac ille, &c. Video doctrinam hanc, inquit Tamburinus. Et reponit, Sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium, & perjurium, sequitur primò: si solum esset mendacium sine juramento, non esse mortale: quia quamvis hoc mendacium sit absolutè de malo gravi contra proximum; tamen, cum justè à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expressè concedunt Hurt. & Ban. apud Dianam.

Secundò, etiam accedente juramento, posset adhiberi ÆQUIVOCATIO TUM A ME, TUM AB IIS, quibus est certa mea innocentia, & sic VITARI PERJURIUM, seu MENDACIUM, quò solo positò negant communiter Doctores, & ipse De Lugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrinæ contrarii. JURAMENTÒ autem ÆQUIVOCO, etiam in judicio, si id illegitimum sit, me licitè posse uti, docet Castrop. cum aliis,

(a) Probl. 13. (b) Lib. 9. in Decal. c. 2. §. 2. n. 1. 2. 4. & 5. (c) 2. 2. q. 69. a. 2. (d) In 2. 2. q. 70. a. 3.

(a) Ibi n. 6. & 7.

aliis, &c. ergo etiam in iudicio, ubi iniustus est testis. Videbitur igitur alicui, posse vitari mortale (ac consequenter veniale) ab eo, qui in prædicto casu, falso vel illegitimo testi falsa crimina pingit.

Postquam perniciosam sententiam hęc pacto expeditam, & alterâ æquivocorum doctrinâ, nec minùs perniciofa, reliquit immunem à peccato etiam veniali, subiungit: *Adbuc tamen incertum id etiam pronuntio. Ut quid enim? si sodomitam oporteret probari esse illum testem, si excommunicatum, si hæreticum? Sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio: sed adbuc hæreo. Quid enim, si sit necesse publicas scripturas ementiri; pset- nè Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quidni? respondebis. Id enim non est infidelem esse Reipublicæ, sed maximè fidelem, dum ejusmodi Reipublicæ innocentes sic defenduntur. Verùm, si aperiatur hujusmodi ostium, quomodò stabunt publica iudicia? Inveniantur, respondebis, testes veri, ut Sancta requirunt Tribuna- lia. Dum enim falsi testes QU- CUMQUE ARTE repelluntur, pu-*

blica iudicia firmantur potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio: quia tamen adbuc durum audio, libenter nodum hunc in aliud tempus evolven- dum reservo.

§. II.

419 **C**ertè quis ex Ca- tholicis non arguet *Tamburinum* de errore, in re morali tam evidenter falsa, Sacris Scripturis & Traditioni apertè improbata, dubitantem, hærentem, illius- que, quas excogitaverat, fundametales objectiones, nullius esse momenti haud declarantem, sed quasi indissolubiles relinquentem silentio? Sed, & quid, si alibi contro- versiam definivisset, atque probabilissimi principiis reflexis tan- dem pronuntiaffet tamquam in praxi tutam, horrendam eam sententiam? Legatur applica- tionem faciens per viam alpha- beti probabilisticorum prin- cipiorum, & invenietur (a) sequens doctrina: *Si adhi- bitâ diligentia dubites, an sit aliqua lex excommunicationem v. g. vel præceptum imponens, de quo Thomas Sanchez lib. 2. de matr. Sà v. DUBIUM, vel*

*an dicta lex ad aliquem casum se extendat, de quo Thomas Sanchez ibidem: vel an sit usu recepta, vel non fuerit promul- gata, &c. NON TENERIS AD IL- LAM. Cujus principii funda- mentum est illud Probabilista- rum commune: Leges dubie non sunt leges, & non obli- gant: Tunc voluntas est in possessione faciendi id, quod sibi plus placet. Hujusmodi ergo doctrinæ vi poterit licitè imponi calumnia vel atrox. Si *Tamburino* itaque incertum est, an detur lex, quæ prohibeat falsi criminis imposi- tionem injusto accusatori, si- ve ad hunc casum se exten- dat, si ve non fuerit sufficien- ter promulgata? certum est juxta canonem probabilista- rum, non ligare, quia tunc possidet libertas. Adeoque in casu proposito, poterunt abs- que ullo peccati, etiam venia- lis scrupulo, delicta imponi horribilia, & atrocia. Huic ratiocinio est quid reponi va- leat?*

420 Verùm quid unum nomino *Tamburinum*? Etiam *Dicastilli* iudicio, *Lugonis*, & communiter *Doctorum*, est sententia satis probabilis, calum- niæ impositionem injusto testi,

nec esse peccatum contra ju- stitiam, nec mortale, ubi non est perjurium. Horum itaque autoritas apud Probabilistas magna cum sit, seu graviss: cohærenter locuturi ad syste- ma, debebunt admittere, ad praxim posse deduci sine ti- more mortalis peccati. Quin juxta alios AA. quos ipse *Tamburinus* laudat, tamquam sibi saltè non contrarios, medio æquivoco, vel menta- li restrictione vitari poterit in prædicto casu peccatum, etiam veniale, atque perjurium, si jurare oportet. Itaque incer- titudo, in qua suam esse do- ctrinam ultro fatetur, virtu- te tamen sui Probabilissimi sit tandè *practica certitudo*, quæ ab omni etiam veniali culpa immunem reddit calumniam. Hinc eadem ratione certam reddit scandalosam doctrinam de falsificandis scripturis pu- blicis. Quam etiam approbat *Moya* (a), cujus hic est Pro- positionis titulus: *Qui scriptu- ram publicam amisit, potest aliam similem falsare. Resolutio au- tem: Falsare non est, nec pec- catum mortale, amissâ scripturâ de hereditate, aut nobilitate, aliam similem efficere; nulli enim fit injuria. Adducitque in confir- ma-*

(a) Lib. 1. de Consc. c. 3. e. V. Leg. & Præcep. 1.

(a) Pag. 111. & 112. Edit. Valent. & Lugdunen.

mationem P. Sz, alioſque. Alteram, quam non improbat, ex Diana recenſet; ac conſequenter admittit ſecundum probabilitatis regulas ſaltem uti probabilem, & eſt ejuſmodi: Nota modo, quòd ſi quis privatam aliquam ſcripturam, aut ſyngraphem, aut apoſtam, quæ conſtaret, ſe certæ quantitatis pecunie mutuo acceptæ ſatiſfecifſe, falſificaret, quia aliam legitimam à Creditore conſectam amiſſiſſet, nec alio modo probare poſſet ſolutionem, non damnarem peccati mortalis: quia falſificationes hæc, privatarum videlicet ſcripturarum, non ſunt ita Reipublicæ pernicioſe, &c.

Porro permiſſum, ut vidimus, prædictis in caſibus homicidium, crimen profecto eſt ſatis enorme valde; ſed humanæ juſtitie timor, zelus, vigilantiaque Magiſtratum, & Judicum ſuper vindictam publicam, impediunt partem, ſaltem maximam, effectuum ſuaveſſimorum, quos Caſuiſticæ permiſſiones derivarent. Non ſic calumnia, non ſic, quæ minoris cum ſit ſtrepitus, atque clamoris, facile abſcondit ſe à ſtudio curam habentium boni communis, Publicique quietis: atque

idcirco legis divinæ freno ſemel ablato, poſt paſſiones humanas (quibus quemadmodum offenſæ facile creduntur injuſtæ, ita & neceſſaria proprii honoris, æſtimationis, cæterorumque deſenſio bonorum) liberum aſſumat curſum, oportet. Quis unquam fuerit, cui proprius non perſuadeat amor, injuſtè ac illegitime accuſari, offendi, deſpici, gravari? Si ergo calumnia tum ne venialem quidem reatum contrahat; nonne totus mundus implebitur mendaciis, atque perjuriis calumniantium, in perniciem humanæ ſocietatis, & ſtatus? Quæ ſingi poſſet opinio magis diabolica, cum res conſormet nomini, exterminans?

421 Juvat tamen problemata audire feſtiva P. Eſcobarii nonnulla (a). I: PECCAT, ET NON PECCAT lethaliter contra juſtitiam, qui ſine legitima cauſa iterum infamat illum, qui publicè criminofus fuerat per Judicis ſententiam, vel per publicum factum, ſed tamen jam erat bonam famam aſſectus, aut illius delicta oblivioni erant tradita. 2. ERIT, & NON ERIT lethale piaculum alienas litteras ſine nocendi animo

ob

ob curioſitatem aperire. 3. Lethale EST, & NON EST ſe ipſum ſine cauſa infamare, ſtando præciſè in propria infamia ratione. 4. LICET, & NON LICET per ſufurrationem alium excludere ab amicitia, quam ipſe tibi ambis in re cum Principe, v. g. narrando tantum aliquos naturales defectus illius, quem intendis excludere.

422 Notandum, ſeſe infamandi licentiam, quæ juxta Eſcobarium eſt, & non eſt mortale peccatum, extendunt RR. etiam quum criminis non perpetrati attributionem conſequi mors deberet. Ita ex Leſio & Filliucio deſinit Buſembaum (a): Non eſt mortale, inquit, ad vitanda gravia tormenta falſum crimen ſibi imponere, ex quo etiam mors ſequatur. Nec talis dicetur ſe interficere, ſed tantum ex juſta cauſa vitam morti exponere. Scandalofa hujusce opinionis laxitate objecta, ejuſdemque, quos ſequitur, laudatis Aſſertoribus, concludit ex Joan. Sanchez Tamburini Vindex (b): Favet hæc opinio multis miſeris, qui alioqui non ſolum corpore, ſed etiam animâ peri-

rent, conſtitendo crimina falſa metu tormentorum.... Quod etiam verum judico, licet falſam ſibi impoſitionem juret. Sententiam oppoſitam dicit P. La-Croix probabilioſorem, ſed quia hoc ipſo probabilem & licitam agnoſcit alteram, adjicit (c): Buſembaum dicit, non videri mortale, ſi quis ut tormenta gravia evitet, ſibi imponat falſum crimen, ob quod morte plebetur; & id præter citatos ab ipſo, reputant PROBABILE Azorius, Valentia, Laymann, Lohb. Burgh. Nec diſſidentur Diana, Lugo, Dicaſtillus, dicentes, præctice teneri poſſe. Dicitque La-Croixius, nè ſuo non conſtet ſystemati.

423 P. Dicaſtillus inquiri (d): An teneatur quis retractare ſuum falſum dictum, quando ex eo inferenda eſt alteri mors, ſeu mutilatio, etiamſi teſti ſe retractanti reſultet ſimile damnum? Exiſtimo, reſpondet, ſi non peccaverit mortaliter dicendo illam falſitatem, non teneri cum tanto ſuo incommodo, cognita veritate, dictum retractare. Innocens ergo ad mortem ducetur, ſicque perdet & famam, & vitam. Subjungit quo-

(a) Loco ſupra cit. n. 18. (b) Germ. doct. Tamb. cap. 16. n. 6. (c) Lib. 4. dub. 7. n. 1523. (d) Lib. ſupra cit. tract. 1. diſp. 8. d. 7. & tract. 2. diſp. 1. d. 1.

(a) In 8. Præcep. Decal. Probl. 9. 17. 20. & 24.

quoque : *Ad nihil tenetur is, qui falsum testimonium dixit ex ignorantia, vel inadvertentia, etiamsi ex illo testimonio contingat aliquem damnari. Lefs. c. 3. d. 1. Hæc sententia in praxi tuta est: sed prior magis videtur consona rationi.* Ergo alteram fateatur, necesse est, magis repugnantem rectæ rationi. Quomodo igitur in praxi tuta est? Quomodo? Probabilismò, qui unus ipsas sententias judicatas rationi contrarias, concedit probabiles, atque licitas.

424 Demùm, famosi *P. Honorati Fabri Apologeticus Theologiæ moralis Societatis*, esse debet in doctrina sana, & valdè probabili, utpote revisus, & laudatus ab ejus sodalibus novem Galliæ præcipuis, quos inter eminent celebris *P. De la Chiafe*, Confessarius *Ludovici XIV.* qui uno omnes contestantur ore: *Omnia in eo reperimus cum sana doctrina, Christianis moribus, & Theologorum placitis consentientia.* *FABRI* tamen introducit *Pinatophilum* dialogistam interrogantem: nùm ad calumniatoris minorandam æstimationem, sibi liceat eum calumniari, præ-

fertim si aliud, præter calumniam, non videat medium ad talem finem efficacius? Et *Antimum* ita respondentem (a): *Scio esse aliquos, qui hoc quidem non licere dicant, sed esse peccatum mendacii, non verò injustitiæ. His tamen conditionibus opinionem istam adstringunt. 1. Ut sit injusta accusatio adversus famam, vitam, rem nostram; sive quia hostis affingit calumniam, sive quia crimen occultum aperit, quod in judicio probare nequit. 2. Ut de re magni momenti agatur. 3. Ut honori, aut fame aliter consuli non possit, quàm eversa fide adversarii, nec fides illius aliò modo infringi. 4. Ut revera hoc modò honoris, ac fame indemnitati consulatur. Ita Diana, Dicastillus, à quibus citantur Bartolus, Felinus, &c. Hurtado de Mendoza, & apud illum Petrus Alciatus, Pasqualigus, qui præter cæteros citat Petigianum, Sà, & aliquos alios. Nonnè hi sufficiunt, ut propter suas doctrinas vita civilis hominum, quæ consistit in bona fama, non minùs quàm naturalis, sit exposita imaginationibus, & apprehensionibus alienis, unde gravissima*

pro-

(a) Dialogo 16. Edition. auctæ Colon. an. 1672. pag. 352. & 353. col. 1. n. 134.

proveniant mala humanæ societati, & Reipublicæ?

Supra prædictos tamen *Canonnes* confert ad Compendium *P. Berruyeris* (a) in moderno Evangelio suo, docens: *Difcursus plùs evidenter calumniosus, & plùs solidè confutati relinquunt semper quamdam impressionem molestam circa innocentiam, & retinent indeterminatam suspicionem, quam nunquam cancellant plenè Apologia fortiores. Iste est modus trahendi in sua vulgum: quisque patientià, & tempore facit eum transire de veneratione ad contemptum, & à confidentia ad odium usque. Non aliud requiritur ad id capescendum, quàm* SCIRE CALUMNIARI CUM DEXTERITATE, AC CUM CONSTANTIA EASDEM REPETERE CALUMNIAS. Ha! Hæc planè ars non est Populi Dei, nec Scientia Sanctorum.

425 Animadvertas in fine, quod prætermisis assertoribus, in quibus leguntur in terminis scandalosissimæ ac execrandæ Propositiones 43. & 44. condemnatæ ab *Innoc. XI.* eas adscribit *P. Viva* (b) *Caramueli*, atque partim, si

non ex toto, *Ledesma*, *Bannezio*, & *Joann. de la Cruz* secundum *Card. De Lugo*, quem laudat. Sed injurià. Tres etenim *Dominicani* illi aliud non docuere, quàm revelationem criminis occulti, sed veri, tunc esse dumtaxat permissam, quum talis revelatio reputatur necessària ad vitandum quodcumque damnum grave, seu proprium, seu innocentis, seu Reipublicæ. Quæ doctrina nihil communicat cum damnata, sed est aliundè vera, & certa, atque ab ipsomet *Viva* excepta. Legantur *Ledesma* (c), & *De la Cruz* (d), quia ipsi testimonium perhibent veritatì. Sufficiat modò audire *Bannezium* (e) ita differentem: *Prima conclusio: Peccatum mortale est ex genere suo, revelare crimen secretum, etiam viro, quantumvis gravi, & taciturno, etiamsi inde nulla sequatur infamia circa alios, neque ali-* quod DETRIMENTUM. *Hæc est expressa sententia D. Thomæ, &c. Secunda conclusio: Præcedens intelligenda est, nisi adsit necessitas ejus, qui narrat crimen occultum, vel ejus, cujus crimen* NARRATUR. *Itaque narratio cri-* mi-

(a) Hist. Populi Dei, part. 2. tom. 3. pag. 238. edit. Ital. (b) In Prop. 43. & 44. *Innoc. XI.* n. 1. (c) In Sum. tract. 8. de Just. comm. ur. (d) 8. Præcep. de peccatis lingua. (e) In 2. 2. q. 73. a. 2.

minis occulti non est intrinsecè mala, sed honestari potest justis de causis. Verb. gr. Si Virgo commisit stuprum in domo Patris: mater verò non potest prospicere suis commodis, & filia, nisi revelet crimen occultum marito, vel consanguineo, vel Con-

fessori; non est peccatum mortale, illud crimen revelare: & sic est intelligendus Cajetanus, &c. Postque id diffusè probat. Qui adeò circumspèctè loquitur, ut satis videatur severus; numquid docuit fortè prædictam doctrinam eam laxam?

QUÆSTIO VIII.

DE LUXURIA.

Ad Propositiones 24. & 40. *Alex. VII.* atque 48. 49. 50. & 51. *Innocentii XI.*

ARTICULUS I.

Parvitas materia.

§ I.

426 **A**Nte omnia P. VAZQUEZ (a): *Dicendum est, inquit, peccata luxurie contra naturam, etiam si magis turpia appareant, & majori nota infamie digna, EX GENERE tamen suo minora esse, quàm peccata furti: quia furtum justitiae, illa autem peccata castitati opponuntur. His convellit D. Thomæ principia, atque doctrinam. Ecce tibi D.*

THOMAS: *Secundùm se quidem, ait (b), attenditur gravitas peccati ex ratione sua speciei, qua consideratur secundùm bonum, cui peccatum opponitur. Fornicatio autem est contra bonum hominis nascituri. Et idè est gravius peccatum secundùm speciem suam peccatis, qua sunt contra bona exteriora, sicut est furtum, & alia hujusmodi. At Vazquez negat, contra bonum hominis nascituri, atque adeò contra justitiam pugnare fornicationem. Nam injuria, inquit, qua dicitur fieri proli, non est propriè injuria contra justitiam; quare fornicatio ab ho-*

mi-

minibus dicitur peccatum CONTRA CASTITATEM TANTUM, furtum autem CONTRA JUSTITIAM: cùmque peccatum eò sit gravius, quò nobiliori virtuti opponitur, idè furtum ex genere suo gravius peccatum erit. Ignoscendus certè Vazquezus, si ullà, sin minùs firma, at saltem probabili ratione inductus fuisset, ut à D. Thomæ disideret: eò magis quòd veterem, & omnium consensu firmatam sententiam relinqueret, & novam complecteretur. Ego verò non video, in hac ratiuncula quidquàm esse rationis.

Nam duo cùm afferat: alterum, nempè, *injuria*, qua dicitur fieri proli, non est propriè injuria contra justitiam, illud ipsum est, de quo disputatur; alterum, videlicet, *fornicatio ab hominibus dicitur peccatum contra castitatem tantum*, etsi verum sit, nullius est ponderis. Imò indignum videtur Theologi gravitate, ob vulgi opinionem iudicium relinquere Theologorum: proptereaque fornicationem cum justitia pugnare inficiari, quòd eam homines vitium appellent contra castitatem; Theologorum namque, non vulgi est, quid cujusque

vicii sit proprium judicare. Et verò D. Thomas, quin vulgi vereatur loquendi modum, tum citato, tum pluribus aliis locis, & præsertim de præceptis Decalogi agens (a) affirmat: *Tria prima præcepta sunt de actibus Religionis, quæ est potissima pars justitiæ. Quartum autem præceptum est de actibus pietatis, quæ est pars justitiæ secunda. Alia vero sex (in quibus illud: non mœcha-beris, numeratur) dantur de actibus justitiæ communiter dictæ, quæ inter aequales attenditur.*

Eò autem deterior est ratio Vazquezii, quòd eam in sceleribus contra naturam perinde, atque in fornicatione valere existimet. Sed etiam si daremus, fornicationem non esse justitiæ contrariam, non esset continuò concedendum, ne peccata quidem contra naturam cum eadem pugnare virtute. Quòd ipsum demonstratur ex D. Thomæ. Is enim, quum statuisset, vitium, quòd est contra naturam, omnium, quæ ad luxuriam pertinent, esse gravissimum, atque sibi primò locò objecisset, hæc scelera absque ullius injuria perpetrari, non item adulte-

Cc

rium,

(a) In 1. 2. D. Thom. tom. 1. q. 73. a. 4. in not. num. 30. (b) 2. 2. q. 154. a. 3.

(a) 2. 2. q. 122. a. 1.

rium, stuprum, & raptum, atque iccirò, hæc illis esse graviora; ita respondet (a) *Sicut ordo rationis recta est ab homine, ita ordo nature est ab ipso Deo. Et ideo in peccatis contra naturam, in quibus ipse ordo nature violatur, fit injuria ipsi Deo ordinatori nature.*

Profectò duo cum sint D. Angelici principia: unum (b), eò vitium gravius esse, quò majori virtuti opponitur; alterum, fornicationem esse justitiæ contrariam (c): *Vazquez uno retento, alterum rejecit; atque ita ex eo, quod retinuit, illa conclusit, quæ cum rejecto apertè repugnant. Hoc, dicet nemo, esse ex principiis D. Thomæ ratiocinari, ex iisque sententias deducere, nisi quisquam eò adigi velit, ut pari modò omnes Hæreticos excuset, quorum perverfas opiniones ex divina Scriptura constat istò modò fuisse conclusas. Docet quidem Angelicus (d), justitiam cæteris virtutibus moralibus antecellere: sed fornicationem, & peccata, quæ sunt contra naturam, solùm cum castitate, non itè cum justitiâ pugna-*

re, non docet.

427 Hinc *Lessius* scribit (e): *Sed difficultas est de osculo, quatenus ipsum per se est actus delectabilis carni, & remotè disponens ad seminationem: utrum si quis hac ratione illò utatur, non intendens ulteriorem voluptatem, quàm quæ præcisè ex ipso osculo nascitur, peccet mortiferè, seposito periculo pollutionis, & ulterioris consensus. Cui quæstioni respondet: Hæc sententia (eorum, qui ejusmodi osculum leve peccatum esse defendunt) videri possit alicui (etiam sibi, & cuilibet de Probabilistarum grege) probabilis, & speculative vera. Unde in eam valdè inclinât *Navarrus*, eamque tenet *Martinus de Magistris*; & aliqui Recentiores.... Verùm communior sententia est, in istis esse peccatum mortiferum. Quæ & mihi probatur (non improbat) altera; tum quia communior; tum quia tutius est, ut omnia ista quàm maximè vitentur. Quasi consilii tantùm essent. Quare cum initio tria argumenta, quibus opposita sententia probari posset, instituto Scholæ sibi proposuisset, in altero solvendo labitur,*

tur, parvitatemque materiæ in hoc genere peccati admittere non dubitat.

Nam cum alterum argumentum esset hujusmodi: *Secundò, in aliis peccatorum generibus dantur non solùm peccata gravia, sed etiam levia ratione parvitatatis materiæ, ut patet in furto, &c.... Cur non etiam in peccatis luxuriæ detur parvum ratione materiæ, quod non sit nisi veniale, etiamsi cum plena deliberatione fiat? Hòc modò respondet: Ad 2. etiam hìc fortè potest dari materia parva, ut si contactus sit adeò levis, & brevis, ut non sit aptus notabilem commotionem excitare. Dicit etiam potest, etsi in contactu non sit materia levis, posse tamen eam dari in visu, & hoc sufficere. Quin, & nihil amplius dicere *Lessium*, aut velle, quàm quod hòc locò docent cæteri hujus sententiæ fautores, liquet ex nostro *Araujo* (a) inquitente: *Consequens tamen (non dari parvitatem materiæ in genere luxuriæ) esse falsum ostendunt contra Cajetanum, & Tabienam in locis citatis, Navarro in Summa cap. 14. Et Sanchez loco citato num. 16. ea ratione**

demonstrativa: quia possunt hujusmodi tactus esse leves, & leviter habiti, etiamsi eorum delectatio per se intendatur ab operante, & aliàs sit turpis, & libidinosa: tamen est modica, & levis materia in genere turpis delectationis; sed in aliis generibus peccatorum mortalium ex objecto, modica, & levis materia excusat actum à culpa mortali: ergo pariter in nostro casu. Recole n. 18.

428 Duo hìc animadvertenda. Primum, rationem, qua utuntur hujus sententiæ fautores, nihil sanè ab ea, qua utitur *Lessius*, discrepare. Deinde, lapsum eodem errore *Thomistam*, ideo quòd *Tabiena*, & *Cajetano Sanchezium*, & *Navarrum* temerè prætulit. Quod sanè mirandum; *Cajetanus* enim doctrinam *D. Thomæ*, & præsertim 2. 2. q. 64. articulum 4. omnium optimè, verissimèque explicavit. Scio, *Sanchezio* visum esse *D. Thomam* lubricè in hoc articulo, vel alibi esse locutum. Sed utinam in hoc genere quæstionis fuisset ipse (b) pari, ac fuit *Angelicus D.* tum modestià orationis, tum castitate, ac severitate doctrinæ.

Cc 2

næ.

(a) 2. 2. q. 154. a. 12. ad 1. (b) 1. 2. q. 73. a. 4. (c) 2. 2. q. 122. a. 1. (d) 1. 2. q. 66. a. 4. (e) Lib. 4. de Just. c. 3. dub. 8. n. 58. & 59.

(a) 1. 2. q. 74. a. 10. dub. ult. (b) Lib. 9. de Matrim. disp. 46. n. 9. item n. 52.

næ. Atque utinam ad eum, ejusque similes Casuistas legendos numquam accessissent aliqui Dominicani: omnino in laxas opiniones non incidissent. Quoniam tamen ultro fateor, errasse quandoque veteres Thomistas, sæpius tamen in errores graviore incidisse video illos, qui sæculò superiore æqualium Casuistarum lectione, plusquam decebat Dominicanum, delectati sunt: Nam *Candidò*, *Serrà*, *Acaciò*, *Araujò*, *Zanardò*, *La-Cruz* non habemus deteriores; tùm nihil in his frequentius occurrit, quàm eorum, qui tunc celebrabantur, Casuistarum nomina, & autoritas.

§. II.

429 **S**imiliter *Escobarii* hæc est sententia (a): *Daturè in rebus veneris parvitas materiæ? minimè. Cum enim nulla sit tam exigua fornicatio, quin sit peccatum mortale; & delectatio sequatur naturam actus, omnis delectatio morosa in hac materia erit peccatum mortale. Benè, & optimè; sed tamen ibidem, &*

alibi (b) pleraque docet huic sententiæ parùm consentanea, ob quæ fortasse affirmatiæ sententiæ fautoribus annumerandum putarunt Salmanticenses (c): alioquin non video, qui scribere potuerint agenti sententiæ adhærere illum, qui negantem tam apertè defendit. Nisi fortè, cum multi fuerint unà cum Caramuele (d) post natum Probabilissimum, qui sententiam de parvitate materiæ in genere luxuriæ vehementer adamarint, suspicari licet, ex eorum numero fuisse Escobarium, cujus Summula plena est monstrofarum opinionum; sed eam postea vel ipsum correxisse; vel, ut ex operibus Thomæ Sanchez, ita ex posterioribus hujus operis Escobarii editionibus, quas Salmanticensis non viderint, aliorum operà esse sublatam, seu retractatam.

430 Dixi, *ibidem, & alibi* favere *Escobarium* sententiæ affirmanti parvitatem materiæ in genere luxuriæ. Cum quia loco citato (e) asserit: *Scio, ex verbis amatoris secuturam pollutionem, vel ex curioso foeminae aspectu, vel ex nimia*

co-

comestione, aut ebrietate. Num sit mortale? Docet Vazquez, non esse, etsi prævisa. Scit mulier, in choreis se ab aliquo tangi intentione prava: peccatè ejusmodi tactus admittendo? Respondeo negativè. Rursus ibi: Circa verba quæserim, an peccet mortaliter, qui foeminam sollicitaret sine intentione executionis ob solam ostentationem amoris, si sciat certò, illam minimè ad assensum allicientem? Peccat planè, quia ad scandalum illam adfert. Quid, si tam effrenata libidinis sit qui sollicitat, tantaque jam infamià circa libidinem labore, ut nullatenus foemina ad scandalum afferenda sit? non delinquet mortaliter.

431 Tum etiam, quia hæc sunt ipsius Problemata (a). Imprimis (b): *Fornicatio simplex, seclusa Dei prohibitione, ex natura sua est, & non est peccatum mortiferum. Simplex fornicatio est, & non est gravius peccatum furto. Publici, & notorii Concubinarii sunt, & non sunt bodie ipso facto de jure suspensi, & fiunt, & non fiunt irregulares, si actum Sacri Ordinis exercent. Concubinatus*

CRIMEN EST, & NON EST, merè Ecclesiasticum. Judices seculares ex officio illud POSSUNT, & NON POSSUNT punire. Clericorum Concubinae POSSUNT, & NON POSSUNT à Judice seculari puniri. POSSUNT, & NON POSSUNT occulte Clericorum Concubinae apud Tribunal seculare accusari, & puniri.

Deinde (c): *Virgo consentit in deflorationem sub cura Parentum existens: tum DATUR, & NON DATUR stuprum. Stuprum COMMITTITUR, & NON COMMITTITUR etiam in Viduam honestam. Deflorator Virginis spontè consentientis TENETUR, & NON TENETUR in conscientia restituere illius parentibus damnum inde eis resultans, supplendo augmentum dotis, quo foemina deflorata indiget. Puella vi deflorata TENETUR, & NON TENETUR defloratorem, equalis qualitatis paratum, acceptare in maritum: Sed POTEST, & NON POTEST dotem postulare. Quando quis fidele foeminae equali nuptias promissit seriò promittenti, haud copula secuta, TENETUR, & NON TENETUR fideles promissor in foro conscientie cum illa conjugium inire. Qui filium suscepit ex adulterio, illumque*

Cc 3

re-

(a) Theol. Mor. tract. 1. exam. 8. c. 3. n. 75. (b) Lib. 33. Theol. Mor. c. 9. n. 66. (c) Tract. 26. c. 3. punct. 4. n. 79. (d) Theol. regul. disp. 69. n. 1052. & seqq. (e) Tract. 1. exam. 8. c. 3. n. 80. & 97.

(a) Lib. 32. sect. 2. de præcep. Decal. 6. & 9. sect. 2. (b) Probl. 1. 2. 3. 6. 7. & 8. (c) Probl. 9. 10. 12. 14. 19. & 24.

reliquit inter filios legitimos mariti adultera, præter alimenta, TENETUR etiam, & NON TENETUR occurrere damno hæreditatis, quæ legitimis hæredibus adimitur, & damno dotis, quam Pater putativus tradidit, credens eam esse propriam filiam. Adultera conjux TENETUR, & NON TENETUR marito pecunias ex adulterio acquisitas restituere.

Rursus (a): Clericus rem habens cum femina in vase præpostero, INCURRIT, & NON INCURRIT pœnas Bullæ (Pii V.). Incurrit planè.... Non incurrit... Existimo, hanc sententiam non solum PROBABLEM, sed præponendam primam: Clericus sodomiticè patiens, INCIDIT, & NON INCIDIT in pœnas Bullæ. Non incidit.... Incidit equidem.... Hanc sententiam crediderim esse VERAM.... Unde vix auderem, primam partem PROBABLEM esse affirmare; nisi eam tot Doctoribus fulciri aspectarem: Clericus crimen sodomiticum semel, bis, aut ter perpetrans, INCURRIT, & NON INCURRIT præfata Bullæ pœnas. Incurrit profectò... Non incurrit, quia in Bulla illa Pontifex pœnas infligit Clericis sodomiam exercentibus; at in jure intelliguntur hi, qui ali-

quid frequenti usu efficiunt.... Ita Azor.... NIMIS RIGIDAM esse primam partem reor; idè teneo secundam. Unde putarim, non sufficere unicum lapsum, nec si bis, aut ter quis tale crimen commiserit, ut Bullæ pœnis subjiciatur. Nec valet, minime in Laicis hujusce criminis frequentiam desiderari, ut capitali pœnæ sint obnoxii. Laicus enim Princeps voluit subjici pœnæ hujus criminis patratorem; Pontifex verò exercitorem suæ pœnæ Clericum subjici decrevit, minime patratorem: Clericus vitium bestialitatis perpetrans, INCURRIT, & NON INCURRIT Bullæ Pii V. pœnas. Incurrit quidem.... Non incurrit. VERIOREM ADMODUM hanc puto esse sententiam: Ut incurrantur pœnæ juris Canonici & Tridentini contra raptos fœminarum, NECESSE EST, ET NECESSE NON EST, ut fiat raptus causâ matrimonii: SUFFICIT, & NON SUFFICIT fieri causa libidinis. Concilii pœnæ solum intelliguntur de raptu causa ineundi matrimonii factò, non causa libidinis: quia.... Hanc sententiam reor esse VERIOREM: nam Decretum hoc pœnale Concilii ponitur in rubrica, & sub titulo DE REFORMATIONE MATRIMONII: solum ergo loquitur de rap-

raptu causâ illius ineundi factò, non causâ libidinis. = Masculus, causâ libidinis masculum rapiens, EST, & NON EST ordinaria legis pœnæ obnoxius. Obnoxius NON EST raptor masculi capitali legis pœnæ. Certè Imperator loquitur expressè de fœminarum, non virorum raptu; & si voluisset in ea masculorum raptum comprehendere, eos equidem nominasset.... Unde magis mihi sententia hæc placet: EST, & NON EST raptus pœnis Concilii, & juris communis obnoxius, si fœmina sui juris consentiat, quamvis raptor impredientibus vim inferat: Si parentibus invitis, & resistentibus, fœmina raptui consentiat, raptor SUBEST, & NON SUBEST Tridentini pœnis.

ARTICULUS II.

Forum.

432 P. Emmanuel Sà dixit (a): Potest & fœmina quæque; & mas, pro turpi corporis usu pretium accipere, & petere; & qui promisit, tenetur solvere. Concinit P. Jacobus Gordonus (b) dicens: Facile est definire, an meretrix licitè retineat prostitutio-

nis sua pretium. Potest quidem moderatum pretium retinere. Jam verò de fornicaria occulta, de conjugata, ac Virgine; idem quoad restitutionem esse dicendum, evincit ratio eadem: sed hoc speciale est in conjugata, quòd debeat illud acceptum pretium numerare inter communia bona, constante matrimonio quaesita, ad quæ scilicet bona suum jus habet maritus, ut dixi q. 3. n. 10. Caterum in his omnibus, sicut abesse fraudem necesse est, ita pono, dantem habere solidum rei datæ dominium. Sequitur Tamburinus, quærens, quantum pro usu corporis, justè exigat mulier? Et sic decernens (c): Ad posteriores autem Quæstiones, quæ hujus pretii taxam inquirebant, communis responsio est: spectatis omnibus, id est, persone nobilitate, pulchritudine, ætate, honestate, &c. esse id decernendum; plus enim meretur honesta, & nemini pervia, quàm omnibus obvia, &c. Verùm ad hanc responsionem, animus qui explicatius aliquid, & magis determinatum, desiderat, non omnino acquiescit.

Distinguunt nonnulli. Vel enim sermo est de meretrice, vel de
Cc 4 fœ-

(a) Ver. Luxuria pag. 249. (b) Tom. I. lib. 5. quæst. 5. cap. 6. n. 3.
(c) In Decal. lib. 7. cap. 5. §. 3. n. 23. 24. & 25.

fœmina honesta. Meretrix (ait de Lugo t. I. de Just. d. 18. sect. 3. n. 47.) non potest jure petere, vel accipere, nisi quantum plus minus solet ipsa eadem à ceteris conquirere; hæc enim est emptio, & venditio inter illam, & amasium; hic dat pretium, illa usum corporis. Cum igitur conditio emptionis & venditionis justa requirat, ut pretium sit illud, quò communiter res venditur, ita erit & hic. Quare si meretrix dolo fingens, se esse honestam, cum tamen talis in communi opinione non sit; vel fingens ab aliis multum accipere, plus notabiliter accipiat, obligabitur excessum restituere; nisi fortè ex circumstantiis colligat, esse liberalem donationem amasii; quam ego tunc adesse præsumerem, quandò is spontè, & non exactus à meretrice, tantam vel tantam mercedem porrigeret. De promissione nimis prodiga, vide quæ dixi, CUM DE JURAMENTO.

At verò fœmina honesta potest petere, & sumere quantum ei placet. Ratio est, quia in his, & similibus rebus, quæ pretio statuto & vulgari carent, tanti res potest vendi, quanti eam æstimat qui vendit: at puella honesta plurimi potest

suam honestatem æstimare. Unde vides, meretricem, de qua n. præc. fuit locutio, potuisse initio suæ prostitutionis plus accipere: at ubi tanto vel tanto pretio honestatem suam æstimavit, huic æstimationi debet stare; secus venderet supra æstimationem. Hæc ex de Lugo. Fateor, hanc distinctionem esse PROBABLEM: Sed quoniam NON IMPROBABILIS est sententia (asserenda infra l. 8. tr. 3. c. 7. §. 4. n. 20. ex Valent. Tolet. Sà, ubi respondebimus argumento allata à de Lugo) dicens, in rebus, quæ non sunt victui, ac vestitui, & his similibus necessaria, quemlibet posse rem suam vendere, quanti sine fraude potest: sic enim conceditur, falconem, canem venaticum, gemmam tanti vendere, quanti quis potest; quia hæc sunt ad delicias, non ad necessitatem. Cur etiam id non sit sentiendum de meretrice, quæ usum actualem sui corporis velit, huic vilius, huic carius, ut ei libet, sine dolo vendere? Addidi (SINE DOLO) nam si mendaciis utatur, & fallaciis, non illa solùm meretrix, verùm etiam quæcumque aliàs honesta, similibus utens, pariter erit injustitiæ rea. Eadem habet Lessius (a).

Quid

(a) Lib. 2. de Just. cap. 14. dub. 8. n. 52.

Quid admiramini; cum ex Sanchezio (a) habeatur, Magum non teneri restituere pretium, si operam suam apposuit, & arte Diaboli res ita evenit? Habeatur item: Petrus solutus potest delectari de concubitu cum Berta, si esset uxor sua: quia hæc delectatio est de objecto licito ratione adjactæ conditionis?

433 Nisi scilicet fucio isto probabilistico fascinatæ mentes essent, audirent sine horrore talem doctrinam possent? Quid? filiæ Christianæ, matronæ Catholicæ splendidissimam Castitatis virtutem ingentiori vendere pretio valent? Quò jure, quâ lege, quò prudentum judicio, turpissimum pretium, & quidem uberius, pendendum est Virginibus puellis, honestisque matronis, si se scortatoribus prostituunt? Unde nam tam lutulenta doctrina? Ex sententia probabilistica, ex novo opinandi modo, improbato ab Alexandro VII. Porro communis sententia defendit cum D. Angelico (b), quantum nempe meretricium non esse restitutioni obnoxium, nisi

fit immoderatus, aut fraude, doloque quæsitus, aut ab illis solutus, qui alienandi jus non habent. Semper tamen S. D. dum de turpi lucro loquitur, exemplum subjicit quæstus meretricii, quin ullibi asserat, ex alio turpi flagitio quæsitum lucrum à restitutionis onere liberum esse, atque nullibi explicat jus, vi cujus hoc lucrum meretricium debeatur, sed solum docet, quòd datio non sit illicita, atque adeò neque acceptio. Unde quod publicis meretricibus jus concedit, consuetudinis, & judiciorum mos, ut quæstum faciant sibi; hoc idem privatis, occultisque meretricibus largiatur, Antiquiores Canonistæ, & Theologi negant: Angelus, Abbas, Arianus, Navarrus, Panormitanus, Medina, Ostiensis, Ricardus, Paludanus, Innocentius, aliique qui communem sententiam appellant hanc, quæ occultas meretrices, & multò magis Virgines, uxoratas, Moniales ad restituendum turpem quæstum, ex flagitioso concubitu acquisitum, astringit. Quippè opus

pec-

(a) Lib. 2. in Decal. cap. 38. n. 96. & cap. 2. n. 31. ac lib. 9. de Matrim. disp. 47. n. 1. (b) 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. q. 32. a. 7. & in 4. sent. dist. 15. q. 2. a. 4. qq. 2.

peccati nihil, nisi pœnam æternam, meretur, nec ullum ei debetur præmium: titulus enim, quo aliquid pro crimine datur, ipso naturæ jure nullus est: ergo dominium non transfert. Præterea, pretium pro actione, quam quis suscipere gratis deberet, datum, restituendum danti est: ergo multò magis restitui pretium debet, quod quis pro actione improba solvit. Postremò, ideò publica scorta reddere turpem quæstum non debent, quòd leges, ob majora vitanda mala ea permittententes, multant Scortatores ad hanc pœnam pecuniariam solvendam. Leges autem istæ nec Virginibus, nec uxoris favent. Nullus ergo titulus adest, quo ejusmodi fœminæ retinere pretium istud valeant, sed à prudenti Confessario adigendæ sunt, ut flagitiosam mercedem continuò in pauperes conferant, per quæ enim quis peccat, per eadem torqueri meritò debet; numquàm verò danti mercedem restituant, quia radix pudicitie vendendæ præcidi primùm omnium debet. Quod possint ejusmodi mulieres hanc mercedem tamquàm donum spontè da-

tum ab eo, qui alienandi sua jure potitur, retinere, ut communior docet sententia, non repugno. At dico, quòd pœna opportuna, nè dicam necessaria, fœminis istis imponenda, est distributio ejusmodi donorum inter pauperes. Privati hòc iniquo pretio debent, nè ansam indè peccandi capiant, & ut pro patrato scelere pœnas luant.

ARTICULUS III.

Segnitias.

434 **P.** Cornelius à Lapide in hæc verba Susannæ apud Danielelem (a): *Si enim hoc egero, mors mihi est, commentatur: In hac vi, & motu infamie, mortisque, poterat Susanna dicere: NON CONSENTIO ACTUI, SED PATIAR, ET TACEBO, NÈ ME INFAMETIS, ET ADIGATIS AD MORTEM, uti dicam v. 23. Quamquàm fortè Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat. Sic enim honestæ, castæque Virgines putant se esse reas, seque consensisse lenonibus, si non clamore, manibus, totisque viribus eis reluctentur, & resistant..... Peccasset Susanna consentiendo,*

☉

(a) Cap. 13. v. 22.

& cooperando, putà commiscendo se senibus, quod ipsi petebant, v. 20. Potuisset tamen in tanto periculo infamie, & mortis NEGATIVÈ SE HABERE, AC PERMITTERE IN SE EORUM LIBIDINEM, modò internò aëiu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset; quia majus bonum est fama & vita, quàm pudicitia: unde hanc pro illa exponere licet. Itaque non tenebatur ipsa exclamare.... Quòd ergo exclamarit, nulloque modo eorum libidinem in se permisit, aëlus fuit insignis, & heroicæ castitatis.

435 Succinunt, P. Joannes Dicastillus (a) quærens: An puella, quæ per vim opprimitur, teneatur clamare, & opem implorare, nè violetur? Cajetan. 2. 2. q. 154. art. 4. putat, TENERI, non obstante infamia, quæ indè sequi posset: SOTUS verò, & NAVARRUS suprà, contrarium docent; idemque significat Sà, suprà. Cùm Cajetano ego sentio, si non sit notabilis infamia, & possit clamoribus se tueri. Si enim notabilis infamia, mors, aut nimia verecundia sequatur non videtur cum tanto suo incommodo teneri impedire peccatum alterius. Ita

Reginaldus, Navarrus, & Sà suprà, qui quando resistendum docet, limitat ut sit sine periculo vitæ, aut fame. Et quidem sicut non tenetur cum morte invasoris, & opprimentis, ut dicemus loco nuper citato DE JUSTITIA: Ita etiam non tenetur eandem pudicitiam tueri cum tanto suo incommodo.

Non est tamen improbabilis sententia Cajetani, tam propter exemplum Susannæ, quæ quamvis videret mortem sibi impendere, & infamiam, adhuc clamare voluit: tam quia videretur aliquis consensus, & voluntarium mixtum in copulam; qui consensus peccatum est. Hæ tamen rationes non convincunt. Prima, vel quia Susannæ exemplum solum fuit insignis pudicitia, & castimonia, ibique fecit ultra quàm absolute obligabatur. Præterea illi non inferebatur adhuc vis absoluta; sed solum injiciebantur mortis & infamie timores, quibus consensum iniqui senes extorquere nitentur. Secunda ratio non probat adeste consensum, sed solum permissionem, dum corpori vis absoluta infertur, quæ non potest removeri, nisi cum mortis, vel infamie periculo. Suppono enim, fœminam nul-

lum

(a) De Just. lib. 1. disp. 3. dub. 17. n. 276. 277. 278. & 279.

lum præbere consensum, nec aliqua ratione cooperari ad turpem congressum; sed merè passivè se habere.

436 Et P. Jacobus Tirinus commentatur quoquè (a): Verùm angustias omnes effugisset Susanna, si vi, & metu infamiae, imò mortis, compulsæ permisset adulteris suam explere libidinem, non consentiendo, vel cooperando, sed permittendo, & negativè se habendo. Neque enim tenebatur ad conservandam castitatem, clamando sese diffamare, & in mortis periculum conjicere; cum integritas corporis minus bonum sit, quàm fama, vel vita.

Et La-Croix ex Busenbaum ait (b): Taberna p. 1. t. 1. c. 3. §. 1. dicit: puellam non peccare, si ob evidens periculum mortis vel ingentis infamiae, non adhibeat omnia omninò media ad depellendum stupratorem, v. g. si hunc, cum posset, non occidat, si non clamet vicinam, sed merè patiatur coitum, tamen secluso omni periculo consensus. Et licet hanc propositionem editis libris teneant AUTHORES PLURES QUAM 50. QUOS REFERT VINDEX TABERNÆ.... tamen non expedit

eam publicè proponere aut defendere; quia apta est causare abusus, præsertim apud rudes. Benè habet. Cur ergo proponitur, & vi Probabilissimi defenditur? si non est defendenda, cur non refellitur? Quid, quòd divina Scriptura conceptis verbis (c), puellam compressam non clamantem lapidibus obruendam, decernit? Deus clamare mulierem, tamquam scutum defendendæ pudicitiae jubet sub mortis poena; isti illam tacere, permisivè, & negativè se habere posse, docent? In quolibet foro exteriori mulier, permisivè & negativè se habens in coitu, præsumitur consentiens: quidni in interiori foro cujus non est alia theologia, & jurisprudentia in similibus casibus? Quid amplius mulier consentiens præstare tenetur viro congreganti, quàm quietum, immotumque corpus? Qui fieri potest, ut mulier certa moraliter sit, se non præbuisse consensum, dum peccato corpore passa est violari? Supercecidit ignis, & vidit solem? aut sine igne erit, quiescens in medio ignis? Hanc castitatem negativam,

vam, & permisivam deridet Martialis, & ipse Ethnicus: *Casta fuit? Non dat, non tamen illa negat.* Dum concumbens ipse nullam in compressa muliere experitur reluctantiam, præsumit non immeritò, illam consentire, atque cooperari in coitum. Tota ferme cooperatio est illa quies, quâ mulier permisivè, & negativè compressionem tolerat. Quid, quòd dum internis suggestionibus animus obfidetur, peccat, circumstantiis præcis, negativè se habens? ergo & dum exteriorius pudicitia corporis expugnatur, rea evadit mulier, nisi pro viribus vim repellat. Cerrè gravissimo dubio subjecta est dati consensus, atque in gravissimo periculo constituta est re ipsa consentiendi.

Quare Ecclesia Gallicana in generali Conventu celebrato anno 1700. adversus opinionem illam hanc tulit censuram: *Hæc propositio temeraria est, scandalosa, castarum aurium offensiva, erronea, & Legi Dei contraria.* An, inquit, vocare mulier debet suæ infamiae testes? Sed quodnam hinc infamiae argumentum? Infamis est, si taceat: honesta

verò, & pudica, si clamet. Quid, si etiam mundanæ, vanæque famæ amittendæ periculum esset? Anteponendane est hominum fama splendidissimæ pudicitiae virtuti? Plurimè faciendus mundi, quàm virtutis, quàm Dei honor? Cæterum fieri nequit, ut foemina, quæ ex castitatis amore forti animo invocat aliorum auxilium, nè thesaurum pudicitiae deperdat, famæ splendorem obscuret.

ARTICULUS IV.

Effusio.

§. I.

437 TAMquam si paternæ auctoritatis detrimentum esset nullum, certum, exploratumque est, ait TAMBURINUS (a), si filii invitis Parentibus ineamt matrimonium cum dignis, & alioqui nullum sequatur incommodum, non peccare lethaliter; imò ne venialiter quidem, si prius modestè à Parentibus facultatem petierint, tametsi nequaquam exoraverint. Quin & adjecit (b): *Difficultas igitur sola superest: an cum indignis pos-*

(a) In Daniel. tom. I. ad v. 22. cap. 13. (b) Lib. 3. part. 1. n. 916. dub. 2. (c) Deuter. 22. v. 24.

(a) Lib. 5. cap. 2. §. 3. n. 2. (b) Ibi n. 5.

possint filii licetè contrahere, Patre, vel Genitrice dissentientibus? Et quidem, ait, licet aliquibus videatur non posse, idque sub mortali: quod certè VALDE PROBABILE est.... Fateor tamen PROBABILE item esse ac TUTUM, quòd possint. Ratio præcipua est modò dicta: filium scilicet omninò liberum esse, nec alicui subijci hac in re.... Et rectè docet Sanchez, adeò filiam liberam esse, ut etiam ante vigesimum quintum annum, nubere valeat, etiam indigno, sine Patris consensu; nè aliàs matrimonii libertas impediatur, deturque puellis ansa occultè delinquendi. Monet (a) tamen: Illud adverte: esse conveniens, ut saltem à Patre consilium petatur.... licet sine obligatione sequendi. Et quamvis Sanch. arbitretur, peccare mortaliter filios, si in matrimoniis eligendis à Parentibus ejusmodi consilium non exposcant; ego tamen, pace tanti viri, huic sententiæ non assentior.... Adde, cum nos, & ipsemet Sanchez, agamus in præsentia de filiis volentibus contrahere cum indignis; si sub mortali obligaremus filios ad Patris consilium exposcendum, illos regulariter conjiceremus in-

periculum rixarum.... Satius ergo scire videtur curare, ut ignoret Pater, quàm ut noscat, & coràm ejus auctoritas despicatur.

Sed ut videas, quò tandem ducit hujusmodi opinandi portentosa luxuries, non defuit, qui ex sententia fodalium suorum Parisiensium (uti ajebat) assereret, uxoratos milites è Gallia vetere in novam Franciam navigantes, nova posse in illis Regionibus contrahere matrimonia, constante priori, ob periculum incontinentiæ. Ita constat ex dubio v. anno 1673. Romanæ Congregationi S. Officii propositis ab Illust. Navarrete & ex responsionibus ab eadem Sacra Congregatione adhibitis (b) die 22. Aprilis 1674. Quis non miretur horrendam Poligamiæ absurditatem, à Catholico Doctore, & Milsinario P. Adriano Grelon, excluso pudore propugnatam? in quam nec vel ipsi Protestantium Hæresiarchæ impingere ausi sunt adeò apertè, ut videre licet apud Illustr. Bossuetium (c).

438 Martinus de Magistris (d) contendit, fornicationem determinati viri cum deter-

minata foemina non esse contra jus naturæ; quod nec certitudo prolis, nec educatio conveniens impediatur. Durandus fatetur (a), fornicationem jure naturali prohiberi; at non tanta severitate, ut dicenda sit peccatum mortale, æterna morte dignum. Hoc tamen asserit de fornicatione non vaga, sed simplici, quæ scilicet habeatur inter duas personas, quæ extra matrimonium, ex pacto mutuo vivere velint cum onere alendi, & educandæ sobolis. Joannes Caramuel, Probabilistarum antesignanus, latius habenas remisit. Imprimis docuit theses 48. & 49. postea damnatas ab Innoc. XI. nullam enim ipse fornicationem, sive vagam, sive certam contendit (b) esse peccatum, solò naturæ jure spectato. Nè omnino à suo Caramuele recedat Tamburinus, subdit (c): Dicendum à nobis est, dari rationem naturalem id (jure naturæ vetitam fornicationem) certò probantem; sed ingenuè fateri nos debere, eam à

priori nondùm clarè esse comperitam. Non vidit D. Angelicum, neque Cajetanum (d). Alibi quoque (e) Caramuel negavit, pollutionem naturâ suâ esse peccatum mortale. Hinc rursus (f): Rogas, inquit, utrum fornicatio, & pollutio, aut quæcumque alia non naturalis carnis commixtio, habita secretè in Ecclesia, sit sacrilegium, & hoc debeat in confessione explicari? Respondeo, ESSE PROBABILE, quòd non. Occultatio tollit scandalum, non aufert profanationem sacri loci.

Præterea hæc habet (g): Possunt famuli tutà conscientia, meretricis, aut pellicis mensæ ministrare, cibos non solum communes, sed & calidos, & provocantes ad venerem condire, & lectum privatum sternere. Consultò non solum cibos communes dixi, quia scio esse majorem difficultatem, si essent tales, qui excitarent venerem. Tunc enim juxta aliquos Theologos deberent famuli à tali servitio desistere, nè in venerem illicitam cooperarentur indiretè. At PRUDENTIORES CREDIMUS, etiam

(a) In. 4. d. 33. q. 11. n. 10. (b) 1. tom. Theol. fund. fund. 12. n. 569. lib. 4. Theol. intent. nn. 1960. & seqq. (c) Lib. 7. cap. 1. §. 2. n. 1. (d) 2. 2. q. 154. a. 2. (e) Theol. Mor. lib. 4. n. 1603. (f) In Regul. disp. 66. n. 1017. Vazquez in 1. 2. D. Thoma q. 72. disp. 98. c. 6. n. 6. (g) In Theol. Præteritent. tom. 4. præcep. 6. q. 8. cas. 2. nn. 2974. 76. 77. & 81.

(a) Ibidem n. 6. (b) Tom. 1. tract. 2. c. 7. pag. 74. & tract. 7. pag. 484. (c) Tom. 2. Hist. Var. Eccl. Prot. lib. 6. (d) Tract. de Temp. quæst. 1.

etiam tales cibos posse sine culpa condiri. Possunt lectum Domino, & Amasia sternere citra culpam venialem, consono Azorio, & Diana. Non esset peccatum mortale domino, & pellici, aliàs rem habituris, aut lectum procurare hospitio, aut parare meliorem solito, aut floribus fulciri. Ratio est, quia aliud est fornicari; aliud majorem in ipsa fornicatione habere delectationem in genere luxuria; aliud, & omninò diversum, habere majorem requiem in genere commoditatis. Sanè hanc ultimam domino etiam fornicaturo procurare, malum non est. Non est peccatum conducere pellicem in domum sui domini; tametsi eam peccaturam prævideas. Quis dixerit, prædictas omnes non esse cooperationes proximiores & deteriores proscriptis ab Innocentio XI. thesi 51. ? De qua omnino videndus Concina (a).

Sed hic, ut perpendatur quid non audeat Probabilitas contra theses damnatas, omittebdæ non sunt, quas eoidit P. Emmanuel à Concep. seu continuator Leandri à SS. Sacram. (b) 1. est: Utrum liceat fa-

mulo, domino ascendere volenti ad rem habendam cum femina, pedem sustinere, aut scalam apponere ad mortem sibi imminentem vitandam? Negabunt forsàn aliqui post DECRETUM SS. P. N. INNOCENTII, Sed PROBABILITUS multò respondeo affirmativè.... Nec obstat, quod ea cooperatio damnetur in 51. propositione memorata Decreti Innocentii, quia in eo Decreto damnatur ea cooperatio, facta ob causas in Propositione ipsa memoratas. 2. An liceat famulo concubinam portare, nè à domino malè tractetur, aut è domo expellatur.... PROBABILITUS respondeo affirmativè.... De casu autem hujus questionis mentionem nullam fecit PROPOSITIO DAMNATA, ac proinde non est propter illam recedendum ab affirmativa sententia. 3. An famulus scribens, vel deferens scripta ad venerem provocantia, ad evadendum mortis, vel gravis nocumenti periculum; peccet mortaliter.... PROBABILITUS respondeo negativè.

439 Quid? P. Thomas Hurtado (c) profert: Valdè probabile est, opinionem affirmantem, oscula & tactus, dummodo

dò non sint in partibus ad generationem destinatis immediatè & proximè, si fiant absque intentione carnali, non esse peccata mortalia, sed ad summum venialia.... Undè colligo, quòd Confessor sollicitans in Confessione ad hujusmodi oscula, & tactus absque intentione prava, non sit denuntiandus vi motus proprii GREGORII XV. & aliorum Summorum Pontificum. P. GEORGIUS GOBAT (a): Quando est dumtaxat solùm probabile, ait, te succubiturum tentationi, certè etiam probabile est, te non succubiturum. Atque sicut in plurimis aliis materiis fas tibi est ex utralibet sententiarum speculativè probabilem deducere conclusionem tibi gratam; ita licebit tibi argumentari: OCCURRUNT mihi graves tentationes, ob quas vir prudens sapienter judicare potest, me lapsurum in novum crimen mortale, si accessero hanc domum. Vice versa sunt aliæ rationes etiam graves, ob quas alius aequè prudens pronuntiaret, me non lapsurum: ergo possum sine nota temeritatis & imprudentiæ, me committere illi occasione, certo non com-

missurus, si liquidò scirem, me in illa admissurum illud grave. PECCATUM. Atque adeò fas est per se loquendo, committere se periculo PROBABILI peccandi mortaliter. Et P. PAULUS LAYMANN (b): Licet Nav. Philiar. Azor. existiment, etiam conjugatum peccare mortaliter, si VOLUNTARIÈ deletetur commotione sensitiva, ac venerea, orta ex conjugis absentis apprehensione, eò quòd talis commotio tunc ordinari non possit ad actum conjugalem, sed potius ordinetur ad pollutionem; opposita tamen sententia, inquit, probabilitate non caret.

§. II.

440 HORUM, aliorumque plurium, quos pratermittendos duxi, benignitatem Probabilistarum expressit P. Torrecilla propositionibus 24. quas deferunt, & denuntiant sæpè laudatè Præsules Hispaniæ (c), quæque resumendæ non sunt, ut eorum tantis per deliniatur dolor silentiò. Sed RR. nonnulla promamus. P. La-Croix (d) recenset PP. Sporerii, Salas, &

(a) Lib. 1. in Decal. differ. 9. cap. 11. à n. 17. & cap. 12. à n. 1. tom. 2. (b) In 10. Decal. præc. par. 4. in ordin. 9. tract. 7. disp. 5. q. 2. 26. & 28. (c) Tom. 1. var. resol. tract. 3. c. 3. resol. 27.

(a) Experiment. Theolog. volum. 1. tract. 7. cas. 16. n. 725. (b) Tom. 1. lib. 1. tract. 3. cap. 6. n. 14. (c) Cit. docum. à pag. 49. ad 55. (d) Lib. 3. p. 1. cap. 2. n. 923. dub. 4.

& aliorum doctrinam, docentium, pollutionem securam ex osculis, tactibus, & aspectibus peractis levitatis vel curiositatis causâ esse dumtaxat venialem; simulque recitat contrariam asserentem, esse mortalem. Ipse verò alterutrius electionem sententiæ relinquit de more arbitrio Lectoris. Quam pyrrhonicam methodum frequenter adhibet novissimus hic probabilista. Quæ sanè methodus in morum Magistro periculi plena est, sicut & prior opinio ab eo recensita. Clamat tamen Sporenius, Difficillimum foret Confessario, statim damnare peccati mortalis juvenes, & procos, passim aliquibus, tactibus, osculis, amplexibus utentes erga puellas honestè amatas, etsi voluptatem aliquam sensibilem capient, dummodò absit periculum consensus in venerea: & longè difficilium foret talibus, si similibus abstinere nollent, denegare absolutionem. Non posse à Confessario negari, docet Gobatus (a). Quid laxius?

441 Neque minùs est hæc P. Vivæ doctrina (b): Distinguenda tamen sunt actiones male leviter influxivæ ad commo-

tionem spirituum & pollutionem, ab actionibus graviter influxivis: nam si leviter sunt influxivæ, ut nonnulli aspectus mulierum, nonnulli tactus, nonnulla Comœdia, & lectiones librorum obscenorum, nonnulla verba amatoria, v. g. dicendo, COR MEUM, ANIMA MEA, ob solam vanitatem, & ad conciliandum vanum amorem, communius docent cum Vazq. Salas, Lesf. Bonac. apud Dian. & Tamburinum, quòd non excedant culpam venialem, quamvis in iis prævideatur etiam POLLUTIO secutura, dummodò absit periculum consensus, aut grave scandalum: contra vero, si tactus, aspectus, verba amatoria, lepores librorum, oscula, & similes actiones de se, & non per accidens, sint graviter ad spirituum commotionem, & ad pollutionem influxivæ, tum in genere luxuriæ non vacant culpa mortali, si desit necessitas URGENS EAS EXERCENDI, ut notat Sanchez, estò absit periculum consensus in pollutionem, quæ prævidetur secutura. Imò communius etiam docent cum Diana, quòd non solum actiones leviter influxivæ in pollutionem, atque adeò in genere luxuriæ le-

ves,

ves, careant culpa mortali, si prævideatur pollutio, & non intendatur, nec subsit periculum consensus; sed etiam actiones mortaliter malæ, sed non in genere luxuriæ, ut sunt crapula, nimius potus, non contrahunt malitiam gravem, spectantem ad luxuriam, si prævideatur ex iis pollutio secutura citra periculum consensus.

Porrò Sanchez, quem hic laudat Viva, recensitâ sententiâ docente, non posse vendi res illas emproi, de quo scitur, cas emere ad abusum, ut si meretrix emere velit ornatum aptum ad scandalizandam juvenem innocentem, resolvit (a): Si hæc limitatio admitenda esset, numquàm fucos, & alia ad ornatum lascivum pertinentia liceret fœminis inhonestis vendere: cum constet, ea emi ad provocandum ad amorem sui turpem. Quare ea (limitatio) non placet. Indeque infert (b): Licere alicui, mutuo dare nummos alteri, aut cubiculum accommodare petenti ad fornicandum, quando absque gravi detrimento proprio proportionato denegare nequit. Verbo: permittit ibi cunctas eas actiones, quæ continentur, & exprimentur in Prop. 51. damnata ab Innoc. XI.

442 Hinc prodiit anno 1743. P. Benzi libellus, quo docetur, vellicare genas, & tangere mamillas Monialium esse actus subimpudicos, de veniales, & solum ex pravo affectu, seu prava intentione fieri mortales. Anno sequenti 1744. proscriptus fuit à Romana Sede die 16. Aprilis. Tactus quippe mamillarum potissimum, naturâ suâ vehementissimè venerem accendit, & in puella, sive moniali, sive laica quæ tangitur, & in tangente viro. At neque idcirco conticuere omnes Benzi partiarum. Quin extricante P. Castellino, edidit P. Faure monita duo adversus Concinam, cui doctrina immunda ea improbata fuerat. Sed & P. Turani adornavit Opuscula quatuor verè aurea, quorum primum inscripsit: Judicium cuiusdam viri Theologiae Professoris, &c. Ubi doctrinam Benzi non posse improbari ait, sine errore in fide, ac perindè quasi eò collimaret editoris mens, ut Dissertatio P. Benzi à latis censuris vindicaretur: Neque id, subdit, vesano consilio factum fuisse putes. Jure merito S. Officii Sacra Congregatio præfatas vindicias prohibuit,

Dd 2

&

(a) Quinar. Tractatum, tract. 5. c. 32. sect. 2. n. 19. & 20. (b) In Prop. 40. Alex. VII. n. 16.

(a) Lib. 1. cap. 7. n. 14. (b) Ibi n. 31.

& in earum Authores animad-
verit. Hujus lubricæ histo-
riolæ synopsis habetur apud
Concinam (a).

§. III.

443 **Q**uis hîc non vi-
der innumera-
bilium turpitu-
dinum, & voluptatum vene-
rearum apertam scaturiginem?
Quapropter ea rescribere vo-
lui, ut Lectores cautos effi-
ciam in ejusmodi Casuistis le-
gendis. Quid exaggeras? re-
ponent. Rescribe quod con-
tinuò additur: *Dummodò ab-
sit periculum consensus, & gra-
ve scandalum, &c.* Næ istud
efficax antidotum! venenum
propinatur, & deîndè addi-
tur dummodò absit pericu-
lum mortis. Næ isti peritissi-
mi medici terrimæ pestis,
quæ nec Regum purpuras ti-
met, nec squalorem asperna-
tur mendicantium! Amasiun-
culi, & amasiunculæ, procæ,
& proci se vocant, *cor meum,*
anima mea, se tangunt, se
verbis amatorii inflammant,
impotentis concupiscentia ar-
dent, libidinem undique ver-
sùm spirant, eisdem præfata
conceduntur: & postea addi-

tur, *dummodò absit periculum
consensus*, actio tantum *per ac-
cidens* sit graviter ad pollutio-
nem influxiva, & adit neces-
sitas urgens eam exercendi?
Quid hoc prodit? nisi appli-
ca stupam igni, dummodò ab-
sit periculum incendii; bibe
venenum, dummodò absit pe-
riculum mortis, sequatur per
accidens, urgeatque necesi-
tas? Et postea ululant, dum
hæc, & innumera alia dere-
standa proponuntur. Quid, si
Michaëlis de Molinos hoc fa-
ctum compararem spurcitiis?
Et tamen silent à suo *P. Ca-
rolo Antonio Casnedi* (b).

444 **I**ste probabilista vidit,
sententias rigidas valdè, à *P.
Francolino* extractas ex libris
Merbesii, *Juvenini*, aliorum-
que, non eum ingerere hor-
rorem adversus *Antiprobabilis-
mum*, qui possit gloriam &
honorem conciliare contrario
extremo *Probabilistico*. Et ut
tandem verè horrendum red-
deret *Antiprobabilisimum*, glo-
riosumque *Probabilisimum*, in-
stituit *Parallelum* inter opi-
niones *Probabilismi* laxas, at-
que strictissimas *Molinoss*, *Baji-
que*. Hic suæ sectionis titulus:
*Innocens Apologia duplici paral-
lelo comprehensa. Confero stri-
cti-*

(a) Tom. 4. lib. 8. diss. 2. cap. 5. (b) Tom. 2. disp. 11. sect. 14. pag. 206.

*Etissimas damnatas cum laxissi-
mis damnatis.* Præmittit: *Ma-
gis in Ecclesia Dei vigilandum
contra nimis strictas, ut dam-
nentur* (quasi hac tempestate
uniuscujusque vita christiani
sit perenne jejunium, sanguina-
ria flagellatio tota die, bel-
lumque crudele contra pro-
prium corpus) *quàm contra
nimis laxas, prætextu libertatis
possidentis disseminatas.* Quæ
utique facilitant eorum inerti-
tà luxuriam, usuras, faustum,
vanitatem, dissolutiones. Exor-
ditur (a): *Modò ut primum
instituiam parallelum, assumo
aliquas ex magis strictis BAJI,
aut MICHAELIS DE MOLINOS
damnatis* (ubi locuti sunt hi
de *Antiprobabilismo*, unde in-
troducantur in hanc scenam?)
& *confero illas cum magis laxis
ab ALEXANDRO VII. & INNOC.
XI. damnatis, comparando utra-
que inter se.*

Porro volens *Casnedi* laxis-
simas *Probabilismi* opiniones
conferre cum strictissimis *Hæ-
reticisimi*, seligere quemcum-
que, præter *Molinorum*, debe-
ret hæreticum, rigorisimum
scilicet *Montanistarum*, *Novat-
ianorum*, *Eustatianorum*, &
similium. At Rigorisimi Au-
thorem *Molinos*? Omnes ejus

68. Propositiones monstrosum
spirant laxissimum. Ipsæ à *P.
Casnedi* recensitæ, sunt enor-
miter laxæ. *En aliqua*, in-
quit, *ex Michaële de Molinos
damnata ab Innocentio XI. OPE-
RARI ACTIVÈ EST DEUM OFFEN-
DERE: quæ opinio supponit le-
gem vetantem homini operari
activè.* PETITE, ET ACCIPIETIS:
*non est dictum pro animabus
justis, quæ nolunt habere VO-
LUNTATEM. Hæc supponit esse
contra status interni perfectio-
nem petere. MELIUS est divina
justitiæ satisfacere, quàm in-
dulgentiam QUÆRERE. Hæc etiam
supponit esse contra animarum
internarum perfectionem lucrari
indulgentias. EXERCITIUM VIR-
TUTUM NON CONVENIT ANIMA-
BUS INTERNIS. Hæc quoque idem
supponit.* Et his omnibus *Rigo-
risimum* docet *Molinos*, hor-
rendus tamen sit *Epicureismus*,
qui tollit leges de mundo uni-
versas, maximè dubias illâ
suâ XI. Propositione: *Ad du-
bia, quæ occurrunt, an rectè
procedatur, necnè, non opus
est reflectere?*

Si hæc *rigorisimus*; & erit
quoque *rigorisimus*, quas con-
tra ponit *Casnedi*, videlicet:
*Homo nullo vitæ suæ tempore
tenetur elicere actum fidei, spei,*

(a) ¶ i num. 551.

Charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.... Faciens confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.... Si liber sit alicujus junioris, debet opinio censeri PROBABILIS, dum non constet, à S. Sede rejectam UT IMPROBABLEM.

Concludit CASNEDUS (a): Hæc dixi, non quia comparare voluerim Adversarios cum Pharisæis, & Hypocritis: absit enim à me tam imprudens stultitia. Qui sunt Adversarii sui? Antiprobabilistæ? nequaquam. Si etenim è regione propositionum damnatarum in utroque systemate, Antiprobabilistarum Catholicorum opiniones reperisset ab Ecclesia damnatas, absque dubio eas produxisset. Quare cum illius recursus sit ad pestilentem fontem Epicurei Gnostici infamis Molinos, ut aliquem Rigorismum damnatum contraponat Laxismo improbat; consequentia est necessaria, ipsum fateri, Antiprobabilismum Theologorum Catholicorum immunem prorsus esse ab omni errore Rigorismi. Si ergo loquitur Casnedi vel de Probabilistis, vel de Vendrochio, vin-

dictam hi fumant de peccato illius. Expecta n. 513.

§. V.

445 **D**Emùm terram caliginem thesif 40. profcriptæ ab Alex. VII. P. Viva imponit (b) Armilla, Soto, Araujo, Favello, Ledesma, & iterùm Soto: quibus iterùm, iterùmque injuriam irrogat, falsis relatoribus Diana, ac Sanchezio fidem præstans. Siquidem, Armilla, præterquàmquòd ejus auctoritas non allegatur à Sanchezio (c), nisi ad probandum, quòd in delectatione venerea detur parvitas materia, nec ad hoc potuit jure allegari: quia loco citato (d) ubi ait: Nec credo quamlibet delectationem modicam, &c. accipi valet, & debet de delectatione, quæ non est cum plena advertentia quæsita, & volita, propter imperfectionem actus; quâ phrasi D. Thomas, atque Theologi explicare solent defectum plenæ deliberationis. Et ita liquet ex præcedentibus Armillæ verbis, quæ hujusmodi sunt: Dicerem tamen, quòd si homo videndo pulchram mulierem, non

so-

solum delectatur de ejus pulchritudine, sed etiam DELIBERAT delectari de illa delectatione libidinosa, quæ ordinatur ad actum de se, licet non intendat actum illum, MORTALITER PECCAT. Similiter, quando in verbis turpibus idem intendit; & in visione rerum pudendarum. Hæc enim omnia excitant motus carnis, & concupiscentiam, ex quibus talis delectatio oritur.

446 Ad Dominicum Soto quod attinet, ejus mentionem certe fecit Sanchezius loco citato à Viva (a). At Sotus loco ipso à Sanchezio laudato, ubi loquitur de conjugibus perpetuâ impotentiâ laborantibus, ita differit (b): Ex quo fit, quòd non possunt lascivè se amplecti, aut impudicè tangere, aut carnaliter osculari; non solum propter periculum pollutionis, &c. verum quia isti tactus, & oscula per se, ut verior habet opinio, sunt mortalia, nisi inter conjuges. Quis his non viderit Sotum absolutè propugnantem, omnes ejusmodi actus esse peccata mortalia? Sed Sanchezius formulæ loquendi probabilistæ assuefactus credidit, omne comparativum supponere necessario debere

positivum, & hinc existimavit, quod Sotus, dicendo esse peccata mortalia, ut verior habet opinio, oppositam ut veram habuerit. Nihilominus ipse Sanchezius numerare saltem non desit Sotum inter propugnatores sanæ doctrinæ, scribens (c): Sotus 4. dist. 34. q. 1. art. 2. ad finem vers. Ex quo fit, &c. Quid verò fecit Viva? contemptâ citatione numeri septimi, prætulit citationem numeri sexti; quin & appositam ibi limitationem desepexit, quâ dixerat Sanchez: Sotus 4. dist. 34. q. 1. art. 2. ad finem, vers. EX QUO FIT, ubi oppositam sententiam appellat VERIOREM, quasi supponens hanc esse PROBABLEM, sed non ita certam ac contrariam. Ut hinc posset Viva de more concludere de Soto, tamquàm de altero ex Theologis illis, qui putarunt, osculum ob solam veneream delectationem habitum, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis, vacare culpâ lethali; quod in præsentî Propositione ab Alexandro VII. meritò damnatur.

447 Insignis verò Magist. Franciscus Araujo, ob maximam eruditionem dictus suo

Dd 4

ævo

(a) Ibi num. 559. (b) In Prop. 40. damnatam ab Alex. VII. nn. 1. & 2. (c) Num. 9. disp. 46. (d) V. Impudicitia. n. 1.

(a) Scilicet lib. 9. de Matr. disp. 46. n. 6. (b) In 4. dist. 34. q. 1. a. 2. circa finem. (c) Ubi supra n. 7.

xvo *Hispania Sol*, numquam ita deliravit: quinimò ex adverso contra tam laxum commentum scripsit. Quamvis enim nominatim insurgat contra *Dianam*, sustinens, quòd in rebus veneris detur parvitas materiæ; loqui tamen de parvitate materiæ secundum se, neutiquam verò ut veneræ, colligitur tamen ex ejsdem doctrina ibidem subjuncta. Docuerat etenim (a): *Oscula oris, & externos tactus manus de se non esse lethalia, imò nec peccata, sed esse indifferentia ad bonum & malum finem: secùs, si fiant ex affectu libidinis.* Quod & docuit *Angelicus* 2. 2. q. 154. a. 4. subinde ait (b): *Delectatio, quæ capitur ex hujusmodi osculis, & tactibus, quando prævisa gratiâ sui queritur, vel accipitur sine alia prava intentione, aut periculo incidendi in lapsum carnis, non est peccatum lethale, sed ad summum veniale.* Ubi sermonem clarè habet, non de delectatione carnali, seu delectatione, quæ sensibilis sit simul & carnalis, vel venerea (de qua damnata propositio asserit) sed de delectatione naturali, & merè sensibili, quæ ex solo con-

tactu, sive proportionem, ac conformitate rei sensibilis cum organo tactus oritur, quæque innocens, & cujuscumque culpæ vacua est, & ex tactu, osculove percipitur. Quare subinfert (c): *Tactus, quibus partes corporis ad conjugalem complexum procreatae contrectantur, sunt omninò illiciti.*

448 *Javellus* quoquè, nec per volam, aut bilum simile quid intolerabili errori scripsit. Atque re ipsa, tametsi negare nolim, sub hac materia esse in *Javello*, sicut & in *Araujo* (juxta dicta num. 427.), qualemcumque expressionem, fortè scriptam majori, quam oportebat, libertate; nullò tamen modò asseri jure valet, damnatam tradidisse sententiam, quam ita improbat sufficienter. Denique de *Ledesma* legatur ipse *Sanchez* laudatus à *Viva*, & hujus vix credes citationem *Ledesmae* post lecturam *Sanchezii*, quem absdubio legit *Viva*. Imprimis *Sanchez* num. 6. ubi recenset Assertores laxæ opinionis obscænæ, *Ledesmam* ne nominat quidem. Deinde num. 7. ubi firmant contrariam sententiam, à principio scri-

scribens: *Tamquam verissima sententia tenenda est, amplexus, & oscula habita inter virum, & foeminam omninò solutos, &c. propter solam delectationem sensibilem in appetitu sensitivo surgentem, &c. esse lethalia peccata;* postquam eam bonis evicit momentis, Authores allegat illam propugnantes, quos inter post *Angelicum D.* laudat etiam *Ledesmam* his conceptis verbis: *Bartholomeus à Ledesma dub. 28. de Matrim. & dub. 12. de Pœnit. in interrog. circa 6. præceptum.* Certè caligaverunt oculi *Vivæ*; nè quid amplius dicam; nè credas ei, vel cum suos citat.

449 Quid? Et *Sanchez* ipse, exposita scandalosa sententiâ cum suis fundamentis, subdit: *Atque idè hujus sententiæ sunt... Umberto in exposit. regula D. Augustini... Javellus... Sotus... Ejsdem sententiæ videntur D. Antoninus 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 10. notab. 1. dicens: tactus, cum fuerint ex libidine, & amore carnalis luxuria, esse mortales. Et Nider in sua Summa præcep. 6. cap. 2. ad finem vers. SECUNDO PRINCIPALITER, dicens esse lethales, cum sunt libidinosi, & ea intentione, ut in se, vel in mu-*

liere excitetur concupiscentia... *Viguerius lib. Instit. cap. 7. §. 5. vers. 7. ad finem, dicens, esse mortalia ob intentionem corruptam, sicut & aspectus. Quis credidit auditui nostro? Ipse Sanchez in eadem pagina num. 7. qui sequitur immediatè, firmat sanam opinionem damnatæ contrariam, atque inter ejus defensores collocat: Nider Summa præcep. 9. cap. 4. duplici pag. ante finem vers. 4. ETIAM HIC PROHIBETUR... D. Antoninus dicens cum Ulderico, contrarium esse hereticum. Et ecce Sanchezius insufflans calidum simul & frigidum, exhibet in eademmet pagina S. Antoninum, & *Niderum* tamquam duarum inter se contrariarum assertores sententiarum, quarum altera laxa est, & jam damnata, sana & catholica altera. Nonnè affectat *Sanchez* verum Pyrronismum? Sed quia Scriptores hi justificantur in sermonibus posterioribus ipsius *Sanchezii*, oleum & operam perdere videret, morosâ demonstratione citationis sinistrae prioris sermonis *Sancheziani*.*

450 Porrò *S. Antoninus*, à *Sanchezio* (a) citatus, post laudatum regulæ locum illum,

non

(a) Tom. I. in 1. 2. D. Thomæ pag. 368. col. 2. (b) Ibi pag. 388. col. 2. (c) Ibidem pag. 389. col. 2.

(a) Num. 6.

non solo tactu, & affectu, &c. subdit: Sciendum, quod non solum commixtio venerea, sed etiam aspectus, tactus, locutio, missio litterarum, vel munus, conversatio, accessus, affectus ad mulieres, vel viros, quum fuerit ex libidine, & amore carnali luxuriæ: OMNIA SUNT MORTALIA, & quodlibet eorundem per se, si diversis temporibus fiant, & dicitur sacrilegium, &c. & communiter Prælati in religione eorum solent sibi reservare absolutionem, &c. Et nihil aliud habet illud notabile, citatum à Sanchezio. Est hic vestigium ullum, ob quod S. Antoninus numerari valeat in laxorum serie?

451 Præterea, B. Umbertus, cum loco laudato in expos. reg. S. Augustini, tum libro de votis Relig. cap. 31. asserit, ac strenue demonstrat, tactus ex carnali complacentia habitos nunquam posse lethali culpâ carere. Locus prior Umberti ita laudatur à S. Antonino citato: Nota secundum UMBERTUM in expos. Regula, quod cogitatio de muliere in se non est peccatum: delectatio autem in hujusmodi cogitatione potest esse mortale, & veniale secundum diversas circumstantias. Appetitus vero mulieris semper est

mortale: quod intelligitur de appetitu rationabili, id est, secundum determinationem rationis, & libidinoso.... Hoc autem patet ex verbis ipsius Augustini in Regula dicentis: APPETERE, scilicet FORMINAS, VEL AB EIS APPETIVERE, CRIMINOSUM EST: crimen autem hic importat mortale secundum UMBERTUM, prout sumitur à Gratiano dist. 25. §. alias. Videant ergo qui habent devotas in Monasteriis, & multum delectantur carnis ardore, propter quod eas, si sæpe possunt, visitant, quot mortalia committant, etiamsi non adderent alias turpitudines verborum, & actuum. Qui sic caute, ac veraciter procedit, eò longius abest à proscrip-ta sententia, quò ab inferis terra.

452 Similiter Viguerius ipso in loco à Sanchez citato habet: Tactus, & oscula, & amplexus, quamvis ex genere suo non sint peccata mortalia, vel venialia; possunt enim absque libidine fieri secundum consuetudinem Patriæ, vel propter necessitatem, aut aliam causam rationalem. Si tamen deliberatè fiant, propter intentionem corruptam sunt peccata mortalia, sicut & aspectus.... Non solum enim consensus in actum peccati mortalis est peccatum

mor-

mortale, sed etiam in delectationem, ut dictum est, cum de consensu ageretur. Unde D. Cyprianus ad Pompejum dicit: CERTÈ IPSE CONCUBITUS, IPSE AMPLEXUS, IPSA CONFABULATIO, OSCU-

LATIO, &c. QUANTUM DEDECORIS, ET CRIMINI SINT, CONFITENTUR. Profectò nihil damnationis est in his, falsitatisque bene multum in citationibus ejusmodi.

QUÆSTIO IX.

DE FURTO, ET RESTITUTIONE.

Sonus validus est Propositionum 42. Alexandri VII. & 36. 37. 38. 39. 40. 41. atque 42. Innocentii XI.

ARTICULUS I.

Urgens in rebus egestas.

§. I.

453 **P**aternâ curâ Deus res etiam externas septimò Decalogi præceptò tueri dignatur, expressè vetans, nè rem alienam, invitò Domino, clam auferamus; implicite verò, nè rem alterius quoquò modo injustè vendicemus, & nè quovis modò damnum in temporalibus, vi, fraude, clam, vel apertè inferamus. Interdicitur itaque omnis injuria, quæ proximo in rebus externis infertur; & mandatur, ut cum

omnibus justè vivamus, quòd suum est cuique tribuendo, atque charitatem christianam, prout proximi necessitas exigit, & facultates nostræ ferent, exercendo. Pugiles ejusmodi observantiæ constituit Reges, & Magistratus; quí justa decernunt, subditorumque conscientias adstringunt fortiter ac suaviter, ut propterea D. Angelicus dixerit (a): Qui furtim accipit rem suam, apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet.... Sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat sue rei judicium, juris ordine prætermisso. Nihilofaciùs rem etiam alienam furtim accipi-

pos-

(A) 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3.

posse, sibi blanditur Probabilitas. Vi hujus licitum reddi furari, non dicam. At ejus virtute tot inter Moralistas sententiæ aut judicantur, aut redduntur probabiles, ut præceptum non faciendi furtum, si haud de medio tollunt, corrumpunt tamen multum. Plures in hac materia theses damnavit Ecclesia; sed parvulâ quacumque variatione adhuc consistunt post damnationem. Statim adest exemplum in Prop. 36. Innoc.

454 P. Lessius dixit (a): Probabile est, non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculum surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas. Hinc fidelis ejus Discipulus Escobar (b): Dixisti, ait, in gravi necessitate non licere aliena occultè furari; nùm PROBABILIS contraria sententia? Ex doctrina Lessii PROBABLEM existimo: quia sicut dives in gravi necessitate tenetur dare, ita pauper potest accipere absque injuria. Quin & Tamburinus decretoriè pronuntiat (c): Certum mihi est 2. idem esse dicendum in valdè gravi necessi-

tate, quod in extrema. Ita idem (Castropalus), Lessius, Vazquez, aliique, quos refert De Lugo contra Turr. Azor. Cajet. ab eodem relatos, Dicastillus alios citans. Ratio est: quia pari modo naturæ inditum est, ut gravem necessitatem, quæ facile vergit ad extremam, à se quisque, quoquò modo potest, avertat. Rursus (d): Certum est tertio: Sicuti potest indigens, in prædictis casibus pro se surripere; sic etiam alium pro ipso surripere in iisdem casibus posse, si is alius non habeat, unde possit de suis indigentem sublevare. Ratio est, quia tunc is surripit nomine indigentis, & ut ejus instrumentum. Porrò quid frequentius, quàm necessitates, quas homines patiuntur, graves & graviores apprehendere, ac dicere? Si omnibus in casibus istis licita fit acceptio rei alienæ, furtis plenus fit mundus, necessarium erit: Quæ mala cavet Ecclesia præfatam doctrinam norans censurâ. Verùm quid posterioribus profuit Casuistis, cum in fumum abire jubent proscriptionem additamentò termini unius, re ipsa non immutantis thesim damnatam?

Quip-

(a) Lib. 2. de Just. c. 12. n. 71. (b) Tract. 1. ex. 9. c. 4. (c) Lib. 8. tract. 2. c. 6. §. 1. n. 2. (d) Ibi n. 4.

455 Quippe P. Viva eam ad Theologicam trutinam revocet juxta pondus Sanctuarii, ut dicit, dum scribit (a): Quòd furtum in eo sensu, quo permittitur in extrema necessitate, permittitur etiam censerit debeat in necessitate gravi, videntur docuisse apud Dianam plures, & graves DD. quos inter nonnulli recenset Lessium, Koning, Vazquez, Bonacinam, Sà, Sylv. Navar. Verùm si attentè advertatur, Less. Con. Tamb. & alii communiùs cum ipso Diana docent, id esse licitum, non in gravi quacumque necessitate (quod in hac thesi damnatur) sed in necessitate valdè gravi (quâ vocalâ, ut vidimus, usus est à principio Tamburinus, in progressu tamen illius mentionem non fecit) quæ scilicet equiparatur extreme. Quasi Ecclesia damnasset sententiam, quam ipse commentiri voluit, quæque in nullo existebat Authore. Unde ut ad sui commenti, non ad pondus Sanctuarii eam revocaret, subdit: Cum enim vita miserrima sit ipsâ morte deterior, juxta illud Ecclesiast. 30. MELIOR EST MORS, QUAM VITA AMARA, idcirco sicut ad declinandam mortem IN

EXTREMA NECESSITATE permittitur est furari; ita ex istorum DD: sententia permittitur videtur furari, AD DECLINANDAM HANC VITAM miserrimam morte ipsa pejorem, IN NECESSITATE HAC VALDE GRAVI: Quod in hac thesi non proscribitur. Non ergo cavetur furorum frequentia; quandoquidè ferè omnes, quí in gravi paupertate sunt (& sunt innumerabiles) facile suam vitam existimant morte pejorem, quam crebrò subjungunt appetere quandoquè, ac desiderare finaliter, ut requiescant à laboribus suis. Quasi avis avolavit patientia christiana.

456 Similiter P. La-Croix vanam reddere conatur, & inutilem præfatam damnationem termino altero, nimirum (b): Si necessitas GRAVIS sit URGENS, rectè docent Lugo, Lessius, Haun. Sporer, Cardenas, Privato esse licitum surripere necessaria ad illam sublevandam... Hanc sententiam dicit esse CERTAM Tamburinus. Porrò quæ sit necessitas gravis ipse declaravit his conceptis verbis (c): Necessitas gravis universaliter dicitur, quando quis ex defectu rerum necessariorum est in periculo incidendi

(a) In Prop. 36. Innoc. n. 2. (b) Lib. 3. p. 1. n. 957. (c) Lib. 2. n. 196.

di in miseriam MAGNAM, quæ reddat vitam notabiliter molestam, uti esset ille, qui è statu commodo delapsus cogereetur vitæ solo pane, & oleribus: qui ita esset nudus, ut vel illi inde esset ignominia magna, vel præ frigore impenderet periculum gravis morbi: cui spectatâ valetudine, ac viribus, esset nimis molestum semper super pavimento, aut tabula dormire: qui diuturno tempore detinetur in carcere nimis molesto. Casus isti frequentissimi sunt; atque recensitas necessitates graves quisque sibi habet urgentes, & vel urgentissimas: furta igitur permittantur identidem, oportebit.

457 *Quin, Viva* pergit (d): *Bañez* 2. 2. q. 32. art. 7. dub. ult. putat, esse in extrema necessitate etiam illum, cui ratione sui status esset gravissimum dedecus mendicare, nec aliundè haberet alimenta. *Bañez* nihil ibi decernit, sed tantum refert: *Non desunt opinantes, posse eum clanculum accipere, ubicumque invenerit.* Et hinc excitat alterum dubium hoc: *An licitum sit (in extrema necessitate) per vim arripere ab alio sibi necessaria? Quod est à præcedenti diversum.* Ejus ni-

hilominus auctoritate commentitiâ, opinantium illorum laxam sententiam *Viva* complexus est, subdens: *Quod videtur admittendum, si mendicare esset illi moraliter impossibile.* Quæ moralis impossibilitas est tantum erubescencia. Doctrina hæc videtur mihi limites extendere necessitatis extremæ, atque ut proposita, & propugnata à *P. Viva* ob hanc, quam subjungit, rationem: *Sæpè enim Nobilis morti potius se objiciet, quàm huic ignominia; si non damnata est, damnabilem saltem esse.* Nam gravis reus culpæ foret Nobilis is citra dubium, qui sustinere mortem eligeret potius, quàm mendicandi ruborem ob victuâ necessaria: quemadmodum culpæ gravis reus quoque esset ille, qui mori potius vellet, quàm tribulationibus, & laboribus, etsi gravissimis, qui obviant sibi in hac lachrymarum valle, subjici.

§. II.

458 **H**inc *Tamburinus:* *Furatus es, inquit (b), decem aureos nudius tertius, utique cum peccato: verum hodie existens* IN GRAVI NE-

CES-

CESSITATE, puta in gravi morbo, sine ulla spe habendi pecuniam (hæc necessitas nonne est valde gravis urgensque?) illos ad vitam conservandam expendis; obligaverisne ei ad meliorem fortunam rediens ad restitutionem? Respondet, *Non est IMPROBABILIS sententia, te nunc liberans ab omni restitutione.* Hujusce opinionis non improbabilis laxitas plusquam evidens est: cum, quia liberat ab omni restitutione potentem restituere; tum, quia docet, titulum gravis necessitatis sufficere ad deobligandum. Concinit *Filliucius (a)* dicens: *Licet verisimile sit, eos, qui non habent necessaria ad congruam sustentationem, non obligari ad solvendas decimas cum tanto rigore, ut ex antiquo Canonista moderatur hanc obligationem Suarez loco cit. n. 16. & 17. tamen si postea ad pinguiorem fortunam venerit, PROBABILE EST, teneri ad eas integras restituendas.* Quippè non magni refert, utrò modò quæstioni Probabilista respondeat, apud quem si probabile est, eum, qui cum pauper esset, decimas non solvit, divitem effectum integras solvere debere,

illud etiam probabile erit, non debere.

459 Et famosus *Escobar (b)* habet: *Omnia rerum minimarum furta, etiamsi NOTABILEM constituent quantitatem, SUNT, & NON SUNT mortalia: OBLIGANT, & NON OBLIGANT ad restitutionem sub mortali.* Et: *PECCANT, & NON PECCANT MORTALITER, qui rem parvam furantur, quam sciunt magni à Domino pendere, ob idque magno angore afficiendum.* Mementote Prop. 38. damnatæ. *P. Sâ (c)* doctrinam addit istas: 1. *Qui damnum nullum dedit, rem alienam accipiens, quia eâ Dominus non utebatur; non tenetur restituere, si nulli est Domino usui futura.* 2. *Si accepisti quod dubitas, AN TUUM ESSET, debere te restituere quidam ajunt; alii negant, quia in dubio melior est conditio possidentis.* 3. quæ est *Lesii (d)* subjungentis: *Maximè quoad ea bona, quæ post cessionem acquirunt (deficiens commercio) de quibus iis, qui debitor est etiam ex delicto, potest retinere quantum necessarium est, ut pro sua conditione non indecorè vivat. Petes, an leges id permittant de bonis, quæ tempore instantis cessionis ha-*

(a) Tract. 27. 2. p.c.8. n.166. (b) Lib.24.de 7.præcep.Decal.sect.2. c.8. Probl.8. & 2. (c) Ver. Furtum. (d) Lib.2. de Just.c.16. n.45.

(a) In Prop.36.dam.ab Innoc.XI.n.3. (b) Lib.8.in Decal.c.6. §.2.n.3.

habebat? Ita videtur colligi ex D. L. QUI BONIS. Et ego, subdit ESCOBAR (a), plus dico: tutâ conscientia id fieri potest, licet debita, pro quibus sit cessio bonorum, contracta sint ex iniustitia, & delictio notoria: quamvis tunc tantum retineri non possit, quantum aliâs. Admodum liberaliter concedunt Casuistæ licentias accipiendi res alienas, sive furandi; ab hoc tamen termino abstinent ordinariè, quia malè audit.

460 Pergit adhuc ESCOBAR (b) Potest etiam uxor (invito viro) ludere, & pecuniam accipere ad ludendum, dandumque pauperibus, intra limitem, & decentiam statûs. Filiusfamilias serviens Patri, POTEST, & NON POTEST clam accipere, quantum pro eo servitio extraneo cuidam esset impendendum. Adprobat etiam (c) illud Lessii (d): Adverte, furta esculentorum, & poculentorum, que committuntur à famulis, & ancillis, ETIAMSI SENSIM PERVENIANT AD NOTABLEM QUANTITATEM, non esse peccata mortalia, si furentur ea, ut ipsimet consumant. P. Laymann post-

quam binas recensuit sententias, unam DD. inter communem, nimirum, res inventas fore restituendas Domino, & in hujus defectu erogandas pauperibus; alteram, quæ docet, retineri posse, Domino non comparante, concludit (e): Inter has duas opiniones prior magis pia, & tutior est; attamen posterior quoque probabilis. Sicque bonus Probabilista istam tenere poterit absque peccati scrupulo. Idem LAYMANNUS (f): Aliquis ludendo, inquit, falsis aleis pecunias lucratus est, earumque partem aliquam socio suo donavit, QUAMVIS SCIENTI, tamen non cooperanti ad fraudem committendam; rectè dici potest, socium ad nullam restitutionem obligari, si lusor ille pecunias LUDO INIQUO acceptas cum propriis miscuerit. Citatus Lessius ex Navarra, Molina, & aliis adjicit (g): Si non inducis illum ad donandum, vel ad alienandum, sed ipse spontè tibi donat, vel vendit, aut emit, non teneris ad restitutionem in foro conscientia, etiamsi scias, ipsum per hoc fieri impotentem ad solvendum.

Sed

(a) Tract. 3. ex. 2. n. 163. (b) Tract. 1. ex. 9. c. 3. & Theol. Mor. lib. 24. sect. 2. c. 10. tract. 16. (c) Tract. 1. ex. 9. n. 25. (d) De Just. lib. 2. c. 12. disp. 8. n. 48. (e) Lib. 3. de Just. tract. 1. c. 5. n. 24. (f) Ibi tract. 4. c. 17. §. 3. (g) Ubi supra c. 20. dub. 19. n. 168.

Sed & P. AMICUS (a): Inferitur, inquit, posse venditorem qui vinum, vel triticum venale habet optimum, tantum AQUÆ in vino, & siliginis in tritico miscere, quantum satis est ad reducendum vinum, vel triticum ad eam qualitatem, cujus est aliud vinum, vel triticum, quod eodem pretio venditur. Et quidem. de vino P. Escobar (b) allerit: Lessius posse dilui affirmat; quia nulla injuria infertur emptori. Quin Vazquez apud Castropalaum (c), & post eum Escobar, decernunt: Potest ei, qui paratus est furari à paupere, persuaderi, ut furetur à divite tali determinato.

461 Hæ sanè Propositiones, damnatâ 39. contineri videntur; adjiciam tamen mensuram scandali implentes. Si enim roges, quid dicendum de Judice, qui, ad trutinam revocatis rationibus, super possessionem ejusdem fundi allegatis à binis litigantibus, ab ipsoque æqualibus re ipsa judicatis, copiam exigeret pecuniarum, ad proferendam sententiam alterutri favorabilem parti: poteritne is acceptam retinere tuto? Non posse, quisque respondebit, ductus

simplici & puro rationis lumine; secus, tantum is, qui sinatur regulari à speculationibus probabilisticis, subtilibusque. Quippe Lessius assignat: præ cæteris, hanc affirmantis responsionis solidissimam rationem (d): Si aliquid accipiat (Judex) ut hanc potius, quam illam in judicando sequatur, videtur non peccare.... quia non tenetur ad alteram determinatè, sed liberum ei est sequi quam maluerit: ergo si aliquid accipiat, ut hanc sequatur potius, quam illam, non facit ulli injuriam. Consequentia patet: quia cum res non est debita, non est contra justitiam, si solum jus nature speciemus, exigere pro ea pretium, si alioquin pretio sit aestimabilis. Tertio, quia non accipit pretium pro justitia sententiæ, sed quia in hac causa hanc opinionem præfert isti: ad quod nullo modo tenebatur. Hoc autem est pretio aestimabile, tum quia utilissimum parti, tum quia sequendo hanc opinionem, omittit favorem alterius partis, cui potuisset gratificari. En decisionem Authoris, cujus non est a trecentis annis inter Theologos doctrina verior, & securior. Recole n. 166. & seqq.

Ee

Si

(a) De Just. disp. 21. sect. 6. (b) Tract. 6. ex. 6. n. 70. (c) Tom. 1. tract. 6. dub. 6. (d) Lib. 2. c. 14. dub. 9. n. 68.

462 Si verò quæras iterum: Quid de duobus litigantibus, quorum singuli eidem Judici munera offerunt: alter, ut sententiam proferat in sui favorem, pro quo est ratio, & justam ille reputat; alter verò, ut pro se stet, cujus aut non est ratio, aut injustam arbitratur? Judex poterit ab utraque parte accipere? Quilibet quoque respondebit, nullum recipere munus posse ob prolationem sententiæ seu justæ, seu injustæ; & collatione autem facta, multo minùs pro sententia injusta, quàm pro justa; tenerique acceptum non retinere. Non sic Casuista, non sic: sed asserunt, nihil prorsus accipere Judicem posse pro sententia justa; secùs pro injusta, id est, pronuntiando in ejus favorem, quem malam causam habere putat, cujus propterea denarium requiescere in sinu suo valet cum plena conscientia securitate. Atque præfatæ doctrinæ assertores sunt *Classici*, & *omni exceptione majores*. Et hi omnes, testimonio *P. Fabri* (a) probati, *PP. Lessius, Turrianus, Azorius, Tamburinus, Dicastillus, Laymannus, Busenbaum* sunt. Ecce primatem eo-

rum, suum adverfarium *Augustinum* de more interpretantem, *Lessium*, inquam, cujus hæc sunt verba (b).

Dices: *D. Augustinus epist. 54. ad Maced. ait: SCELERATIUS ACCIPI PECUNIAM PRO SENTENTIA INJUSTA, QUÀM PRO JUSTA, PRO TESTIMONIO FALSO, QUÀM PRO TESTIMONIO VERO; atqui pecunia accepta pro sententia est restituenda: ergo & pro sententia injusta. Ita Sotus. Resp. nego consequentiam. Non enim, quia aliquid est SCELERATIUS, ideò magis, vel æque obligat ad restitutionem. Hæc enim obligatio non sequitur magnitudinem sceleris, sed damnum per injuriam datum. At qui accipit PRO SENTENTIA INJUSTA, nullam infert injuriam danti, sicuti is, qui pro justa. Porro illud est SCELERATIUS, quàm hoc: tum quia priùs est ferre sententiam injustam (ad quam ferendam jam habet animum, qui pecuniam accipit) propter injuriam, quæ fit alteri parti, quàm accipere pecuniam pro sententia justa ferenda: tum, quia (ut ibidem Aug. ait) SCELERATIUS datur pro injusta, quàm pro justa, quamvis detur voluntariè, & libenter. Loquitur enim de sententia ferenda. Adde, ibidem*

dem Augustinum significare, pecuniam istam, etsi sceleratius acceptam, non esse, opere impleto, restituendam, dum dicit datam à volentibus; volenti enim non fit injuria: Secùs, si data sit pro sententia justa; quia censetur data coactè, metu sententiæ injustæ. Perbelle! Cùm tamen DD. optimi velint, pecuniam ab iniquo Judice acceptam, restitui non debere danti, sed in eos, quos leges præscribunt, usus expendi.

463 Eodem principio instructus *Lessius* deduxerat priùs restitutionis pretii peccati discrimen Meretricem inter, atque Matronam, filiamve, ut putabatur, honestam: *Quod hac ratione ait, est acceptum, non est restituendum, nisi fortè quis communem estimationem excesserit; ut si meretrix, quæ usuram sui concedere solet uno aureo, ab aliquo juvene extorsit quinquaginta tamquàm pretium. Hoc tamen locum non habet in ea, quæ putatur honesta: ut si Matrona aliqua, vel filia centum aureos pro usura corporis accipiat ab eo, qui dare poterat, retinere potest; nam tanti, & pluris potest suam pudicitiam estimare. Recole à*

n. 432. Idem judicium profert *Escobarius* de pecunia accepta propter patrandum sycariatum, peccatum nefandum. & id genus operationes infames.

464 Quid tandem dicendum de Astrologo five Mago; tenebiturnè pecuniam restituere, divinationis, qua eludit gentes, professione acquisitam! Continuo te affirmantem audio. Nonnè verum? Cæterum *Princeps Theologorum moralium, lumen splendidissimum moralis theologiæ, judicium tuum, ubi distinctione opus est, præceptum* dicet, ut inuimus n. 432. in fine. *Si nullam, te alloquitur THOMAS SANCHEZ (a) operam apposuit, ut arte Diaboli id sciret Astrologus ille, quod nullo alio pacto sciri potuit; sive eventus evenerit, sive non, tenetur pretium restituere danti.... Si vero Astrologus ille, vel divinator operam suam apposuit, & arte Diaboli res ita evenit, non tenetur pretium restituere: quia ipse suam operam, etsi turpem, apposuit, & acceptum pro opere turpi non est obnoxium restitutioni, juxta VERIOREM sententiam. Atque hæc omnia docet Navarra, Manuel, Salas, &c.*

Ee 2

&c.

(a) In Apolog. Societ. pag. 27. (b) Lib. 2. de Just. c. 14. dub. 8. n. 55.

(a) Lib. 2. in Decal. c. 38. n. 69.

&c. adduntque ; indistinctè teneri pretium restituere. Sed id non credo, quando ipse diligentiam adhibuit arte Diaboli ad eum effectum necessariam... Quia ea diligentia à Mago illo apposita, est pretio aestimabilis. Nec in hoc casu tenetur damna & expensas consulenti restituere, sed tantum quando nullam operam impendit, aut ejus diabolicæ artis ignarus erat.

Porrò magni interest, utrum Divinator arte Dæmonis utatur, vel quia expressè Dæmones invocantur ad futura manifestanda, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, PRÆTER INTENTIONEM HOMINIS ; multò enim gravius est Dæmones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, ut se Dæmones ingerant. Ita D. Thomas (a). Igitur quamvis sint, qui negent restitui debere lucrum, comparatum ab Astrologo vel Mago, nullam tamen memorant cum Dæmone pactiorem, petitumvè ab eo auxilium : Singularis ergo est Sanchezii opinio, qui artem ipsam Dæmonis, perfectamque ejus operam divinationem, esse dicit pretio aestimabilem, quod

restituere non debeat divina-
tor.

ARTICULUS II.

Compensatio.

§. I.

465 **Q**uasi non essent in mundo Magistratus, qui faciant nobis solvere debita nostra, ad horum redintegrationem Casuista concedunt universim occultas compensationes, quæ latrocinii genus sunt alterum. Præscribunt tamen conditiones aliquas ad praxim moderamen. Tamburinus inquirat (b) : An sit fur, qui per occultam acceptionem compensat id, quod sibi debetur? Et pronuntiat : non esse in conscientia furem, nec peccare, nec in excommunicationem incidere, quæ forte sit contra furantes imposta, & posse jurare etiam coram Judice, se NIHIL ACCEPISSE, intelligendo, QUOD SIBI NON DEBERETUR, certum jam HODIE EST APUD OMNES, etiamsi res, quam usurpat, fuerit ipsi in depositum à debitore consignata. Benè habet tò hodie, sed tò

tò omnes deest Probabilistas ; nam heri non erat, neque hodie talis doctrina recipitur à Professoribus sanioris. Assignat postea Tamburinus tres servandas conditiones, nimirum, debitum esse certum ; suum non posse recuperari facile, Potestate publica intercedente ; atque removeri periculum geminatæ solutionis debiti : quod fiet, subdit, fingendo condonationem, vel simili alio equivocationis modo. At conditiones ejusmodi, prout à Casuistis, & ab ipso exponuntur Tamburino, requisitæ ita sunt, quasi non sint.

Imprimis enim debiti certitudo non debet secundum eos esse infallibilis. Quare P. La-Croix (a) monet : Rectè notant Rebellus, & Dicastillus, non requiri infallibilem certitudinem (debiti) sed humano modo, ita ut viri prudentes non dubitent, nec putent hic & nunc posse prudenter dubitari de opposito. Et PP. Salmanticenses hanc constituunt (b) generalem doctrinam : Pro omnibus casibus licitum non est uti compensatione occulta, cum solum datur opinio PROBABILIS pro utraque parte, debitoris scilicet,

& creditoris ; sed in casibus particularibus id licet. Et etiam licet in omnibus, quando datur major probabilitas ex parte creditoris, quòd tale debitum sibi debeat. Doctrina certè, quæ mundum replet innumeris latrociniiis, spectatà facilitate, qua opinionem efformant probabilem, ac probabiliozem.

Deinde, secundam conditionem destruit ipse Tamburinus, cum ædificare videtur ; continuo enim subdit (c) : Verum hæc conditio solum notat (sed sine obligatione mortali, ex Molina, & Diana) ordinem rationabiliter tenendum : at in praxi vix in nostra hac ætate locum habet ; nam semper est difficile suum recuperare per auctoritatem publicam. Dicamus oportet, sibi Tamburinum fore persuasum, hac tempestate nec justitiam esse, nec ejus Ministrum ; atque propterea fuisse dictum, hodie certum est apud omnes, licitam esse occultam compensationem absque necessitate confugii ad Superiorem. Et hæc Tamburini sententia communiter probatur aliis Casuistis.

Denique ad 3. conditionem quod attinet, etiam Tamburini-
Ee 3
ri-

(a) 2. 2. q. 95. a. 2. in corp. & a. 3. ad 1. (b) Lib. 8. in Decal. c. 5. §. 1. n. 1.

(a) Lib. 3. p. 1. n. 962. (b) Tom. 3. tract. 13. cap. 1. §. 3. n. 319. (c) Ubi supra n. 3. & 4.

rinus statim introducit quæstionem: *Quid, si adstet ejusmodi periculum, sed non appareat modus illud evadendi?* Respondeo, ait, cum de Lugo, cum ad illud cavendum non obligemur ex justitia, sed solum ex charitate.... Ideò si facillè possis cavere, obligaris. Quod si non caveas, peccabis quidem, sed sine onere restitutionis; quia id solum sequitur ad peccatum contra justitiam. At si cum difficultate, seu cum tuo gravi incommodo posses, tunc nec peccares, nec obligationem restitutionis contraheres, si non caveres. Ratio est.... Propter eandem, imò majorem rationem non te REGULARITER obligo ad admonendum debitorem, vel ad fingendam condonationem, nè is credens non solvisse, maneat in conscientia peccati mortalis. Certè ad nihil deserviunt conditiones sic explicatæ, nisi ad horrorem, quem doctrina universalis occultarum compensationum infert naturaliter, cooperiendum.

466 Ad hæc, laudati *Salmanticenses* adjecerunt (a): *Et ideo assero, quòd probabilitate extrinseca desumpta ex Doctorum autoritate, licitum est in*

casibus illis, in quibus dantur Authores classici, sufficientes ad efficiendam opinionem probabilem, compensatione uti cum probabilitate debiti. Hac posita doctrinà, nè mirere Casuistas multiplicantes probabiliter creditores, & debita. Potissimum si superaddatur illa *Diana* (b): *Notandum tertio, compensationem esse licitam, quamvis debitum actu non debeatur. Potest enim aliquandò creditor prævenire, & compensare sibi nunc pro eo, quod debitor nondum debet, si timet tempore solutionis debitum non sibi solvendum.* Ità ego docui, & novissimè, me citato, docet *Cardinalis de Lugo*, & etiam me citato, *Machadus*. Si una *Diana* auctoritas sufficiens non foret ad hanc opinionem reddendum probabilem, talem efficiunt *De Lugo*, *Machadus*, *Sporer* eam propugnans (c) & *La Croix* sic ipsam recensens (d): *Aliqui tamen cum Tanner. Diana, & Sporer concedunt, etiam licere prævenire, & compensare nunc pro eo, quod alter certò debeat post mensem, si post mensem non eras accepturus: Quod PROBABILE ESSE, agnoscit Lugo, docetque absolute Illung.* Unde

de erit plusquam probabilis, quamvis satis laxa. Et subdit: *Si debitor rem suam tibi commodavit, aut apud te deposuerit, cap. BONA FIDES DE DEPOSITIS dicitur, NON POSSE RETINERI PRO COMPENSATIONE: quod multi intelligunt tantum pro foro externo (quasi in interno locum non habere debeat bona fides): unde retineri posse pro foro conscientie docent Navar. Sà, Tann. Lessius, Dicastil. Sporer, &c. Et Tamburinus jam citatus (a): Quid, si Petrus, tuus nempe debitor, habet in deposito apud Antonium vas argenteum, vestem, vel quid simile, quod totum, tum quoad proprietatem, tum quoad usum, & administrationem esset Petri? Respondeo: TUNC SANÈ POSSES; quia dummodò res sit Petri tui debitoris, nec ad alium pertineat, parum facit, ubi materialiter invenitur. Sed quid, subdit, si hoc periculum immineat (debitori nempe, patiendi grave damnum, vel sententiã Judicis solvendi ablatum) tu verò illud cavere non possis sine jactura tui debiti?*

467 Respondeo, inquit: *te tunc non possum condemnare, si tuum accipias; quia tunc neces-*

sitas te excusat ab obligatione charitatis, qua deberes illud damnum à te indirectè solum causatum, à Petro avertere, ut modò in simili, §. 2. dictum est. Videlicet: Quòd si alium modum non habes tibi compensandi, nisi accipiendo rem specie diversam, cujus carentia graviter debitorem aliundè damnificet, sanè licitè sumere poteris; debitori enim imputabitur tale damnum, dum is debita solvere non laborat. Et hìc ad prius jam à se dicta (b) remittit, nimirum: Pari modo si tu, cum occultè tibi compensas debitum, praveideas, alicui tertio id, tamquam furtum ab ipso fuisset commissum, fore imputandum, non obligaris id præcavere, nisi facillè possis; quia simili ratione solum obligaris ex charitate, non ex justitia. Facile tamen puto, te posse præcavere, saltè relinquendo compensationem, si tuum debitum v. g. esset unius, vel alterius aurei, & PROBABILE esset alteri imputandum furtum cum periculo, ut is damnaretur ad triremes, vel gravi infamia notaretur, vel graviter castigaretur, vel magnam summam expenderet: tunc enim, si non præcaveres, licèt non peccares

Ec 4

con-

(a) Ubi supra num. 318. (b) Tom. 6. coord. tract. 3. resol. 150. num. 5.
(c) Tract. 5. c. 5. n. 71. (d) Lib. 3. p. 1. n. 963. & 964.

(a) Lib. 8. in Decal. tract. 2. c. 5. §. 4. n. 3. (b) §. 1. n. 5.

contra iustitiam, unde non obligareri ad restitutionem, graviter tamen peccares contra charitatem.... Vide Molinam, De Lugo, &c.

Hanc confirmat doctrinam La-Croix (a), nec minus potenti ratione altera: Quia hoc, inquit, (quod alius putaretur furatus, & cogeret restituere ex tua compensatione) tantum per accidens sequitur; si quis absque notabili damno suo non posset omittere compensationem suam, non peccaret compensando, licet hoc sequeretur: quod scilicet innocens, haberetur, & tractaretur tamquam latro. Si autem posset sine notabili damno omittere vel differre; peccaret compensando, sed tantum contra charitatem, uti habet communis cum Sporer n. 78. Quisquis ergo sibi multum ab altero crediderit deberi, ab eo poterit annulum, vel lapidem pretiosum, surripere, tamen si praevideat, furtum domestico imputandum, qui hac de causa è domo est ejiciendus, tamquam latro tradendus, poenisque severissimis puniendus à Magistratu. Subdit La-Croix (b): Occurrit hoc dubium: Si Cajus non possit debitum à Principe obtinere, an

possit illud sibi compensare, v. g. DEFRAUDANDO GABELLAS, LICET HAS CONDUXERIT, VEL EMERIT TITIUS? Possè, affirmant Sylv. Sanch. Bonacina, alique cum Onnate; & Lugo confirmat ex Vazquez, Dicastil. &c. De hoc rursus.

§. II.

468 **S**ed ad Tamburinum revertamur subjungentem (c): Idem dic, si debitor vivus (nam de defuncto mox §. 7.) propter tuam occultam compensationem non sit futurus aptus ad satisfaciendum aliis anterioribus, & magis privilegiatis creditoribus: quia id damnum anteriorum per accidens sequitur ad tuam compensationem; & illa res, quam accipis, non est creditorum tui debitoris. Et citato §. 7. n. 1. inquit: An licetè possis retinere, tibi que applicare per justam compensationem bona tui debitoris defuncti, quae fortè invenirentur esse post ejus mortem apud te? Et decernit: Respondeo, posse: quia sicut potuisses alibi deposita occultè accipere, ita potes depositata apud te, ipsum. Verùm magna est difficultas, an idem posses, quando acceptio esset in præjudicium aliorum credi-

ditorum defuncti, qui essent magis privilegiati, seu anteriores, nec adesset facultas satisfaciendi omnibus? Respondeo, posse id, quod tamen tribus dictis opus est ut explicem, & probem, &c. Quae pratermitto, quia satis diffusa, nec continent quoad substantiam, nisi jam exposita. Sed terminum, quem posuit, non transgrediamur. Sic enim ait (a): Legge Dianam; cui quidem solertissimo, & humanissimo viro gratias ex corde ago, quod me indignum laudet, & citet in p. 9. & 10. Nam quod interdum meas sententias approbet, interdum verò nequaquam, imò contra illas non semel insurgat; id omnes perinde facimus, pugnantem nimirum intellectu dumtaxat, non voluntate. Vide humilitatem, vide devotionem. Hinc resolutiones P. Viva (b), quae sequuntur: Tertio docent multi cum Lessio, Molina, Granados, & aliis, quod qui ex testamento minus solemniter habere debet legatum, possit sibi illud retinere, vel COMPENSATIONEM FACERE: eo quod PROBABILIS sit sententia, quod jure naturae hujusmodi testamentum sit validum, atque adeo in foro

conscientiae debeantur legata in eo facta, quamvis contraria opinio sit SATIS COMMUNIS, & PROBABILIS. Quarto docet Lessius, posse heredem ab intestato uti compensatione occulta contra eum, qui bona defuncti possidet EX TESTAMENTO MINUS SOLEMNI: quia PROBABILIS est sententia, quod ea bona debeantur heredi ab intestato, cui opinioni potest se conformare. Propter probabilitatem igitur utriusque opinionis alter alterius bonis poterit compensari, & ambo absque peccati scrupulo; & ad compensationem non desideratur amplius moralis certitudo ea, quam alibi (c) requisiverat ipse, sed sola probabilitas sufficit. Eà itaque doctrinà clarum est, compensationum dari bellum ex utraque parte justum Legatarium inter, & Heredem: Iste poterit surripere bona illius, hujusque invicem ille, adeoque alterum alterius, & è converso, compensationibus sine fine unquam compensari, uno ejus commodo, qui melius noverit furari.

469 Si contra has, & similes ad justam compensationem securitates Casuisticas op-

po-

(a) Ubi supra n. 968. (b) Ibi n. 970. (c) Ubi supra n. 6.

(a) §. 7. n. 1. 2. & 3. in fine. (b) Tom. 1. p. 3. q. 6. a. 5. & in Trutina Prop. 37. n. 8. (c) In Trut. Prop. 37. Innoc.

Ponas: *In foro externa numquam approbaretur occulta compensatio, & censeretur fur, qui ita occultè surriperet; nam Potestas publica debebat prius dijudicare, nùm fortè non esset aliquis prior creditor, nùm debitor non afferret aliam exceptionem, &c. ergo non approbandum est in foro interno.* Dicit tibi P. La-Croix (a), cujus quarta objectio est, certè validissima: *Resp. ad 4. Forum externum presumeret fieri sine justo titulo, quem si sciret adesse, uti & conditiones reliquas, improbare non posset.* Injusti ergo, ac iniqui Magistratus erunt, qui nulla habita ratione doctrinæ Casuisticæ (quam non ignorant) admittere nolunt, sed puniunt uti tot latrocinia compensationes illas, similesque.

470 Adhuc tamen P. Lessius hoc excitat dubium (b): *Utrum compensari infamia possit occultâ pecuniarum retentione, vel subreptione?* Et respondet: *Probabile est, hanc compensationem fieri posse. Quia* PROBABILIS est ea sententia que asserit, infamiam pecuniâ esse compensandam, quandò in suo genere non restituitur. Idem do-

cent *Dicastillus, Lugo*, atque cum aliis *Tamburinus (c)* aperte asserens: *Est probabile, infamiam compensari debere pecuniâ, quandò alius modus non suppetit.* Ex quo principio colligit, dùm infamans vel non vult, vel non potest damna infamationis resarcire, infamatum posse compensari negando pecuniam ipsi infamanti, quam infamatus apud se habet: & quidem non tantùm conscientiam bona, verùm etiam fori externi timore nullo; jam enim suggestit ipse *Tamburinus* remedium, quod certum est hodie apud omnes, id est, quòd ad Tribunal vocatus, solemne juramentum emittat coram Judice, quod nec abstulerit, nec quid retinuerit, intelligendo dumtaxat, quod sibi non deberetur: Et hac arte coram Deo & hominibus salvum fieri.

Sed quid si fortè meum honorem & famam injuriâ afficiens, paratus esset, atque promptus ad mihi in utroque satisfaciendum omnimodè, sed aliundè mihi gratius esset, ac commodius satisfieri pecuniâ; tuncnè potero exigere satisfactionem in specie, & solutionem

nem de continuo? Meminisse oportebat, ait *Tamburinus*, decisam à me fuisse hanc difficultatem (a), quum inquirerem: *An liceat modò unam, modò alteram sententiam in eadem materia sequi?* ubi simul cum resolutione affirmativa hoc inter alia exemplum proposui: nempe, quòd probabile cum sit, infamiam posse pecuniis compensari, potes hodie infamatus ab altero, ab isto exigere compensationem pecuniariam, atque cras, vel etiam hodie tu alium infamans, compensationem recusare hujuscemodi. Quandò itaque plus pecuniâ eges, quàm famâ, compensationem eam ab offensore pete, uti potes *tuta conscientia*; cave tantùm, nè is veniat in cognitionem contrariæ sententiæ probabilis, quia tibi eam negavit, sicut & tu ipse illi polles. *Recole n. II.*

471 *Tamburino* præluxit P. Molina (b): *Quandò unus alterum, inquit, injustè infamavit, neque, ut tenebatur, vellet eam famam illi restituere, tùm injustè infamatus, qui damnatum in fama alteri non dedisset, posset in pecunia compensa-*

re damnum fame, in quo est, idque, non solum non solvendo debitum aliquod occultum, quantum ad equalitatem sufficere judicaretur ad competentem compensationem fame, in qua est, sed etiam occultè accipiendo de novo quantum sibi satis esset ad eandem compensationem: dummodò non interveniret scandalum, & aliter commodè obtinere non posset restitutionem suæ fame, & denique dummodò intervenirent conditiones omnes requisitæ, & licitè in conscientie foro fiat occulta compensatio debiti. Sed utriusque sequior est *La-Croix* jam citatus, qui & adjicit (c): *Hinc inferitur, quòd si Domini servorum famam denigrent contumeliosis verbis; isti tantum surripere dominis pecuniæ valeant, quantum sat est suæ fame redintegranda.* Hac consecutione supposita, quæ gaudet eadem probabilitate præcedentis doctrinæ, ecce mundus totus post latrocinia vadet. Nihil frequentius, quàm Dominos in ira, vel aliàs implere facies servorum suorum verbis contumeliosis, quin idcirco satisfaciendos illos vel cogitent. Servi ergo & ancillæ sic injuriam pas-

(a) Ubi suprâ n. 960. (b) Lib. 2. c. 2. dub. 25. n. 136. (c) Lib. 1. c. 3. s. 3. n. 25.

(a) S. 5. lib. 5. c. 3. (b) Tract. 4. de Just. disp. 49. n. 5. (c) Lib. 3. p. 1. n. 968. apud Patuzzi tom. 1. pag. 371.

passi, poterunt virtute talis doctrinæ, secretò sese compensare de bonis dominorum suorum ad mensuram qualitatis, & quantitatis injuriarum, & contumeliosorum verborum, sicque illorum dilapidare domos, sacculumque pecuniæ secum ferre. Quid evidenter perniciosus? Quid verò ultra, si vera est Casuistarum doctrina, cujus meminit eorum vindex P. Piro (a), quòd videlicet si illi sint *boni Domini*, debent dissimulare, ac tacere, quia nihil est in hac compensatione odiosi, seu alieni, nihilque quod ipsos scandalizare debeat. Crediderim, simillium *bonorum Dominorum* esse nullum; at Apologista testatur, ita, quos defendit, Casuistas sentire.

§. III.

472 **Q**uid ad hæc P. Viva, de quo scripsit P. Jacobus Sanvidal (b), numquam locutum fuisse hominem impræsentiarum, aut meliùs, aut sapientiùs? Trutinam Prop. 37. ab Innoc. confixæ sic orfus à principio est (c): *Quod in*

hac thesi proscribitur, est, posse famulos occultè compensare id, quod ipsi judicant ex justitia sibi deberi in salarium. Et sic progreditur (d): *Ad occultam hanc compensationem faciendam requiritur judicium viri DOCTI SIMUL, AC PERITI, ET PASSIONE DENUDATI, qui spectatis omnibus judicet, moraliter certum esse, quòd majus salarium debetur.* Casuistæ id sæpè agunt, ut verborum ambagibus fucum faciant imperitis; & cum nihil dicant, magna tamen, & præclara dicere videantur. Ecquid ampliùs, amabo te, significant extrema verba, & *passione denudati*, quod non significant ea, quæ præiverant, *requiritur judicium viri docti simul, ac periti?* nihil omninò. Nam si *vir doctus ac peritus* est Sacerdos is, cui *Viva* non admodum doctè ac peritè permittit judicium de re aliena, sciat oportet, atque consideret, hic agi de re gravissimâ, de re aliena Dominis à famulis surripienda, proindèque animum fore exuendum quavis prava affectione, ac diligenter observandum, certumnè sit *moraliter*, &, si fieri potest, plusquam

quàm moraliter, deberi famulo consulenti, eò quòd accipit majus stipendium.

Exemplo res fiet manifestior. *Sempronius* v. g. petit admitti ad servitium *Caji* viri equestris. Paciscuntur simul congruum salarium, *Sempronio* trecenta scuta prætendendo per annum, quæ judicat suo convenire servitio, atque *Cajo* recusando id pretii, quod reputat excessivum. Tandem post plures altercationes conveniunt simul, *Cajus* dando, & *Sempronius* accipiendo pro suo salario ducenta quinquaginta scuta, & ita stipulatur contractus. At conventionione facta, *Sempronio* videtur partum salarium non proportionari fatigationibus, & incommodo suæ servitutis. Quærit itaque Confessarium, vel Theologum, quem credit esse hominem *doctum*, ac *peritum*, & *passione denudatum* (nonnè dotes ejusmodi debent præsumi de quocumque Confessario?) & cui molestias, quas sustinet in domo domini sui, labores, divagationes continuas, atque alia, quibus debet subjacere, adeò exaggerat, ut Confessarius judicium efformet, sibi *moraliter certum*, quod ei debeantur tre-

centa scuta, quæ prius requirebat; ipsi propterea permittit compensationem annualem quinquaginta scutorum: sicque *Sempronius*, præfatum secutus judicium, fideliter exequitur, ita ut viginti annorum spatio præjudicet Domino suo in scutorum milliaro. Hic appositè est casus P. *Vive*.

Nunc verò, Lectores sapientissimi, ad quorum ipse tribunal provocat, videtur vobis justa & legitima compensatio ista? Irascimini, & nolite peccare. Vos audio negativè pronuntiantes, imò & mirantes fuisse Authores, qui theologo, quantumvis docto, ac perito, & passionibus denudato tantam de bonis alienis decidendi auctoritatem tribuant, contrariâ parte inauditâ, quantam ne Magistratus quidem habent! Si *Sempronio* centum quinquaginta scutorum videbatur salarium inferius merito pressuræ, quam in tali domo invenit, debebat verba facere, non cum theologo, cujus non est disponere domui & bonis alienis, sed cum proprio Domino, cum quo pepigit spontè fœdus; atque isto negante salarii augmentum, æquio-

(a) In sua Apolog. pag. 80. (b) Raccol. pag. 194. (c) Num. 1.
(d) Ibi num. 7.

alterum acquirere sibi Dominum. Aliter latus pateret aditus ad fraudes, dolos, furtaque famulorum, qui suis numquam contenti sunt stipendiis initis. Aliundè, conscio Domino prætenfæ justæ compensationis occultæ servi sui, ei jure merito diceret: *Serve nequam, nonnè ex denario diurno convenisti mecum; quare ergo contra pactionem, pari consensu initam, licitum tibi fecisti bona mea surripere?* Et coram competenti Tribunali citaret; quod, non obstanti iudicio docti, periti, ac passione denudati Theologi, irremediabilibus illum damnabit, aut publicis flagellationibus, ad restitutionemque ablati constringeret. Hoc absdubio est sapientum hominum iudicium, repudiata *Vivæ* perniciosissima doctrina, quin ei suffragium præstent tituli, quibus ipsum decorare, seu onerare sui student.

Porro ecquis privato illi (etiamsi nullum esse nolint Sacerdotem doctum, ac peritum, & passione denudatum) facultatem dederit iudicandi, an huic vel illi famulo desit nonnihil iusti stipendii, quod sibi liceat ra-

pere? Aut indistinctam causam quemquam mulctandi bonorum suorum parte? Sive, ut clarius dicam: incscio Domino, & rei ignaro, quod suum est quiriranti famulo adjudicandi? Quæ lex permittit, ut ex unius testis sola accusatione condemnatur reus? Et sanè dubium non est, proscriptio-
ne thesis 37. illud cumprimis cavendum duxisse Innocentium, nè privatus quisque sibi sumat, quod Magistratum est proprium, ut cum in controversiam venerit quid uniuscujusque sit, arbitrato suo statuat, atque decernat. Hoc autem in Sacerdotes æquè ac in famulos cadit; neque Sacerdotes enim privatorum conditionem superant. Nec ergo dubium esse poterit, interpretamentum *Vivæ*, sibi que blandientium, Innocentiano Decreto maximè refragari: rectèque *Salmanticenses* monuisse (a), attendi oportere in Decreto laudato, *non quis est qui iudicat, operas esse minores salario; sed an hoc ita sit, & an famulus liberè cum Domino de minori salario pactum inierit, vel an metu, coactione, vel fraude id fecerit.*

473 De hoc etiam *Vivæ* quæ-

quærit (a): *An famuli possint occultè sibi aliquid compensare, quando necessitate, aut vi adiguntur ad inferiendum parvò pretiò? Qua in re Lessius, Suarez, Molina, Dicast. & alii communissimè docent, posse citra injustitiam sibi compensare usque ad pretium justum infimum, si ipsi à propria miseria ad id adigantur.* Et concludit: *Adverte ex Molina, & Dicastillo, quòd si famulus non à propria indigentia, sed ab extrinsecò, id est, vi, aut metu compulsus consentiat in salarium inæquale, possit occultà compensatione supplere defectum, non solum usque ad pretium justum infimum, sed etiam usque ad iustum medium.* Quis Casuistas constituit Iudices rei alienæ, quòd jure valeant ad eò minutè determinare pretium, cui annecti possit occulta compensatio? Certè si luit antiquitas, quæ potius improbavit universim compensationes ejusmodi.

474. *Huc facit, inquit TAMBURINUS (b), vulgaris dubitatio de creditore Principis, an scilicet possit sibi compensare id, quod à Principe sibi certò debetur, fraudando ipsius gabellas?*

In qua re certum est primò, posse, si gabellæ non sunt aliis locatæ.... Quia ibi creditor jam sumit ex bonis sui debitoris. Sed quid si sint locatæ? Negant nonnulli propter eandem rationem: quia tunc gabellæ non est in bonis Principis, qui supponitur esse debitor. Ita Joannes de Grassis, &c. Concedunt alii: quia conductores gabellarum, dum sciunt fraudari communiter gabellas, & tamen eas conducunt, videntur, seu præsumuntur non esse invitati in tolerandis iis fraudibus. Et fortassè propter hanc causam multò minoris, quàm valeant, solent eas conducere. Ita Petrus Navarra, Lessius, Bonacina, Vazquez, Molina, aliique, quos citat, sequiturque Diana. Utraque sententia est PROBABILIS. Ita quoque La-Croix (c). En Authores plurimam sufficentes ad probabilitatem, tutamque praxim tam incommodæ opinionis. Sed nondum est finis.

475. *Ait enim P. Hurtado de Mendoza (d): Quæ de famulis diximus, & ad quosvis alios stipendiarios extendimus. Servantà proportione, locum habent in Sacerdotibus, qui Missas celebrant; in vinea namque Domini-*

(a) Tract. 24. c. 1. punct. 7. §. 3. n. 137.

(a) Ubisuprà. n. 12. (b) Lib. 8. in Decal. tract. 2. c. 5. §. 4. n. 4. (c) Lib. cit. n. 970. (d) Theol. refor. disp. 23. c. 5. n. 4.

ni operantur, & sicut alii operarii, digni sunt sua mercede. Quapropter si merces, iustà, & recepta lege, consuetudine, aut conventionem taxata, eis non persolvatur, optimo jure sese compensare poterunt, & quod justo deest, sibi occultò accipere ex aliis pecuniis ejus, qui ipsis Missas commendavit, servatis his, quæ in ipsis compensationibus ab aliis servari debent. Et, ut multa nimis relinquamus. P. Viva iterum (a): Addit Lugo, inquit, videri PROBABILE, quòd possit ab aliquo fieri compensatio occulta (dummodò ad sint conditiones supra recensita) quandò Judex, qui tenetur opinionem PROBABILIOREM circa jus sequi, proculdubio sententiam ferret in ejus favorem: v. g. quia PROBABILIS videtur, quòd debeat fieri compensatio in pecunia ab eo, qui non potest famam restituere, & Judex teneatur juxta hanc PROBABILIOREM sententiam judicare; idèò putat Lugo, PROBABILE esse, quòd possit fieri in hoc casu occulta compensatio, quandò non potest commòdè adiri Judex. Certè Tamburinus compensationis opinionem in prædicto casu, non nisi tantum probabilem esse prætendit: Sed Lugo & Viva

etiam probabiliorem volunt; licitamque reddunt sub hac majori probabilitate imaginaria, eò quòd teneatur Judex sententiam proferre secundum eam. Et hoc idem principium intelligi debet de omnibus casibus similibus, cum assignatus non sit nisi purum v. g.

ARTICULUS III.

Mutuum, & Usura.

§. I.

476 **Q**ueruli de hodierno Probabilismo Hispaniæ Passionem præcipui clamant ante Thronum Apostolicum (b): In nullo genere contractuum, & negotiationum, emptionibusque, & venditionibus, utcumque fiant, HISCE PROBABILIBUS fere nullam lesionem inveniri, neque obligationem restituendi agnosci: Contractum nullum, UT USURARIUM, mutatis nominibus (ut accidit in CONTRACTU TRINO, suis hodie pro certa regula vigente) iam haberi: & alia id genus. Quæ non esse per hyperbolem dicta, sed simplicem nudamque veritatem, sola evincit Librorum Casuisticorum lectura; quos

quos, si de summa, ut ajunt, facie aspicias, declamationes altissimas passim reperies contra usuras, usurariosque: at si introspicere curiosius velis, ipsas usuras usurariosque invenies approbatos sub aliis nominibus, atque ab omni reatu prorsus immunes. Possent & exigi, & erui plus mutuato, indulgent, quin tamen appellandum sit usura. Nos, inquit Tamburinus, aliqua remedia, seu justa artificia tradidimus lib. 8.... Quorum auxilio aliquid anticipato sumi possit. Quæ remedia, sive justa artificia non in altero post constituit, quam in mentis gyro, directioneque animi; subdit namque (c):

Caramuel lib. 2. Theol. Mor. n. 755. tollit sic difficultatem. FIANT DUO CONTRACTUS, ALTER MUTUATIONIS, ALTER VENDITIONIS: ET SIC POTERIT MUTUANS SUMERE NUNC DECEM, VEL SALTEM OCTO, VEL SEX. Explico: mutuans nunc mutuatur centum aureos cum spe, ut recipiat hinc ad annum ex lucro licito, præter sortem, alia decem. Vendat nunc anticipato hanc spem denarii lucri ipsi mutuatorio, quæ spes valebit v. g. omnibus ab experto viro expensis, sex, vel octo aureis: nam statim nunc

poterit sine labe usurae hos sex, vel octo aureos sumere, non quidem ex vi mutui, sed ex vi venditionis sperati à se lucri, & venditi mutuatorio. Lessius lib. 2. c. 2. dub. 2. n. 100. ab eadem difficultate sic se liberat: MUTUET quis tibi centum, ita ut mutuet cum interesse solum 91. & 9. sine INTERESSE. Nam mox hæc 9. reddere mutuanti potest sine ulla ipsius injuria pro interesse debito illis 91. TUNC enim tu mutuarius non solves lucrum ex ipsa summa mutuatam cum interesse, sed ex alia, quo pacto plus æquo non GRAVABERIS. Dices: gravabor ex eo, quòd anticipato solvo, quòd nondum debeo. Responderem sic pro Lessio: at certò debebis, & ex alia parte molestia dandi nunc, quòd debebis postea, compensari sufficienter videtur ex eo, quòd mutuans gratis mutuatur tibi, & sine interesse illa novem.

Omitto tertium artificium, quòd ex Azorio reportat, & dicam dumtaxat, tot esse unde palliantur usurae sententiis probabilibus, titulos, ut vix jam consistat peccatum usurae, nisi in idea speculativa, & abstracta. Quare fructus perceptio supra capitale à Probabilistis permessa est. Primò,

Ff

ra-

(a) In Prop. 37. n. 8. (b) Cit. document. pag. 106.

(a) Lib. 8. tract. 3. c. 8. §. 3. n. 17.

ratione oneris mutuandi. Secundò, *ratione periculi sortis*, & quidem intrinseci, & inseparabiliter annexi mutuationi. Tertio, *ratione molestiæ*, & *angoris* perdendi capitale, quo afficitur mutuator. Quarto, *ratione carentiæ pecuniæ*, ad tempus. Quintò, *ratione obligationis non repetendi usque ad certum tempus.* Sextò, *ut liberet à fidejussione.* Septimò, *pro labore numerandi pecuniam.* Octavò demùm, *pro labore & sumptu mittendi pecuniam absentis mutuataro.* Quorum aliquem titulorum, vel etiam impossibile moraliter est, non intervenire semper in omni mutuo. Quamvis verò omnes hos titulos non admittant cuncti Casuistæ; quia tamen apud ipsos nominantur, & sunt Authores graves, qui hunc, vel illum titulum faciunt licitum, & eis communes aliorum opiniones efficit Probabilissimus.

477 Sed quia *Lesii* meminimus, exemplum in ejusdem quæsito statuamus, quod ejusmodi est (a): *Utrum venditiones, & emptiones reciproca ejusdem rei* DIVERSO PRETIO, quas *Hispani* vocant *BARATAS*, & *Mohatras* sint licitæ? Exemplum sit. *Petit quis* 160. au-

reos mutuos. Mercator non vult mutuare; sed paratus est vendere illis merces creditò, summò pretiò, v. g. 105. vel 106. aureis, ut eas vendat pecunia numerata, cui voluerit. Ille easdem offert mercatori, qui easdem emit, vel potius redimit pecuniâ numeratâ, sed minoris, pretio nimirum medio, vel infimo, v. g. 100. aureis, & illi manet debitor centum & quinque. Quidam Doctores, ait, existimant, id esse injustum, & palliatam usuram, quandò idem redimit, qui vendit. Sed VERIUS est, non esse injustum, etiamsi redimat ipse venditor, modò intra limites justii pretii consistat, ita ut quandò vendit creditò, non excedat pretium rigorosum, & quandò redimit numeratò, non descendat infra justum minimum. Ita Navarrus 23. num. 61. & Petrus Navarra lib. 3. cap. 2. num. 170. & alii Recentiores. Ratio est, quia & venditio prima justa est, cum fiat justò pretiò quamvis summò & secunda etiam est justa, quia eadem merces revenduntur.

Nec refert, quod hæc revenditio fiat pretiò infimò. Tum, quia pretium infimum etiam est justum, præsertim in numerata pecunia. Etiamnè numeratâ ab

eo,

eo, qui ejusdem rei uno tempore venditor est, atque emptor, & stans pede in uno emit parvi, quod vendidit magni? Hoc quaritur, & *Lesius* quemadmodum prober, nihil laborat. Tum, quia merces, quæ à venditore ingeruntur, vilescunt. Quàm bellè *Cicero* irrideret istas astutias! Qui ludicrè emit, ut statim revendat, is ingerit merces? Dein, cur hæ merces primùm oblata à mercatore non vilescunt, oblata à venditore vilescunt? *Nec etiam refert*, subdit, quòd idem sit emptor, qui ante erat venditor; quia si alius quisvis poterat illò pretiò emere, cur non ille qui vendidit? Imò beneficium alteri in hoc præstari videtur, dum ille liberatur à querendis aliis emptoribus, & sumptibus in proxenetis faciendis. Quod hominì egenti pecuniæ quamdam necessitatem imponit, ut non alium, nisi mercatorem esse velit earum mercium emptorem; verbis proindè, non re liberum est emptori merces cuilibet vendere. Quod quidem cum pertineat ad pactum implicitum, nihil occurrit, cui improbatum omninò, damnatumque ab *Innocentio XI. Prop. 40.* fuisse negemus; propterea

quòd ex damnata propositione, implicitumnè, an expresse oporteat esse pactum retrovenditionis, nulla ratione colligitur. Concludit tamen: *Non tamen potest illum ad hoc cogere: sed debet omninò liberum relinquere.* Sed quòd ita scribat, quid est, si jocularis contradictio non est?

Etenim si beneficium est, eas merces statim mercatori revendere, quid vetat, emptorem eò adduci, ut hoc beneficium uti velit? An non licet emptoris commodo, utilitatisque servire? Quare aut merces mercatori revendere, beneficium non est; aut quòd additur, supervacaneum est. Ex quorum altero sequitur, ineptà ratione effici, contractum justum esse; ex altero autem, negari verbo tenus pactum retrovenditionis, & ex utroque, *Lesium* pugnantia loqui. Quid? ipse *Lesius* adjecit: *Adverte tamen, hunc modum contrahendi sæpè non carere culpâ in mercatore, qui ex composito ità vendit, ut pretiò infimò redimat.* Etiamnè in his verbis, qui ex composito ità vendit, abest pactum retrovenditionis? Certè vocabularia tò ex composito ita exponunt, hoc est, de industria, ex

(a) Lib. II. cap. 21. dub. 16.

condictio, dedita opera, & ut convenerat inter eos.

Una restat via, quâ *Lessius* liberari possit à contradictione, quod nempe initio disputaret adversus Theologos, qui ejusmodi contractum prorsus improbarent, & etiam sublatio pactio injustum esse, judicarent, proptereaque id solum probandum sumpsit, reciprocam ejusdem rei emptio- nem, & venditionem non esse contra justitiam; monuit- que cum in proponenda quæ- stione, tum in extrema argu- mentatione, liberum emptori esse debere, ut merces, cui velit, revendat. Post verò, animadvertens, contractum *Mohatram* sine reciproca ejus- dem rei emptio- ne, ac vendi- tione consistere non posse; nihilque referre existimans, eas mercatorem, emptoremque conceptis verbis pacisci, quæ in ipso contractu contineren- tur, pactum *retrovenditionis* aperte concessit. Quod mi- rum videri non debet; solent enim *Casuista*, cum nova, aut valde laxa proponunt, ambagi- bus uti, & ad declinandam invidiam, ut ait idem *Lessius*, non nisi magna verborum cir- cuitio- ne suam proponere sen-

tentiam.

478 Simili modo *Card. de Lugo* etiam locutus est (a). *In- fertur tertio*, inquit, *neque red- di injustum hunc contractum* (mo- hatra) *ex natura rei per hoc, quod venditor suam intentionem manifestet emptori, dicendo: Ego LIBERÈ TIBI CREDITÒ VENDO HAS MERCES; SI TAMEN VOLUE- RIS EAS POSTEÀ VILIORI PRETIO VENDERE AD HABENDAM PECU- NIAM PRÆSENTEM, ego paratus sum ad eas emendas.* Quis di- xerit, hunc non esse contra- ctum *mohatra* larvatum, & de- licationibus fucis depictum? Adest animus redimendi mer- cem pecuniâ numerata, & vi- liori pretio. Animus proditur emptori. At, *dices*, non im- ponitur emptori onus retro- vendendi. Imò continuo sub- didit citatus *Lugo: Dum ta- men aliquod pactum implicitum sub hac manifestatione non in- cludatur.* Hæ sunt consueta antilogia, quibus benigniores *Probabilista* jugulare non raro se solent. Ut patentem laxi- tatem quoquo modo tempe- rent, adjiciunt clausulam ali- quam, quæ pugnat cum facto, quod ut licitum proponunt. Quid est pactum? *Conventio inter duos.* Mercator aperte di-

dicat: Vendo tibi hanc mercem; si tamen volueris eam mihi re- vendere viliori pretio, emam. Assentitur emptor necessitate pecuniæ obtinendæ astrictus. Quid ultrà requiritur re ipsa ad pactum ineundum? nihil sanè. Sed ut verborum invo- luctro res implicetur, mera vox pacti excluditur, & pa- ctum reapse conceditur ex- pressum, nedum implicitum.

Est pactum, *inquit*, sed liberum, non onerosum, non necessarium. *Physicè* verum est; sed in civili commercio, & *moraliter* loquendo, totum adest, quod ad damnatum con- tractum *mohatra* requiritur. Nec fœneratores facultate po- tiuntur cogendi mutuatores ad ineundos contractus fœne- bres. Offerunt pecunias mu- tuo, libertatem iisdem relin- quentes easdem accipiendi, aut respuendi. Quare, ut mi- nùs, tamquam periculi plena improbanda est *Lugonis* sen- tentia, quæ licet communi adhæreat, fibulas tamen di- latat.

479 Eadem denique ince- dit via *P. La Croix*. Docent *Molina, Lessius, Rebellus, Lu- go, Salmanticensis*, & alii, qui

ab istis citantur (a), peccare Monachos, & Clericos, si propriis manibus negotiatio- ni pecunias exponant; secus, si has pecunias dent merca- toribus, qui propriis eas im- misceant, & negotientur, & lucra cum Clericis dividenda assequantur. Nisi hæc circum- ventio legis sit, quanam erit? Canonum prohibentium nego- tiationem Clerico finis, &, ut ita dicam, spiritus, eò ten- dit, ut Clericos, & Mona- chos Deo sacros à congre- gandis divitiis avellat, ut di- vino cultui toros se dedant, ut Deum & sibi, & populo propitium reddant. Aliquid indecentiæ exterioris detrahi- tur, quod aliorum operâ Cle- rici negotientur; sed cupidi- tatis, & avaritiæ pravitas to- ta viget alieno induta pallio. Quare prædicta opinio falsa (b) est, & circuitio- nis plena. Imò nec verba legis servare viden- tur citati Theologi; absolutè siquidem leges verant Clericis negotiationem. Distinctiuncu- la invecita, *per se ipsos, & per alios*, arbitrarium commentum est ad legem eludendam, quodque cum legis spiritu ho- stiliter pugnat. Quid, quòd

Ff 3

dùm

(a) Tom. 2. de Just. dif. 26. sect. 13. n. 208.

(a) Tract. 14. c. 11. punct. 4. §. 1. n. 40. (b) Vid. *Concina* tom. 7. Theol. Christ. pag. 283.

dùm Clerici, vel Monachi mercatorum industriam negotiantur, continuis perplexitatibus, curis, sollicitudinibus anguntur? Hinc suspiciones, nè debito lucro defraudentur. Hinc timor jacturæ, illinc spes ingentis lucri animos exagitant, mentesque perturbant, sæpè fortius, quam si per se ipsos negotiationem exercerent. Quid, quod vel ipsi celebriores Infitores, opulentioresque, non se ipsis, sed ministrorum industriam negotiationem exercent? Quid, amabo te, discriminis hos inter, & Clericos, Claustralesque, qui mercatorum industriam suas negotiarentur pecunias?

480 Nihilofecius *La-Croixius* (a) scribit: *Licitum est omnibus emere cum animo vendendi sine lucro, quia non est prohibita negotiatio, nisi fiat causa lucri, uti habetur cap. 2. NE CLERICI, VEL MONACHI. Unde si Clericus emerit aliquid, ut consumat, & postea pretium illius crescat, vendere potest, sperans se vilius empturum. Est enim actus œconomicæ prudentiæ. S. Thomas, Molina, Sà, Laymann, Castropalao, Lugo. En novum Lectoribus argumentum diligentiae Casuistarum,*

cùm *D. Thomam* laudant in subsidium suarum opinionum. Nam ne per somnium quidem docet *Angelicus*, quod de Clericis scribit *La-Croixius*. Hæc illius verba (b): *Non quicumque carius vendit aliquid, quam emerit, negotiatur, sed solum qui ad hoc emit, ut carius vendat. Si autem emit rem, non ut vendat, sed ut teneat, & postmodum propter aliquam causam eam vendere velit, non est negotiatio, quamvis carius vendat. Potest enim hoc licite facere, vel quia in aliquo rem melioravit, vel quia pretium rei est mutatum secundum diversitatem loci, vel temporis.* Regusta hoc testimonium, & exprome ex eo, si potis es, verbum, quod significet, decere Clericos illam venditionem. At docet, *inquires*, *D. THOMAS*, eam venditionem injustam non esse, neque ad negotiationem pertinere. Fateor, ita docet. Licet ergo, *inquires* iterum, Clericis ita vendere. Liceat, si ita vis; sed hoc *Molina* & *La-Croixii* est, *D. Thomæ* non est. Ubi Clericos nominat *S. D.*? ubi eos dicit ita vendere posse? Nùm, si docet illam venditionem non esse injustam, non sunt Patresfamili-

lias,

lias, coqui, lanii, sutores, & alii Ecclesiæ ministerio non addicti, quibus liceat has vendendi, & emendi captare oportunitates?

Cerrè *La-Croixius*, quod rectè docuit *S. Thomas*, scèdè corrumpit, aut illi suam, quæ falsa est, opinionem tribuit. Docet enim *Angelicus*, quominus illa venditio ad negotiationem pertineat, causam aliquam esse oportere, cur id, quod emptum primò ad usum fuit, postea vendatur. Hanc causam spem esse, interpretatur *La-Croix*, id, quod venditur, minoris emendi; & postquam statuit, posse Clericum id, quod emit ut sibi esset usui, postea vendere, si speret, idem se vilius empturum, confidenter addit: Ita *D. Thomas*. At qua diligentiam, nè dicam fide? Ubinam *D. Thomas* hanc causam memorat? Ubi docet, spem, aut studium faciendi lucri, causam esse satis justam, cur Clericis plaris, quam emerunt, vendere liceat? Id ille ne negotiatoribus quidem, nedùm Clericis permittit. Nam ea, quam hic requirit, vendendi causa esse posset, si aliqua necessitas premeret, aut si is, qui emit, id, quod

emit, non amplius sibi necessarium putaret. Atque hòc modò ferri potest, doctrinam *S. Thomæ* ad Clericos transferri: quod docet *La-Croixius* ferri non potest, *La-Croixii* est, *D. Thomæ* non est.

Propositio itaque *La-Croixii* omnino inanis est; neque mihi videtur, œconomicæ prudentiæ (quæ mundana est, filiis hujus sæculi, seu laicis hominibus consentanea, secùs Sacerdotibus, Deo militantibus) opus esse palliò, ut Clerici ex illa negotiari dicantur. Sed dices, scribere *La-Croixium* locò citato: *Non est prohibita negotiatio, nisi fiat causà lucri. Quid illi facias? pugnancia loquitur unà cum cæteris. Nam certè qui id, quod emit, eò vendit, quod speret, se idem vilius empturum, lucri causà vendit.*

Quo in genere SS. D. N. *Clemens XIII.* terminum posuit, datis litteris ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos die 17. Septemb. 1759. Quos sic alloquitur: *Ne pravas Canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur, aut indulgentia præter fas extenditur, præter mentem, & spiritum Ecclesiæ, eas privatis opi-*

Ff 4

opi-

(a) Lib. 3. p. 2. n. 997. (b) 2. 2. q. 77. a. 4. ad 2.

opinionibus adinventas, & sine legitimi Superioris assensu ad proprii cuiusque casus opportunitatem accommodatas, apud Vos ullo modò valere sinatis, ubi Clericorum secularium, aut Regularium negotiationem, Vobis Judicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim questio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in Diœcesi ab Ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censei debeat; haud æquum erit pro judicandi norma accipere, vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quaritur, vel ipsam contrahentium opinionem; sed ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam & audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem. Causa finita est. Utinàm finiatur & error!

§. II.

481 **S**ANÈ multus nimis essem, & permolestus, si vellem recensere quanta à Casuistis permittantur in contractibus emptionis, & venditionis, quotque fraudes, atque doli existimentur ab ipsis immunes à culpa, & pœna. Sequentia tamen adjungam tantum sævi monumenta

doloris. I. *Lesius*, *Azorius*, *Filliucius*, *Tamburinus*, *Molina*, *Sà*, *Dicastillus*, *Valentia*, à *De Lugo*, & *Bonacina* in subsidium laudati, aliique Probabilistæ defendunt, sat esse, ut mutuator destinaverit pecuniam negotiationi; licet ob defectum occasionum, actum, aut proximè præsentium, re ipsa pecuniam non exponat: sat, *inquam*, esse, ad justum lucri cessantis titulum. Splendida usuræ vestis forinsecus spectata apparet hæc pecuniæ subtractio à negotiatione; sed si penitus introspectatur, qua ratione ab illis contextitur, continuò usuræ crimen se prodit. Quid enim magis fallum, quàm eum, qui nullas habet opportunitates negotiandi, si pecuniam det ei, qui mutuam roget, cavillari posse, datum se operam fuisse negotiationi, ac proinde ratione lucri cessantis, quod nullum est, usuram accipere? Quæ opinio, si vera esset, usuras ferè omnes de mundo auferret.

Et tamen falsam esse, concedere non possunt Probabilistæ. Irruent namque in quemquam eorum omnes Casuistæ, & quidquid concesserint, id negare cogent canone illo suo,

à *P. Viva* (a) promulgato: PROBABLEM ESSE, non solum plurium, sed etiam unius Authoris opinionem, etiamsi aduersus communem aliorum sentiat, quoties Author est omni exceptione maior. Quem canonem funditus evertere illum dolebunt, qui non solum unius, sed etiam plurium, & quidem omni exceptione majorum, falsam esse concedat opinionem.

Porrò qui de hac controversia rectè præcipiunt, tum verè pecuniam attributam esse docent negotiationi, cum quis non solum huic rei operam dare constituit, sed etiam paratas habet certas negotiandi opportunitates. An non sapè accidit, ut qui pecuniam mutuam roganti dare, quàm negotiandi periculum adire malunt, sibi videantur in eo esse singulis momentis, ut pecuniam ad negotiationem transferant, quamvis nullam certam habeant hujus rei perficiendæ opportunitatem? Præterea, nihil ambiguum, nihilque obscurum, aut minus explicatè dictum probari debet in hac controversia de usura; in qua solis verbis,

atque adeò mentis conceptionibus, mirabilem omnia efficiendi vim tribuerunt Casuistæ. Si tantum dicas, exempli gratià: *Vellem negotiari, nisi multi mutuum peterent... quidam doctissimi Viri putant, etiam tunc posse aliquid exigi ratione lucri cessantis*. Demonstrare tibi non possum, qui fuerint hi *doctissimi Viri*, qui tantam vim uni dicto, seu mentis conceptioni tribuerunt; nam *Lesius*, cui soli noti erant, eorum notitiam posteritati invidit. Quemadmodum verò ipse ad illorum sententiam accesserit, per te ipsum legere potes (b).

482 Assertio est *P. Laymanni* (c) his concepta verbis: *Si aliquem, qui injustum damnum alteri inferre decreverat, consilio, vel hortatu magis etiam confirmasti, utrum ad restitutionem damnificato tenearis? Respondeo, probabiliter negari posse; quia non fuisti causa efficax, ut damnum absolutè, & secundum substantiam inferretur, quando alter per se ipsum satis incitatus erat ad inferendum, ut etiam absque suasu tuo intulisset*. Ultrò fatemur, *D. Thomam* (d) docere: *In aliis*

(a) In Prop. 27. Alex. VII. n. 6. (b) Lib. 2. c. 20. dub. 11. n. 95. (c) Lib. 3. tract. 2. c. 5. n. 5. (d) 2. 2. q. 62. a. 7.

autem casibus enumeratis non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid huiusmodi, est efficax causa rapinae. Verum hæc ratio Angelica facilè nequit ad id, quod vult *Laymannus*, rectè contorqueri. Quippè docet quidem *S. D.* nihil interdum effici consiliò, atque adeò non teneri ad restituendum illum, qui dedit: at eò consiliò, quò magis confirmatur cujusquam animus ad id, quod meditatur, nihil effici, non docet. Quare aut errat, aut secum ipse pugnat *Laymannus*, qui cum quæstionem proponit de eo, qui consiliò suò alium magis confirmavit ad damnum inferendum; tùm eò consiliò nihil effectum putat, & consiliantem fuisse causam negat, cur damnum inferretur.

Si dicas, omne consilium, atque omnem hortatum proculdubiò addere confirmationem aliquam deliberanti: id quidem falsum est, cum usu venire possit, & verò sæpè usuvenerit, ut is, cui consilium datur, illud non atten-

dat, vel nihilo magis eò moveatur, quàm si de eo dando nemo cogitasset.

Accedit, quòd ex eo, quòd consilium magis confirmet alicujus animum, *probabiliter* concludi possit, eò permotum esse hominem, cui datum fuit, ad damnum inferendum: quòd consilium, nisi datum fuisset, fortasè non obstinatus in malo, quòd decreverat, persistisset. Quòd satis est ex *D. Thomæ* sententià, ut is, qui dedit, teneatur ad restituendum; ait enim, ad restitutionem eum teneri, qui consilium dat, vel adulatur, *quando probabiliter estimari potest, quòd ex huiusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta.*

Has ego rationes sententiæ *Laymanni* opponendas duxi, ne, cum agatur de justitia, & eo genere criminis, quòd certè rarum non est in moribus hominum, quidquam concedatur parùm castigatè dictum, & explicatum. Cæterùm sententià *Laymanni*, si ad rationem *D. Thomæ* planè accommodetur, probari potest; sed ipsa per se pugnantia complectitur.



QUÆ-

QUÆSTIO X.

DE SIMONIA.

De Propositione 22. fulgurita ab *Alex. VII.* & 45. 46. atque 47. ab *Innocentio XI.* resonat echo. Sit itaque

ARTICULUS I.

Temporale pro Beneficiis Ecclesiasticis collatum, vel acceptum.

§. I.

483 **D**OCUÏT Angelicus (a): Dicendum, quòd munus aliquod vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio potest usurarius sperare ex mutuo quòd concedit, dupliciter: uno modo, quasi debitum ex quadam obligatione tacita, vel expressa; & sic quodcumque munus speret, illicitè sperat. Alio modò potest aliquod munus sperare, non quasi debitum, sed quasi gratuitum, & ABSQUE OBLIGATIONE præstandum; & sic licitè potest ille, qui mutuat, sperare aliquod munus ab eo, cui mutuat: sicut si facit servitium alicui, confidit de eo, ut amabiliter suo tempore servitium faciat.

Alia tamen ratio est de simoniacò, & de usurario; quia simoniacus non dat id, quòd est suum, sed id, quòd est Christi: & idè non debet sperare aliquam recompensationem sibi fiendam, sed solum honorem Christi, & utilitatem Ecclesiæ. Sed usurarius nihil alteri præstat, nisi quòd suum est: unde potest aliquam amicabilem recompensationem sperare per modum prædictum: id est, absque quadam obligatione tacita, vel expressa.

Laudatum textum quasi proprio Marte procuderit, ita invertit, *P. Viva* (b) & corrumpit, *Advertendum*, quòd notat Angelicus q. 13. de malo a. 4. In hoc discriminari simoniam ab usura, quòd mutuator possit EXPOSHERE à mutuatorio, ut OBLIGATIONE ANTIDORALI sibi satisfaciatur: quandoquidem mutuando dat illi, quòd suum est. Contrà verò, qui dat spirituale, non dat quòd suum est, sed

(a) Quæst. 13. de Malo a. 4. ad 13. (b) In Prop. 45. & 46. Innoc. XI. n. 3.

sed quod est Christi, juxta illud I. ad Cor. 4. SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI, ET DISPENSATORES MYSTERIORUM DEI. Undè nequit EXPOSCERE, quòd alter sit sibi gratus ob collatam rem spiritualem.

Confer, amabo te, ferio sensum S. D. à P. Viva expositum, cum eo qui aperte resultat ex vero & legitimo textu; & agnosces, unum ab altero tantum distare, quantum potuit umquam diversa esse doctrina laxa & damnata, à doctrina sana, atque tuta. P. Viva asserit, D. Angelicum notare, mutuatore posse exposcere à mutuatorio, ut obligatione, quæ antidoralis dicitur, recompensationis, remunerationis (& est vera obligatio, licet non ex justitia) sibi satisfaciatur. Atque, ut ego quidem arbitror, verè est ipsa sententia damnata ab Innocentio XI. Prop. 42. Quid verò D. Thomas ad hæc? affatim dicit totum oppositum. Declarat aperte, quod mutuator quodcumque munus speret quasi debitum ex quacumque obligatione, illicitè sperat; atque confirmat, assignando discrimen inter simoniacum,

& usurarium, quòd neque ille potest licitè sperare aliud quod servitium, vel recompensationem sibi faciendam, tametsi non intercedat alicujus generis obligatio; quia dispensat bona Christi, & Ecclesiæ: iste verò sua mutuando propria bona, potest quidem sperare; at dumtaxat per modum prædictum, quin exposcat tamquam ex cujuslibet speciei obligatione. Quæ hæc major excogitari potest infidelis transmutatio in recitandis textibus, & doctrinis tanti D. Sancti?

484 Rursus ipse Viva ibidem (a) scribit: *Quod attinet ad doctrinam Valentia, & Tanneri, Montaltius in eo famoso libello (jam citato in objectione n. 13.) utrumque criminatur, appingitque Valentia verba quedam (quasi hæc re ipsa hodiè existerent in plusquam 20. editionibus Litterarum Provincialium post primam, quam ipse Author emendavit, à qua proindè abrasit illa: neque dicta hæc sunt ad vindicias libri illius jure merito damnati) quæ si in ejus opere reperirentur, proculdubio deberet dici Valentia Author hujus profligata thesis (45),*

ac

ac laxitatis in hac materia. Verùm, si codices omnes Valentia evolvantur, nusquam est reperire verba, quæ illi appinguntur, nec doctrinam iis verbis expressam: sed solum ab eo docetur (sicut etiam à Tannero) quod D. Thomas docet 2. 2. q. 100. & cum D. Thoma alii Doctores communissimè, videlicet: in iis dumtaxat casibus, &c... At nec Valentia, nec Tannerus, nec alius, cui cor sapiat, usquam docuerunt, in resignatione beneficii, aut universim, licitum esse, dare temporale pro spirituali tamquam motivum, non tamquam pretium... Ac similiter Valent. & Tanner. ex eodem Angelico in aliquibus dumtaxat casibus docent, licitum esse dare temporale in gratitudinem pro spirituali, aut è contra, videlicet quando non præsumitur permutatio spiritualis cum temporali, seu emptio, ut quando ex gratitudine conferuntur Ministris spiritualibus stipendia... aut quando Episcopus confert in gratitudinem Beneficium Ecclesiasticum ei; qui omnino gratis, & absque ullo implicito pacto inservit Ecclesiæ; ut proindè nec conferat in pretium, nec tamquam gratuitam compensationem debitam ex

justitia pro famulatu: quod enim confertur ut debitum; non confertur ex mera gratitudine. His P. Viva injuriosus turpiter valde Angelico est.

485 Imprimis verba Tanneri (a) ejusmodi sunt: *Respondetur, verè & propriè simoniam non esse, nisi quando temporale accipitur TAMQUAM PRETIUM REI SPIRITUALIS, vel contra: quod nimirum fit, quando spirituale pro temporali commutatur, tamquam pro equali secundum existimationem commutantis; ita ut per contractum justitie res spiritualis pro temporali commutatur. Quando verò datur spirituale propter temporale, vel contra, solum tamquam PROPTER MOTIVUM, aut SOLUM EX GRATITUDINE, ET PER ALIQUAM COMPENSATIONEM GRATUITAM, non accidit simonia, saltem in foro conscientia. Quod tamen non obstat, quominus in casibus à jure expressis incurratur simonia, sive ea, quam juris positivi superius diximus, sive secundum præsumptionem externi fori.*

Totus & integer hujus doctrinæ sensus continetur tamen in damnata 45. Eadem in utraque verba sunt, quæ virus efflant, id est, thesis dam-

(a) Ubi sup. à num. 23.

(a) Tom. 3. Theol. Schol. specul. pract. pag. 1519.

damnatæ: *Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium; Tanneri verò: verè & propriè simonia non est, nisi quando temporale accipitur tamquam pretium rei spiritualis: Secùs, quando temporale datur (subdit damnata) dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio: Et Tannerus: Quando datur spirituale propter temporale, solum tamquam propter motivum, aut solum ex gratitudine, & per aliquam compensationem gratuitam. Sed etiam melius apparebit ex his, quæ Tannerus immediatè subjunxit: Respondetur 2. ID ETIAM ad modum explicatum procedere, tametsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: Imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud plaris æstimetur, quàm res spiritualis. Quid nisi ly etiamsi loco tametsi reperies diversum ab ista 46. damnata: Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi SPIRITUALE: Imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud plaris æstimetur, quàm res spiritualis.*

Si ergo *Tannerus*, ut vult *Viva*, aliud non docuit, quàm *Anglicus*, *S. Doctör* modò in duos errores classici, ab *Ecclësia* damnatos, lapsus est. At bonum ei est, quia ipsius vindex est, non *Dominicanus*, sed ipse *Jesuita Tannerus*, qui post recitata verba subdit: *Et si contrarium dixisse videatur S. Thomas, &c. Qui ABSOLUTÈ ASSERTIT, simoniam esse conferre spirituale propter temporale. Audistin? P. Adamus Tannerus non vult Magistrum suæ doctrinæ Angelicum, & ultrò fatetur, sibi esse contrarium: & P. Dominicus Viva viribus rotis vult, tali ac tanto tradere eum Magistro, à quo didicerit suam nobilem doctrinam. Sed veniamus jam ad P. Valentia. Sanè P. Cardenas (a) scripsit: Propositio damnata reperitur, ut jacet, in P. Valentia tom. 3. disp. 6. q. 16. punct. 3. & in aliis Authoribus. Nihilofeciùs Viva, & alii, à tali nota eum liberare conantur subtilitatibus, cavillis, sophismatibus.*

§. II.

486 **I**mprimis sensus illorum verborum,
non

non tamquam pretium beneficii, sed tamquam motivum, quæ addidit M. Paschalis, & propter quæ Viva consentit, quòd procudubio deberet dici Valentia Author hujus profligata thesis, ac laxitatis in hac materia, liquet ex his Valentia conceptis verbis (a): Primus modus, quando temporale est dumtaxat motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; aut è contrario. Secundus est, quando per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali; aut è contrario. His modis cum spirituale datur pro temporali, vel è contrario, vitatur simonia. Quod ita probò, &c. Quis hìc non viderit expressam Propositionem 45. damnatam? Postquam prætenfas probationes produxit suæ doctrinæ, innixas illis duobus modis, tamquam basi solidissima, pergit: Utrouque istorum capite præcipui casus particulares in hac materia dijudicari possunt. Primò enim hinc patet, non esse simoniacam eam consuetudinem, qua videmus recipi à Ministris spiritualibus pro ministerio spirituali stipendium, &c.... Secundò etiam patet, non esse simoniacum, si quis obse-

quium, aut aliquod munus temporale Episcopo impendat spe consequendi ab illo, titulo gratitudinis aliquod beneficium spirituale... sicut Doctores communiter tradunt (uti falsò existimat). Nam similiter (signat rationem) tunc spirituale non spectatur ut pretium obsequii, sed ut COMPENSATIO GRATUITA. Item neque vicissim erit simonia, si Episcopus, ut se liberet ab OBLIGATIONE GRATUITA, SIVE ANTIDORALI, qua TENETUR propter acceptum obsequium ab aliquo, CONFERAT EI beneficium spirituale, &c... Ratio est, quoniam, quod datur ex OBLIGATIONE ANTIDORALI, non datur ut debitum legale ex justitia, sed ex gratitudine. Et ita spirituale non habet tunc rationem pretii. Quid modò dicit P. Viva, dum prætendit, P. Valentiam suam alligasse doctrinam casibus adductis ab Angelico, putà: quando dantur elemosynæ pauperibus, &c. & nunquam extendisse ad materiam Beneficiorum; quo in casu esset impia, & ridicula?

Prosequitur VALENTIA: Ex altero capite, videlicet, quando temporale vel spirituale est TANTUM MOTIVUM, sequitur primò,

(a) Dissert. 27. cap. 2. n. 14.

(a) Tom. 3. quæst. 16. disp. 6. de simonia punct. 3. col. 1646. edit. Venetæ 1608.

donationes alicujus rei temporalis SUB CONDITIONE, ET ONERE CONFERENDI ALIQUID SPIRITUALE, NON ESSE SIMONIACAS, &C.... *Cum actus virtutis offert aliquam utilitatem ei, qui dat pecuniam; COLLATIO BENEFICII, ABSOLUTIO A PECCATIS, &C. facilius quidem tunc præsumi potest simonia....* Caterum IN FORO CONSCIENTIÆ nihil impedit, quominus hujusmodi etiam actibus posset dari pecunia TAMQUAM MOTIVUM DUMTAXAT: tametsi raro, aut numquam in hac re videatur vitari posse scandalum (non dicit simoniam) si id fieri sciatur. Dein cum sibi objecisset: *Quandocumque spirituale datur pro temporali, minime datur gratis; sed apud Dominum idem est, spirituale non dari gratis, & dari simoniacè: ergo, &C.* Respondeo, inquit, spirituale HOC IPSO GRATIS CONFERRI, quod non conferatur pro temporali, TAMQUAM PRO PRETIO, etiamsi temporale spectetur UT MOTIVUM, VEL COMPENSATIO GRATUITA.

487 Ad alteram damnatam, 46. scilicet, quod concernit, ita P. Valentia (a) loquitur: *Dupliciter potest quis conferre spirituale propter temporale PRINCIPALITER, tamquam*

propter finem. Uno modo, ita ut temporale sit apud eum FINIS, NON MODÒ VOLUNTATIS, ET APPLICATIONIS ANIMI AD ACTUM CONFERENDI SPIRITUALE, sed etiam ipsius spiritualis, si videlicet illud temporale aestimet pluris, non modò quàm actum conferendi hic & nunc spirituale, sed etiam ipsum spirituale, quod confert: & tunc omninò committit talis simoniam.... Atque isto modo est vera, &C. opinio Adriani, S. Thomæ.... Altero modo potest quis conferre spirituale PROPTER TEMPORALE PRINCIPALITER, TAMQUAM PROPTER FINEM, ita ut temporale apud eum non sit etiam finis ipsius rei spiritualis (quasi temporale pluris ab eo, quàm spirituale aestimetur; sed tantummodò voluntatis, sive applicationis animi ad actum conferendi spirituale. Et hoc non est simonia; nam tunc non propterea vel tanti, vel pluris aestimatur temporale, atque spirituale Ecceur tunc? tacet.

488 Præterea: *Licitum est, ait (b), pecuniam, aut obsequium conferre in Episcopum causâ conciliandi ejus amicitiam, ut ita demùm is inducatur ad conferendum beneficium digno, &C.* Denique, ut quamplurima omittam ejusdem Valentia re-

testimonia: *Est autem, inquit (a), simonia contra jus divinum & naturale illa, quam initio hujus questionis definivimus, nùm videlicet illud, quod est spirituale, aut spirituali annexum, pro temporali, TAMQUAM PRO PRETIO COMMUTATUR....* Simonia verò contra jus dumtaxat positivum est: *omnis commutatio rerum non gratuita, quam Ecclesia propter cultum & honorem Dei PECULIARITER prohibeat....* Quamvis propriè quidem simonia non sit; tamen rectè nominatur simonia per quamdam analogiam. Convenientia hæc Valentia testimonia evidenter evincunt, sensus & doctrinam ejus laxam esse, atque scandalosam, ab Ecclesia vel expressè damnatam, vel in damnata saltem apertè contentam. Adeoque per summam injuriam P. Viva doctrinam D. Thomæ vult aliam non esse, quàm eam P. Valentia.

Quid? Tannerus, qui Valentiam fideliter sequutus est circa simoniam, obtestatur, S. Thomam sibi contradicere; & Valentia idem satis innuit: & tamen Viva sub venerabili Doctoris sancti pallio conatur protegere illorum laxitatem? Ubinàm S. D. stabilit

binos modos eos, super quibus erigit Valentia totam suarum resolutionum machinam; nimirum, simoniam non esse, quando temporale est dumtaxat motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, aut è contrario: quando per temporale fit solum compensatio gratuita pro spirituali, aut è contrario? Ubi docet: potest quis (absque simonia) conferre spirituale propter temporale PRINCIPALITER, tamquam propter finem voluntatis, sive applicationis animi ad actum conferendi spirituale; cum sint illius principia extremè opposita? Sola regula illa discriminis usurarium inter, & simoniacum, laudata num. 483. in fumum abire jubet prætentam uniformitatem eam sententiarum D. Thomæ, & Valentia. Sola lectura laudati Angelici demonstrat, tantùm abesse à Tannero, & Valentia, quantum veritas longè est ab errore.

489 Sententia D. Thomæ est (b): *Antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem, seu collationem, SIMONIACUM esset adversantium obstacula pecuniâ redimere: sic*

Gg

enim

(a) Ubi suprâ col. 1651. (b) In eodem punct. 3.

(a) Punct. 5. (b) 2. 2. cit. q. 100. a. 2. ad 5.

enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spirituales obtinendam. Rursus (a): Munus a LINGUA dicitur, vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus, vel contrarium evitatur. Et ideo si aliquis PRINCIPALITER ad hoc intendit, simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces pro indigno porrectas exaudit. Unde ipsum factum est simoniacum. Iterum (b): Si sit inhonestum obsequium, vel ad carnalia ordinatum (puta, quia servivit Prælato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi) erit munus ab obsequio, & est simoniacum. Insuper (c): Apud Deum, qui cor videt, simonia est in parvis, & in magnis muneribus, si animus Judicis ex eis flectatur. Et: Qui dat aliquid spirituale pro favore, vel laude acquirenda, NON EST DUBIUM, quin simoniam committat. Tandem, ut brevitati consulam, sic de Beneficiario pronuntiat (d): Si hujusmodi distributiones respicit quasi finem sui operis principaliter inten-

tum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Hæc D. Thoma theses non è regione pugnant cum illis Valentia, & Tannerii? Quo ergo ausu istorum propositiones adscribit Viva tanto Doctori, cujus sententiæ reverentur, & quasi tot oracula à toto excipiuntur mundo Catholico? Apud Vivam Tannerus est magni nominis Author, & Valentia Theologus is omni exceptione major, & alterum ex famosissimis animalibus quatuor Escobarum; ut quid ergo aërem ille verberat, cum hi sibi sufficientiam ad solidam probabilitatem, & praxim? Proh dolor! Vid. Eraniste tom. 2. observat. pag. 236. num. 4. & Dinellium tom. 3. epist. 9. à pag. 661. ad 673.

§. III.

490 **C**ontra Dianam adfirmat La-Croixius (e), quod probabilius sit, esse simoniam, dum pecuniam præbes Titio, ut is intercedat apud Sempronium, ut postea Sempronius intercedat apud Collatorem; quia pretium saltem mediata datur pro benefi-

ficio. Verum continuo subdit (a): Dare pecuniam, non pro intercessione, sed pro labore in eundo, & redeundo ad Collatorem, aut pro damno ideo causato, vel pro lucro cessante, aut pro dispendio temporis, quod ad intercedendum consumitur, & in quo negligitur utilitas aliquin obventura, non est simonia, uti habet communis apud Dianam. Cujus opinionem transcribit de more P. Nicolaus Mazzotta (b), dicens: Si autem des aliquid intercessori, sive mediato, sive immediato, non quidem pro intercessione, sed pro labore, lucro cessante, damno emergente, dispendio temporis, & in eundo, & redeundo, non est simonia: quia ipsa sunt quid temporale omnino extrinsecum. Croix. n. 91. & alii communiter.

Tradere pecuniam pro intercessione apud Collatorem Beneficii, simoniam esse fatentur. Tradere vero pecuniam pro tempore impendendo in loquendo, in intercedendo, pro lucro cessante, & damno emergente, in eundo, & in redeundo, non est simonia? Cur? Quia hæc sunt quid temporale omnino extrinsecum. Itane verò? Fieri ergo potest intercessio sine aliquo

temporis dispendio, sine accessu, & recessu à Collatore? Si quis intercedere debet, loquatur oportet. Mutuè intercessor? Per nutus, & signa intercedet? At & ista, ut fiant, temporis intervallum, accessum & recessum postulant. Verè ridicularia paradoxa. Quis tam stultus, qui non dicat, pecuniam se tradere, non pro intercessione, sed pro tempore, quod infumere intercessor debet in loquendo, in eundo, & redeundo? Lepida hæc, & venusta mihi videntur commenta, nec dubito; quin talia apparere aliis debeant.

491 Permitto, ferri aliorum Probabilistarum sententiam posse, quæ, si major sit labor, qui in officio apud beneficii collatorem obeundo suscipitur, quàm officium postulet, licere; si sit mediocris, aut tantus, quantus ad officium exequendum necessariò requiritur, non licere statuit, quicquam pecuniæ pro parto beneficio dare, vel accipere. Permitto inquam, hanc distinguendi rationem. At ne eà quidem usus est P. La-Croix; nulla enim Grammaticè regula est, quæ verba illa, eundo,

Gg 2

do,

(a) Ibi a. 5. ad 3. (b) Ibidem ad 1. (c) In 4. d. 25. q. 3. a. 3. ad 1. & 4. (d) Quodl. 8. q. 6. a. 1. (e) Lib. 3. part. 1. n. 90.

(a) Ibi n. 91. (b) Tract. 3. disp. 5. c. 3. pag. 235.

do, & redeundo ad collatorem, accipiantur de itinere laborioso, de itinere repetito ad collatorem, aut pluriès collatorem, quàm bis, conventum significant: sicut *itu, reddituque à Collatore*, semel is conventus significatur.

Quin neque tempus, lucrum cessans, damnum emergens, itum, redditum, locutiones, preces, omnia hæc magna esse vult *Croixius*, ut iusta sit causa aliquid dandi & accipiendi; sed modicum, si tenuia, multum verò, si magna sint officia, dandum esse decernit. Ait namque post recitata verba: *Plus tamen dari non debet, quàm sit labor, vel damnum.* Ita ut, semel Collatore convento, non nihil; bis, aut ter convento, paulò amplius tribuatur. Quod quidem rectè congruit cum his, quæ subdit: *Si plus datur v. g. centum aurei, cum labor esset dignus tantum denis, plerique cum Lugo.... censent fore simoniam.* *Rodriguez tamen, & alii dicunt, quòd plus, est censendum dari gratis.* *Sed Diana.... & alii dicunt, hoc ultimum in praxi non esse amplectendum.* *Lugo supra dicit, si protesteris, & sincerè ità sentias, nempe quòd pro labore velis da-*

re decem, sive beneficium obtineas, sive non; & cum scias, quid deceat gratum hominem, te dicere posse, quòd habeas animum, etiam donandi reliquum; sed nolle, ullam de eo obligationem suscipere. Ubi declarat, non aureos centum, cum decem, aut ducentos, cum centum labori debentur, esse tribuendos; quin tamen rejiciat id, quod *Rodriguez, & Lugo* de nonaginta aureorum, cum decem labori satisfaceret, & centum tribuuntur donatione, comminiscuntur. Dicit ergo non potest, *La-Croixium* de labore in repetendis pluribus itineribus ad Collatorem esse locutum, nec proinde de extrinsecis & accidentariis intercessionibus. An potest id negotiū suscipi, quin semel saltè adeatur ad Collatorem; aut, cum semel collator est conveniendus, labor suscipitur, qui ad rem, quæ geritur, non sit affixus?

492 *P. Lessius*, agens de pensionibus, quæ non dantur in titulum beneficii, sed pro beneficio, quæque ex Bulla S. Pii V. omnes annexæ sunt titulo spirituali, & omnes Clerici pensionarii adstringuntur recitare Officium parvum B. Virginis; ideòque nec vendi, nec

re-

redimi absque simonia valent: hæc adjicit (a): *Notandum tamen, ubi Bulla Pii V. de pensionibus est recepta, ibi pensionem esse rem spiritualem. Statuit enim Pius V. ut omnes pensionarii ratione pensionis teneantur recitare Officium B. Virginis; qua ratione pensio revera est quoddam beneficium. Sed plerisque locis hæc Bulla non videtur recepta, quia à plurimis ignoratur; vel etsi sciatur, non est in praxim unquam deducta.* Poterit ergo dici, nullibi esse receptam, quia licet alicubi non ignoretur, fortasse non est in praxim unquam deducta. Unde PP. *Salmanticenses* (b) scribunt hòc modò: *Affirmat autem Lessius num. 129. NULLIBI videri receptam talem Bullam: Qui tamen testantur ex Raphaelè à Torre, in Hispania esse receptam.*

Porro *Salmanticenses*, semper diligentissimi, & nunquam in Casuistas malæ fidei, seu imposturæ, & quorum sanè nihil intererat *Lessii* testimonium corrumpere, aut eum ita interpretati sunt; quia nihil à *Lessii* oratione alienum videtur propter dicta, ac si

diceret, Constitutionem nullibi esse receptam; aut in aliqua operum *Lessii* editione nullibi legerunt, ut facile potuit accidere. Constat enim, nonnulla in posterioribus *Lessii* editionibus à Casuistis, qui suos clanculùm emendare solent, esse mutata. Cujus rei præstò est exemplum apud *Dinnellium* (c). Præterquamquòd *Concina* pluribus ostendit (d), consueße *Lessium* Bullas RR. PP. ideò quod receptæ non essent, parvipendere, & adversus, quàm his Bullis decerneretur, controversias definire. Quæ adnotarem oportuit, nè illius ratione lectores nostri decipiantur, aut cum *plerisque locis* annumeratam velint Hispaniam.

ARTICULUS II.

Ad Beneficia eligendi.

§. I.

493 **A**D Beneficium Ecclesiasticum eligendum esse dignorem *C. Tridentinum* (e) expressè defini- vit: *Eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesie*

Gg 3

sia

(a) Lib. 2. de Just. c. 35. dub. 22. n. 129. (b) Tract. 19. cap. 3. punct. 10. n. 74. (c) Epist. tom. 2. epist. 6. pag. 285. (d) Tom. 7. pag. 494. (e) Sess. 24. cap. 1.

sic MAGIS UTILES ipsi *judicaverint*. Respondet *Tamburinus* (a): *Vel primò videtur per hoc, DIGNIORES, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: Vel secundò, locutione minus propria ponit DIGNIORES, ut excludat indignos, non verò dignos.... Vel tandem tertio, loquitur, quando fit concursus. Et adducit auctoritatem Laurentii Valla asserentis, juniorem, & seniore accipi pro juvene, & sene. Hanc Tamburini, & aliorum Probabilistarum opinionem damnavit Innoc. XI. Prop. 47.*

Tamburinum ut aliquo modo excuset *Viva* (b), advertit, eum vocare sententiam oppositam illi suæ Concilii interpretationi *probabiliorum*. Pape! Hoc unum deerat, ut sententiam in *Tridentino* evidenter traditam, nec tamquam *probabiliorum* recognosceret. Neque illum juvat. Quid enim magnum est, eam verborum Concilii interpretationem, de qua nemo antea cogitaverat, ita probasse *Tamburinum*, ut sententiam, quam verba Concilii suapte naturâ significabant, *probabiliorum* esse concesserit? An eum quisquam

tam ineptum putare poterat; ut quod illi primùm in mentem venit, eratque hujusmodi, ut grammaticorum regulis tantum niteretur, id pro tam certo, & explorato venditaret, ut etiam oppositâ omnium Theologorum, atque adeò ipsius Concilii sententiâ, *probabiliorum*, vel æque *probabile* judicaret? Accedit hinc, quòd cum *Tamburini* sit canon ille: *Cum sententiam quampiam PROBABLEM appello, illud dico, eam te sine peccati scrupulo amplecti, atque in praxi sequi tutò posse*, etiam si se oppositam suæ interpretationi sententiam, *probabiliorum* esse monuisset; nihil tamen impediret, quominus eam interpretationem quivis *in praxi* sequeretur.

494 At *Tamburinus*, *iniquies*, non solum multò *probabiliorum* esse censuit, saltem ad beneficia majora producidos esse digniores; sed etiam addidit: *nec in praxi aliter esse consulendum*, Quid igitur? Nihil est, quod additur. Quoniam si hoc dicere voluit, nullo modo sequi licere interpretationem, quæ dignum, prætermisso digniore, ad *Beneficium* produci permittit, jam sibi non constitit; aut quod

hic

hic scripsit, id cum canone illo suo pugnare non vidit. Sin autem dumtaxat intellexit, *probabilem* quidem sententiam sequi licere; præstare tamen, ut *in praxi* *probabiliorum* teneatur: id quidem non pluris faciendum est, quàm quòd unam *probabilem*, alteram *probabiliorum* appellavit. Hanc enim illi anteferri oportere, ex eo ipso consequitur, quòd *probabiliorum* est. Ex quo intelligi potest, Casuistas plerumque verbis ludere, & tum maximè nihil dicere, cum maximè sibi quidpiam rectè dicere videntur.

495 Fateor quidem, *Vazquezium*, *Sanchezium*, *Lessium*, *Castropalium*, *De Lugo*, aliosque *Probabilistas* oppositam ei, quæ placuit *Tamburino*, defendisse sententiam; neque dubito, quin aliquot aliæ reperiantur morum sententiæ, quas una pars *Probabilistarum* prorsus rejiciat, altera teneat. At hoc non evincit, nullam esse inter eas & *Probabilissimum* cognationem. Qua de re legere potes quæ scripsi n. 1. & seqq. In hac verò, qua de agitur, controversia, manifestum est: nam iidem illi, qui docuisse dicuntur, eligi

oportere digniorem, non negarent, oppositam sententiam esse *probabilem*, ut re ipsa non negare videtur *Castropalaus*, qui, quòd dignior eligatur, *probabiliorum* existimat: & nunc quoque, nisi damnata esset, propter auctoritatem *Tamburini*, & *Filliucii*, qui sunt omni exceptione majores, *probabiliorum* haberetur. Qua de re citatus *Viva* de more commentum, quo damnatæ propositionis 47. vim extenuet, excogitavit. Inquit enim (a):

Cum thesis proscripserit illam interpretationem verborum Tridentini loquentis solum de Episcopatu, non verò de aliis Beneficiis Curatis, aut simplicibus; idcirco qui doceret, quòd in aliis Beneficiis ab Episcopatu, sufficiat promovere dignos in conflictu digniorum, non incurreret pœnas latis contra tuentes aliquam ex Thesis confixis.

Hæc sunt consuetæ blandimenta, quibus *P. Viva* delinire opinionum laxarum damnationem solet. Propositio proscripserit absoluta est: & quamvis mentio ibidem fiat *Tridentini C.* non propterea locus est interpretationi *P. Viva*,

Gg 4

ut

(a) Lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 4. §. 4. n. 8. (b) In Prop. 47. n. 1.

(a) Ibi n. 10.

ut cum *Concina* ego quidem arbitror etiam. Thesis proscripta loquitur de Sacerdotibus, qui ad Ecclesias regendas, nulla aut Parochorum, aut Episcoporum mentione facta, promoventur.

496 Sed & ejusdem *P. Viva* antilogiam appendas ejusmodi. Scripserat (a) : *Nonnulli ut gravem hanc obligationem emollirent, docuerunt sufficere, quod eligantur Pastores DIGNI, ac IDONEI, etiamsi non eligantur DIGNIORES, interpretando verba Concilii, vel quod voluerit eligi DIGNIORES, hoc est DIGNOS.... vel quod voluerit eligi DIGNIORES, hoc est, NON INDIGNOS; vel DIGNIORES, quando fit concursus: in quo casu communiter docent contra Garciam, Ledesma. Navar. Sotum, &c. peccari graviter etiam contra justitiam commutativam, atque adeo dari obligationem restitutionis, si eligatur Dignus, omisso Digniore.* Hinc apparet, quod juxta *Vivam* voluerit *Ledesma*, nec etiam quando fit concursus, peccari contra justitiam commutativam, non eligendo digniorem. Oppositum postea asserit de eodem *Ledesma*. Inquirens enim ibidem (b) : *Utrum eligens dig-*

num, omisso digniore, ad Beneficia, PRÆSERTIM CURATA... PECCET ETIAM CONTRA commutativam (justitiam) & teneatur etiam ad restitutionem? Respondet : *Teneri ad restitutionem digniori, quando fit concursus, docent communiter.* Subdit : *Utrum autem detur onus compensandi etiam damna ipsi digniori prætermisso?* *Cajetanus, Salon, Ledesma, &c. affirmant.* Quare secundum eundem *Vivam*, in proposito casu *Ledesma* obligationem agnoscit veram commutativæ justitiæ, & quidem strictiorem eâ, quam docent communiter : *LEDESMA*, inquam, ipse, qui *Vive* priori testimonio negaverat absolutè. Dices, *Vivam* citasse *Ledesmam*, sicut & *Sotum* apud *Dianam* p. 2. tract. 4. resol. 35. & p. 4. tract. 4. resol. 210. Hoc verè dixisti. At consultò *Diana*, reperies, *Ledesmam* allegasse apud *Thomam Hurtado*, & hic forsan apud alterum quemlibet citabit; quò pactò remitti possemus ab Herode ad Pilatum, quin simus ex veritate.

497 Ad *Sotum*, quod attinet; cum *Viva* nullum designet locum, in quo eam iustineat opinionem; quasi

il-

illum, ubi ex professio *Sotus* hoc ut secundum exterum jus præfatam materiam pertractat, & legi hanc cum primis secundam conclusionem (a) : *De Ecclesiasticis Beneficiis, sacerdotalibusque muneribus, ac dignitatibus, quæ ad Ecclesiarum obsequia pertinent, per justitiæ commutativæ regulas præcipuè censendum est.* Et evincit auctoritate S. Scripturæ, jurisque canonici. Hincque in octava conclusione ait : *Ad*

hoc ut secundum exterum jus fori, canonica, solidaque sit habenda, ac valida electio, satis est eligere dignum. Quis dubitet? Et postea: Addiderim hic, quod qui dignum elegerit, non tenebitur ad restitutionem nec digniori, nec Ecclesie. Deumque in conclusione nona inquit: Quo ad culpam in foro conscientie & Poli, præceptum est eligere digniorem, uti affatim evincit.

QUÆSTIO XI.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

Quæ infringunt Propositiones idcirco damnatæ, 20. 21. 23. 29. 30. 31. 32. 33. 34. & 35. ab *Alex. VII.* 52. 53. 54. ab *Innoc. XI.*

ARTICULUS I.

Officium Canonicum.

§. I.

498 **C.** *Lateranense* sub *Leone X.* sess. 9. statuit, quod Beneficiarius, omittens horas post sex menses ab obrento beneficio, fructus non faciat suos, sed illos prorata omissionis, tamquam in-

justè perceptos, teneatur in Fabricam Beneficii, aut in eleemosynas erogare: & quia nonnullis videbatur, non esse id usu receptum, ideò S. *Pius V.* in sua Constitutione id ipsum confirmavit. Hanc verò obligationem, eum astringere in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, neque illi satisfacere, si officium per alium recitet, quamvis studio litterarum vacet;

Alc-

(a) In Prop. 47. *Innoc. XI.* n. 1. (b) Ibi n. 18.

(a) Lib. 3. quæst. 6. a. 2.

Alexander VII. contra posteriores Casuistas declaravit pro-
scriptione Thesis 20. & 21. Priorem falso, & perperam
tribuit *P. Viva* de more Dominicanis *Petro Soto*, & *Medina*, in fide sui *Sanchezii*,
quem laudat (a).

Porro de *Medina Sanchezii* scribit tantum: *Non abhorret ab hoc Medina*, &c. Et *Viva* liberalissime transcribit: *Soto*, & *Medina* apud *Sanchez* dixerunt, *Decretum hoc esse poenale, ac proinde ante Judicis sententiam non obligare. Quilibet ejusmodi citationis legerit formulam, suavis statim remanebit, laudatos Doctores binos, non obstante constitutione S. Pii V. docuisse absolute laxam opinionem. At Medina* exponendo Pianam constitutionem, nihil amplius præstat, quam refert tres modos, quibus laudata constitutio accipi valeat, nimirum, vel quia non obligat ante Judicis sententiam, quia lex poenalis; vel quia obligat dumtaxat, quum beneficium alia non habet onera annexa, nisi unam divini Officii recitationem; vel quia non obligat, nisi quoad partem omissam. Hoc

autem non est docere absolute, & assertive proscriptam thesim, sed unice modos nonnullos exponere intelligendi mentem Pontificis, quin aliquid decernat, sed alieno relinquat iudicio.

Audiatur *Instructio* ipsa *Mediniana* idiomate Hispanico, quo fuit ab Authore concinnata. Ita enim habet (b):
Ha de considerar el Confessor, si es persona que estaba obligada à rezar el Oficio divino por razon de algun Beneficio Ecclesiastico; porque en tal caso, hale de mandar hacer restitucion de lo que ha llevado del Beneficio. La qual restitucion se hará sabiamente, si se sigue el Confessor por estos documentos. El primero, si la tal persona tiene Beneficio Ecclesiastico, que solo le obliga à rezar, y no à otro oficio ninguno, como si tiene prestamos (praxiomalia), ha de obligarle que lo restituya todo lo que vale el tal Beneficio, o Beneficios, porque lo lleva mal llevado, y sin ningún titulo; digo, que lo restituya todo, o casi to-

do,

do, porque no se ha de haver el Confessor con el con tanto rigor como con un ladron, sino como con un criado de un hombre principal, que porque ha ya servido mal algun poco de tiempo, no le quita todo el salario. Pero si el que no ha rezado tiene Beneficio, que le obliga à otros principales oficios, por los quales lleva principalmente la renta; como si es Cura, el qual confiesa, administra los Sacramentos, dirige su Iglesia, o si es Capellan que està obligado à decir sus Missas; con estos tales haze de haver el Confessor de esta manera. Si por la Capellania tiene el Clerigo trescientos ducados de renta, y ha dexado un año de rezar, hagale restituir cien ducados, que es la tercera parte, y llevese los doscientos por las Missas, que ha dicho, que es el oficio principal à que està obligado; y si en todo el año ha rezado bien, y dexò de rezar pocos dias, como ocho, o diez, no restituya nada, porque es criado de buen Señor, que aunque falte por pocos dias en el servicio

devido, no por esso ha de restituir el salario; y si fuera Cura, como tiene diversos oficios en la Iglesia, si los ha administrado bien, y solo ha faltado en rezar, entonces haga tres, o quatro partes de la renta del Beneficio, y quedese con las tres por los ministerios principales en que ha servido, y la otra restituya, si dexò un año de rezar, y si medio, la mitad, y así proporcionablemente, y si fue pocos dias, no restituya nada.

Ni contra esto hace un motu proprio de Pio V. en el qual se manda, que el Beneficiado, que no reza las horas, restituya à la fabrica del Beneficio, y pòbres lo que vale el Beneficio cada dia, la mitad por Maytines, y la mitad por las otras Horas; porque este mandato entiendo que es poenal, quando el Juez lo mandare; o entiendo quando el Beneficio Ecclesiastico no tiene otra obligacion que rezar; porque en los otros Beneficios, evidente es la doctrina que està puesta. O tiene otra explicacion el motu proprio de Pio V. que se

(a) In Prop. 20. n. 1. (b) Instruc. de Confess. lib. 1. cap. 13. §. 11. fol. 83. in 8. edit. Barcinon. an. 1589.

„ se entienda de aquella parte, que corresponde en el Beneficio à la obligacion del rezar. „

Sanè si *Medina* Confessarium adstringit, ut tenentem Officium divinum recitare ob causam alicujus Ecclesiastici Beneficii obliget; si illud omisit, ad restitutionem fructuum, & proventuum Ecclesiasticorum, quos injustè percipit; quis non viderit quantum distet à thesi damnata, quæ illum à tali obligatione eximebat in foro conscientie ante sententiam declaratoriam Judicis? Pergit postea *Medina* ad instructionem Confessarii, quomodò sese debeat gerere cum Beneficiariis, qui ultra recitationem Officii aliis oneribus subjecti sunt, uti Parochi; & de his decernit, posse partem retinere fructuum, cæteris Beneficii oneribus correspondentium; sicque studet determinare partem fructuum, quam restituere debeant servatâ temporis proportione, quo recitationi Officii defuerunt: Atque hîc, cum sibi objecisset ordinationem *S. Pii*, assignat varios eam exponendi modos jam supradictos.

Hinc, ut ego quidem arbitròr, apertè colligitur extorta *Medina* citatio tamquam damnatæ thesi propugnatoris.

Petrus deindè *Sotus* obiit priusquam *S. Pius V.* ad summum Pontificatus apicem fuisset sublimatus, anno scilicet 1563. suaque Instructio Sacerdotum edita primùm fuit *Dilingæ* annis quinque ante suam mortem, nempe 1558 Ultrò tamen fateor, nonnulla ipsum dixisse sub tali materia, non sanè sufficienter ab eo expensa, quæque tantùm excusari valent quasi dicta transeunter, & perfunctoriè id videtur, absque animo sustinendi ex professo veritatem. Sic enim inquit (a): *Nec illud opus est anxie tractare, an omittens Officium divinum teneatur idcirco ad restitutionem fructuum, quos percipit ex Ecclesia? Hac magis videtur esse pœna, quæ justè à Prælato imponi potest, quàm ut quis ad eam per se teneatur.* Hoc, & aliud nihil est *Soti* effatum in præfata materia.

Posteriorem verò thesim 21. similiter imponit (b) ob fidem *Sanchezii* Magistro *Lopez*, quin,

quin, ut assolet, nec locum, nec nomen producat Authoris aliundè Dominicanus, quia neque potuit: nam *Franciscus Lopez* numquàm scripsit de *re Beneficiaria*, & *Ludovici Lopez* doctrina tam in hac, quàm in alia materia est solida, ac tuta, sicque videri potest aliquatenus rigorosa. Si verò consulatur *P. Sanchez*, quem laudat *Viva*, ibi admirans lego, nomen *Lopezii* esse, non *Franciscum*, aut *Ludovicum*, sed *Gregorium*. *Gregorius* vero *Lopez* fuit natione Sinensis, professione Christianus, atque Dominicanus, & subindè inauguratus Sacerdos anno 1654. Cum ergo scripserit *Sanchezius* anno 1615. vel circa; opus erit, *Gregorium Lopez* disseruisse de obligationibus *Capellaniarum collatararum*, cum adhuc esset Sinensis, & fortè in cunabulis, ac vel etiam antequàm nasceretur, librum suum à Sinensibus finibus in Europam remiserit. Opus suum præcipuum inscribitur: *Tractatus de cultu Confucio, & Parentibus mortuis à Sinis exhibito*. Quis crediderit, ejusmodi libro inseruisse tractatulum de *re Beneficiaria*, atque obligationibus, quibus *Capellani*

tenentur, recitandi Officium Divinum? Præter opus istud, quatuor circumferuntur litteræ sub ejus nomine. Altera ad *P. Couplet S. J.* Ad *Innocentium XI.* altera, tertia ad *Cardinales Congregationis de Propaganda*, & quarta ad *RR. Mag. Generalem O. P.* Ab harum instituto & scopo quid alienius, quàm quærere habentem *Capellaniam collativam*? Et notandum, *Sanchezium* loco à *Viva* laudato ita recensere Authores damnatæ thesi: *Favent huic sententia Gregorius Lopez, Sylv. Angelus, Rosella, ubi referentes hanc sententiam, non damnant eam, sed tantùm dicunt, oppositam sententiam esse tutiorem.* Quod dicere est, hi Authores non approbant laxam doctrinam, sicque rejiciunt. Nihilominus quia dumtaxat contrariam sententiam dicunt *tutiorem*, idcirco inter fautores computantur à *Sanchezio*. At *Viva* absque addito ullo limitativo, sed summa liberalitate eos exhibet absolute fautores damnatæ opinionis, asserens: *Landulfipus apud Sylv. V. hora q. 2. Lucas de Penma, Rosella, Angelus, Lopez, & alii apud Sanchez lib. 2. Conf. dub. 62. docuerunt, posse obti-*

(a) Lect. 4. de vita Clericorum. (b) In Prop. 21. damn. ab Alex. VII. num. 3.

*tinentem Capellaniam collati-
vam, & quodvis aliud Bene-
ficiam satisfacere obligationi bo-
rarum, recitando illas per alium,
si vacet studio litterarum, sal-
tèr quando sufficienter inservit
Beneficio per Vicarium. Verè
defecit Viva scrutans scruti-
nio intelligentiæ, ac exposi-
tionis textus Sanchezianæ. Sed
his quisquiliis derelictis, ec-
ce convertimur ad RR. Probabi-
litas.*

§. II.

499 **I**mprimis P. Tambu-
rinus (a) docet:
*Beneficiarium tenue Beneficium
possidentem, non obligari ex pro-
babili sententia ad horas cano-
nicas persolvendas. Quid ergo
erit, si quando, omnibus ex-
pensis, ambigatur, utrùm be-
neficiam sit tenue, necnè? Resp.
Puto PROBABILE cum Vazquez,
OBLIGARI, & item PROBABILE,
NON OBLIGARI, cum Caramue-
le. Quare alteram ex his sen-
tentiis, quam tibi libet, am-
plecti licet. Rursus (b): Itaque
qui, dum Missam ex præcepto
audit, vel officium divinum
persolvit, questionem philoso-
phicam secum mente voluntariè*

*obvolveret, vel sua negotia co-
gitaret, modò externam atten-
tionem haberet, quia scilicet
non poneret distractiones exter-
nas ejus generis, quas diximus
n. 1. ex probabili dicta opi-
nionem præceptum satis adimple-
ret.*

*Demum (c): Gaudebat qui-
dam Sacerdos, se per inculpa-
bilem oblivionem, matutinum diei
hesterni non recitasse. Et repre-
hendebatur ab alio nimis Reli-
gioso Sacerdote. Huic dixi, po-
tuisse illum gaudere de carentia
illius laboris, quæ tunc nullò
modò peccaminosa fuit, atque
adeò tale gaudii objectum erad
ab omni malita separatum, ne-
dùm separabile. Quid non Tam-
burinum cogit probabilitas? In
dubiis conscientiæ tutior pars
non est eligenda necessariò,
sed quam tibi libet ex pro-
babilibus, amplecti licet? Pro-
babiliter adimplet satis præ-
ceptum persolvendi officium
divinum, qui datâ operâ ani-
mò distracto recitat horas ca-
nonicas; ita ut nullum sit
dubium, recitaveritnè, an
secùs, animo attento inter-
nè?*

*Tamburino concinit P. Geor-
gias Gobat, qui cum dixit
set*

(a) Lib. 1. in Decal. c. 3. §. 7. ver. Beneficiarius n. 2. (b) Lib. 2. Meth.
celebr. Miss. c. 3. n. 6. (c) Lib. 10. in Decal. c. 5. §. 1. n. 2.

*set (a): Probabilius multò est,
essentiam orationis consistere cum
perpetuis distractionibus, seu eva-
gationibus mentis (etiam volun-
tariis) ita Card. de Lugo ex in-
stitutò. Tamburinus lib. 4. in
Decal. c. 2. §. 1. INTULIT (b):
Probabilius est, non teneri ad
ullam restitutionem, qui cum
voluntariis, & perpetuis di-
stractionibus recitavit horas om-
nis.*

*Certè qui datâ operâ men-
tem aliò distrahit, & positivè,
atque animò deliberatò persistit
in hac distractione tempore re-
citationis, re ipsa non implet
præceptum; quemadmodum
non implet præceptum con-
fessionis annuæ per confesio-
nem sacrilegam: ergo restitui-
tionis onere ligatur. Quare
hic ejusdem prorsus conditio-
nis est, ac ille qui non re-
citat. Lex enim Concilii &
Pontificis præcipit recitationem
officii Ecclesiasticam, qualis
certè non est illa, quæ vi-
tiosa graviter est. Quare, ad-
missâ sententiâ, quod necessa-
ria sit attentio interior, quid-
quid dicant Salmanticenses (c),
nullâ opposita sententiâ frui-
tur probabilitate, quam Gobat
dicit, probabiliorem esse: quia*

*per actum voluntariè nullum,
& culpabilem non impletur
præceptum; sed perindè est,
ac si actus non poneretur.*

*Solum itaque reputari pro-
babili potest, ut demissa vo-
ce loquar, ob probabilitatem
Tamburini sententiæ, negan-
tis necessitatem attentionis in-
terioris, de qua inquebat
Caramuel (d): Homo sum, te-
metipsò fragilior, peditus acri,
& igneo ingenio. Unò momentò
calos verso, alterò ad subterra-
nea descendo. Nulla in Oratorio
moveretur musca, quæ mihi non
sit impedimento. Attendere le-
ctioni desidero, & quoad possum
attendo; sed distractiones non
evito, involuntarias millies, in-
terdum etiam voluntarias; &
nihilominus nullò crucior scrupu-
lò, nullò dubiò angor: quia pru-
denter suppono, me ad actio-
nem internam non teneri: eam
habere, bonum esse, & eâ care-
re ne quidem esse levem culpam:
me ad lectionem tantum, & at-
tentionem externam obligari: me
legisse totum, quod Rubrica ju-
bent, ita certò scio ut possim
jurare: ergo me ne venialiter
quidem peccavisse in hac mate-
ria, certò scio, & ita certò, ut
possim jurare. Hæc omnia sup-
po-*

(a) Tract. 5. disp. 11. n. 821. (b) Ibi n. 842. (c) Tract. 16. c. 2.
punct. 4. n. 57. (d) Theol. Fund. n. 442.

ponit prudentia, carnis, quæ inimica est Deo.

Denique, Sacerdos de oblivione matutini gaudere potest? Dictamen practicum, quò Sacerdos concipit, se invincibiliter oblitum fuisse, animum erigere dumtaxat valet, ut speret, se culpam non perpetrasse; secus ut gaudeat, se debitum suum neglexisse; quia securus esse nequit, absque omni sua negligentia oblivionem evenisse. Quis eum certiores fecit, aut facere potuit, oblivionem præfatam re ipsa culpâ caruisse? Cur Sacerdos ipse dubitare non poterat, num quâ suâ negligentia factum esset, ut muneris sui oblivisceretur? An Angelus utrumque monuerat, nè quid dubitaret, eam oblivionem omninò culpâ caruisse? Aliud sanè est delectari de aliquo objecto futuro, præciso ab omnibus circumstantiis, & ab intellectu proposito secundum suam honestatem naturalem, sejunctam ab omni lege prohibente: aliud verò, gaudere de objecto præterito, ad executionem redacto. In hoc casu, cum homo certus esse nequeat, se inculpa-

tè violasse legem prohibentem tale objectum, nequit licitè gaudere de legis transgressione. Gaudium itaque illud malum est duplici titulo. Malum, quia de re materialiter saltè mala, quæ nequit esse honesti gaudii objectum. Malum quoque ob periculum, quòd illa omisio fuerit aliquò modo vitiosa, & imputabilis propter aliquam occultam negligentiam.

500 Quæstio est, utrum peccatum mortale sit absque causa, sed ex sola quadam acidia, ut inquit *Salmanticensis* (a), sese citius expediendi causâ, propriâ autoritate permutare officium longius in brevius, putà recitare officium de aliquo Sancto loco officii de feria, vel de Dominica, & non tantum bis, vel ter, sed quoties libuerit? *Cajetanus* re ipsa negat, lethale peccatum perpetrare eum, de quo est quæstio (b); cumque addit: *Graviter tamen peccant, qui absque rationabili causa hujusmodi mutationes ad libitum faciunt*, tantum significat veniale quidem, grave tamen ejusdem fore peccatum. Eandem sententiam tenuit *Sylvester*

Alex (a): neque video, cur tenere non potuerit, cum nondum edita esset ulla constitutio, quæ officium divinum ex formula, vel ad præscriptum Breviarii Romani recitari juberet; sed dumtaxat ex quadam consuetudine, quæ vim præcepti non haberet, ut ait *Cajetanus*, deberet quisque juxta sua Ecclesie, seu Religionis consuetudinem id dicere pro horis, quod ibi consuevit pro horis dici.

At post editam *Pii V.* constitutionem non amplius licet, aut saltè multò est deterius idem opinari, cum S. Pontifex disertè præceperit, ut omnes Presbyteri, & Clerici seculares, & Regulares utriusque sexus, necnon milites exempti, quibus officium dicendi, aut psallendi quomodocumque injunctum est, ex hujus nostri Breviarii formula, tam in Choro, quam extra illum dicere, & psallere procurent. Certè levior est ea *P. Valentia* interpretatio, quam ut à gravi Theologo probari possit. *Cajetani* enim amplectens sententiam, argumentumque sibi opponens (b) ex *Pii* constitutione petitum, inquit: *Possèt nihilominus ad hoc responderi, illud*

verbum, secundum formulam hujus Breviarii, referendum esse ad formulas aliorum Breviariarum, quas potissimum volebat *Pius V.* explodere; ita ut sensus sit, dicendum esse secundum formulam hujus Breviarii, non alterius; Quod fiet, quamvis in festo dicatur de feria, si tamen per hoc Breviarium. Itaque manere potest PROBABILIS opinio *Cajetani*. Cæterum hujus opinio, sicut & *Syvestri* nihil favet sibi aliisque novis *Casuis* qui post laudatam constitutionem scripserunt de hac controversia; cum illi idcirco negarent, lethale peccatum committi ab eo, qui officium ferie cum alio de Sancto arbitrato suo permutaret, quòd determinatum officium, ut ait *Sylvester*, non esse in præcepto; atque adeò improbarent sententiam novorum Casuistarum, qui jam impositum præceptum aut negligunt, aut ineptè interpretantur.

501 *Quin, P. Leander à SS. Sacramento* defendit, & pro ea refert *Caramuelem*, damnatam ab *Alex. VII.* thesim 34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto; & nihilofecius optimè

Hh

rà-

(a) Tract. 16. c. 3. punct. 14. n. 18. (b) In Sum. ver. Hora 9. quoad secundum.

(a) Ver. Hora. (b) Tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 10.

ratiocinatur (a) ita: *Respon- deo dicendum, quòd vel PROBABI- LÈ sit dicere, solum esse ve- niale, communiter & regulari- ter loquendo, recitari sine ur- genti causa officium Resurrectio- nis ea die, quâ juxta Rubricas Breviarii recitandum erat de feria, aut de Sancto; vel non sit PROBABI- LÈ, quòd possit quis absque mortali dicere officium alicujus Sancti loco ferialis.* Sed prima opinio est damna- ta: ergo & secunda, cujus est confectarium necessarium, & in qua includitur, ut fatetur ipse *Leander*. Idem quippè principium regit utramque sen- tentiam, videlicet, quòd præ- ceptum recitandi officium spe- cter dumtaxat septem Horas canonicas; & reliqua omnia pertineant ad ritum acciden- talem, & cæremonialem, cu- jus transgressio levis est. At ex propositione damnata ad- ducta constat, ritum recitan- di præfatas horas, rem gravem esse. Igitur damnata est ratio ipsa, qua utraque opinio ni- titur. Abeant ergo *Lesius*, *Valentia*, *Vazquez*, *Azorius*, uterque *Leander*, & alii, quos citant laudati *Salmanticenses* (b), pro sententia negante,

committere peccatum mortale, qui absque justa & urgenti ratione unum officium pro alio recitat. Nec enim cæremonia hæc est de re leviori; sed est grave mandatum, quod, sin- substantiam ipsam, ordinem tamen potissimum, & præci- puum, quo persolvendum of- ficium est, spectat. Peccatum igitur est, sine necessitate tale- m interturbare ordinem si- ve semel, si ve bis in anno. Inanis quippè est quorum- dam, quos laudat, & non re- jicit *Viva* (c), opinio, quâ statuitur, licitum esse ter, vel quater in anno officium bre- vius pro longiori recitare. Præceptum enim grave est, & in re gravi: ergo unica il- lius transgressio, & non so- lum frequentia, mortalis est. Sed si contrariam sententiam *probabilem* vocant citati *Sal- manticenses* (d), in vanum la- boraverunt pro nostra. Illam nihilominus nulla frui proba- bilitate, potissimum post *Bul- lam S. Pii V.* & propositio- nem damnatam ab *Alexandro VII.* suprâ relata, certum est ob jam dicta.

§.

(a) Tract. 8. disp. 4. quæst. 45. (b) Ubi suprâ. (c) In Prop. 33. *Alex. VII.* n. 2. (d) Ubi suprâ n. 20.

§. III.

502 **C**ONVENIT penes Theologos fer- mène omnes, culpam venialem perpetrare eum, qui vel ni- mium anticipat, vel postpo- nit Officium divinum, putà, si recitaret *Primam* tempore *Completorii*, vel contrà. *Pel- lizarius* tamen cum *Sanchezio* contendit contra communem DD. sensum, solam majorem commoditatem sufficere, ut quis valeat vel anticipare, vel differre Officium divinum. Verba illius sunt (a): *Quam- quam qui recitat toto eo tempo- re intermedio, satisfaciat obliga- tioni quoad substantiam, quan- tumvis antevertat, vel postpo- nat tempus singulis horis assig- natum (ut si Primam recitet post occasum Solis, vel Vesperas ante prandium) adhuc ta- men non peccat mortaliter, estò id faciat sine causa: imò nec venialiter, si ex causa, licèt minus gravi, ut itineris, com- modioris studii, prævisæ occu- pationis, amicorum interpella- tionis, majoris quietis, devo- tionis, &c. Quæ causæ non continent in se, nisi majus*

commodum, v. g. quòd ami- cus sit conveniendus, quòd tempus matutinum studio, ves- pertinum his precibus funden- dis aptius videatur. Rursus (b): *Dixi, EXCEPTO MATU- TINO: quia quòd attinet ad re- citationem matutini, & lau- dum, ex consuetudine ubique recepta ea possunt recitari tam æstate, quàm hyeme post Ves- peras, & Completorium diei præcedentis publicè recitatos.... Ita Filliucius tract. 23. n. 274. addens, ad anticipandum ma- tutinum modò suprâdicto quam- libet causam sufficere, qualis est major commoditas studii, lux diei, & major securitas ani- cipandi.*

Hujus est simile testimonium *Sanchezii* (c): *Si horæ Canonicae justa de causa non recitentur de- bitis horis, sed præponantur, vel postponantur, nulla est culpa: Si citra causam justam, est pecca- tum veniale. Nota, causam ju- stam esse, & à culpa immu- nem reddere, si Scholasticus dif- ferat horas in vespertinum tem- pus, eò quòd matutinum est aptum studio, non autem ves- pertinum; hoc verò est aptum ad recitandum. Sic Navarrus &c. Et de matutinis precibus*

Hh 2

ita

(a) Tom. 2. tract. 5. c. 8. sect. 2. q. 20. num. 102. (b) Ibi num. 103. (c) Lib. 7. Consil. c. 2. dub. 36. concl. 2.

ita differit (a): Hoc supposito, circa horam recitandi matutinum convenit inter Doctores, posse recitari vespere matutinum diei sequentis propter rationem dictam. Quod idem probari videtur ex generali consuetudine. Dicunt tamen plures Doctores, esse peccatum veniale recitare vespere, nisi adsit justa causa. Sic D. Thomas Quodlib. 5. n. 28. Angelus V. Hora n. 21.... Et quidam Recentior valdè doctus Magister addens, sufficere causam justam, quæ inducat, non tantum necessitatem, sed etiam commoditatem.

Porro Angelicus loco à Sanchezio citato hæc habet: Consideranda est intentio ejus, qui prævenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscumque horis Canonicis. Si enim hoc facit propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentia, & voluptati vacet, non est absque peccato. Si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum honestarum occupationum, puta, si Clericus, aut Magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud ejusmodi, licitè potest de sero dicere matutinas, & in aliis horis Canonicis tempus prævenire.

Ubi Angelicus non solum matutinas preces à diurnis non distinguit, sed etiam disertè negat, eas pridè Vespere recitari posse, nisi justa sit causa, cur Deo repræsententur. Nihil autem moror illius docti Magistri, quem Sanchezius memorat, & quasi Angelico consentientem inducit, qui diceret, sufficere causam justam, quæ inducat non tantum necessitatem, sed etiam commoditatem; hoc est enim corrumpere, non interpretari D. Thomæ doctrinam, qui etsi causam non postulet, quæ afferat necessitatem, talem tamen postulat, quæ non contineat in se solam commoditatem: quod quidem non solum rationi consentaneum est, cum idem omninò sit, licere commodi causâ, ac nulla de causâ licere divinas preces, aut maturius persolvere, aut in longiorem horam differre. Utrum autem hæc Sanchezii verba: Dicunt tamen plures Doctores, esse peccatum veniale recitare vespere, nisi adsit justa causa, significant, sententiam, quæ nullam requirit justam causam, sed satis esse docet solam commoditatem, communem esse omnium Docto-

cto-

ctorum; an contra declarent, plures Doctores eidem adversari? nec definitio. Nam quòd Sanchezius omnia turbet, & sententiæ, quæ justam causam requirit, fautorem esse dicat doctum illum Magistrum, qui causam postularet, quæ in se contineret solam commoditatem, id quidem pertinet ad eam diligentiam, qua Doctorum sententias explicare consueverunt Probabilistæ.

503 Adfirmat communis opinio: si Beneficiarius, qui restituere debet fabricæ sui Beneficii, vel pauperibus (neque enim restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque elemosinas, ut definitum est ab Alex. VII. Prop. 33.) pauper revera sit, licitè fructus illos restituendos applicare sibi posse. Leander (a) verò scribit hoc modo: An si Beneficiarius ipse, qui debet restituere fructus, sit verè pauper, possit sibi eos applicare? Probabilius respondeo, posse eos sibi applicare (saltem de consilio sui Confessarii) tamquam uni de pauperibus. Sic Navarrus de Orat. Ec. & Laymann apud Bonacinam, Corr. quæst. 5. §. 4. n. 21. Qui ad-

dunt, eadem dicta ratione id extendi posse ad matrem, fratres, & sorores, non solum si sint mendici, sed etiam si necessariis ad decentiam personæ, & statûs careant. Quod additamentum laxitatem addit. Admissa enim hac doctrinæ extensione, vix dabitur casus, quò pauperes non domestici quidquam horum fructuum, aut Beneficii fabrica percipiant. Quin, si Beneficiarii quotidie negligant preces canonicas, omnesque fructus restituere debeant; tot non habebunt fructus, quot sufficiant ad decentiam maris, fororum, fratrumque sustinendam. Quò namque nobiliores sunt Beneficiarii, uberioresque eorum redditus; eò splendidior, fulgentiorque domesticorum est, & consanguineorum decentia, quæ pluribus, & ditioribus redditibus indiget. Miramur, dum passim videmus, Beneficiarios fructibus Beneficiorum suos ditare consanguineos. Verùm tam sacrilegæ corruptelæ in causa non modica sunt laxæ Casuistarum opiniunculæ, quibus scatenent eorum libri, à quibus legendis ut abstineant, Ecclesiasticos Beneficiarios admonemus.

Hh 3

(a) Ibi dubit. 37. num. 2.

(a) Tract. 8. disp. 7. quæst. 30. pag. 329. edit. Lugdun. 1678.

mus. Plus præstare nequimus.

§. IV.

504 **P**Rætermittere propterea non possumus, *P. Vivam* adnumerasse (a) ex suo *Diana* cum assertoribus thesisi 54. proscriptæ ab *Innoc. XI. N. Vincentium Candidum*, non sine injuria: Nam re ipsa non illam propugnat; quin, directè contrariam. Nec alia ei valet imputari culpa, quàm vocasse *probabilem* sententiam, quam refutat aliundè. Veniã profectò digna culpa, & compassione, cum scripserit in illo tempore, quò fervente opinandi æstu, & conclamantibus undiquè acerrimis Probabilissimi Patronis, vix licebat Theologis solidioris doctrinæ, in oppositam descendere opinionem, eamque pro virili tueri; sed carpere sententiam eam, quæ tunc *benignior* (re vera laxior), & ideò universim *probabilis* dicebatur, fas certè non erat. Quomodò igitur eo ex momento potest inter Patronos damnati commenti tam insignis Vir, S. Palatii Apostolici Magister ad-

gregari? Et quidè tunc temporis, cum *Viva*, *Palauus*, & consequenter *Lessium* vult à certa liberare damnatione, subdens: *Sed Palauus laudans Lessium solùm loquitur de infirmo, de quo non pauci docent cum Suarez, Garcia, Rodrig. Sanchez, quòd si non possit majorem Officii partem recitare, non teneatur ad partem, quam potest. O meum, & tuum verbum frigidum!*

Legito in fonte locum ipsum à *Diana* adductum, ubi *Castropalauus* quæsitum sic conficit (b): *An si ex infirmitate, vel SUPERVENIENTE OCCUPATIONE, impotens sis recitare totum officium, tenearis recitare illius partem?* Et recensitis aliquibus de hoc opinionibus, introspicietis absolutum ab eo pronuntiatum (c): *Ego verò dicendum existimo: IMPRIMIS te non esse obligatum recitare illam horam, cujus notabilem partem debes omittere, &c. DEINDE, Potentem recitare majorem partem Officii, sine dubio ad illam teneri, &c. Pòst de nostro casu ita decernit (d): Dico, mihi PROBABILIOREM esse sententiam Navar. & Lessii asserentium, te non esse obligatum*

Of-

(a) In prop. 54. *Innoc. XI. n. 1.* (b) Tom. 2. disp. 2. punct. 6. n. 4. (c) Ibi n. 7. (d) *Ibidem* n. 9.

Officium recitare, si majorem partem non potes. Quo fundamento? ipsomet in damnata thesisi expressò. Tum, inquit, quia major pars trahit ad se minorem: tum, quia ita videtur esse consuetudine receptum, nè infirmi, & debiles, VEL ALII IMPEDITI, scrupulis, & perplexitatibus vexentur.... Nè igitur perplexus sis, ab omni hora videris excusatus, cum majorem Officii partem recitare non potes: v. g. cum non potes recitare Matutinum cum Laudibus; quia hæc est pars major, & præcipua Officii. Rationes hæc nonnè omnes respiciunt, atque defendunt illos, qui quodcumque possunt habere legitimum impedimentum ad non recitandum Matutinum, & Laudes? Et hæc *Castropalau* doctrina, quæ, ipso judice, est *Lessii*, numquid eadem ipsa non est, quæ in prædicta 54. propositione fuit confixa? Non vincet *Viva*, cum iudicabitur.

505 Neque justificatur in sermonibus suis, quibus *Paludano*, & *Sylvestro* inter alios imponit has doctrinas (a): *Quod si quis semel in anno confiteatur ita exterius (vel communicet) ut Sacramentum Pœnitentiæ (seu*

Communions) non recipiat, eò quòd omittat confiteri peccata merè interna, vel quia omittit internum dolorem, aut propositum necessarium, adhuc satisfaciat præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ (aut Communions).... Et eadem ratione docent, Beneficiarium, qui recitat exterius horas canonicas ab Ecclesia præceptas absque ulla attentione, quamvis peccet contra divinum præceptum de alloquendo in oratione Deum attentè, ac devotè, non peccare tamen contra præceptum Ecclesiasticum, unde non teneatur ad pœnam ab Ecclesia impositam, quæ est fructuum restitutio. Profectò eadem est ratio in hisce tribus Ecclesiasticis præceptis.

506 At fallit, aut fallitur de more *P. Viva* in hujusce doctrinæ attributione *Paludano*, atque *Sylvestro*. Primus quippè nullibi laxissimam eam doctrinam tradidit, quin pro opposita laudatur à *S. Antonino* docente (b): *Si dicendo horas, aliis exercitiis manualibus se occupavit, ut faciendo coquinam, & hujusmodi, videtur mortale: quoniam non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Et si mente circa alia vagatur voluntariè, non curans, & sic*

Hh 4

qua-

(a) In Prop. 14. *Alex. VII. n. 1.* (b) In *Confess. 3. p. inter. cap. 11.*

quasi per totum Officium, videtur mortale: & scis, si proponat velle attendere, & distrabitur; sed cum adverterit, displicet ei. Ita PETRUS DE PALUDE. Si iste negat, eum satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui voluntaria distractione recitat Officium canonicum; quis umquam dicere potuerit affirmasse, voluntaria Confessione nulla, vel Communione sacrilega satisfieri Ecclesiæ præcepto de annua Confessione, ac Communione?

507 Similiter scribit Sylvester (a): Si aliquis, inquit, scienter se occupet in actu exteriori, qui non secum patitur attentionem, sic videtur esse mortale peccatum, & directè contra præceptum, d. c. DOLENTES, ubi præcipitur, ut STUDIOSÈ PARITER, ET DEVOTÈ dicatur, quod non observant, qui se occupantes in actu exteriori, scienter sibi attentionem subtrahunt. Quartum. S. Thoma quod prædictum intellectum dedit PETRUS DE PALUDE in eadem d. per hæc verba: QUANDO QUIS MENTEM EX PROPOSITO distrabit AD ALIA IN ORANDO, SINE CULPA NON EST.... ET SI MENS AD CONTRARIUM EVAGE-

TUR, ERIT CULPA MORTALIS, &c. Jam nauseat super citationibus istis levissimis P. Viva. Vide scis Catal. de Mag. Sacz. Palat. pag. 109. & 169.

ARTICULUS II.

Auditio Sacri, & observantia festorum.

§. I.

508 **D** Iris devovit Innocent. XI. thesi 53. adfirmantem opinionem, satisfacere præcepto audiendi Missam, qui duas medietates Missæ simul eodem tempore audiat, putà medietatem unius Sacerdotis usque ad consecrationem, & alteram medietatem alterius Sacerdotis celebrantis à consecratione usque ad finem: Quam plures (inter quos est Baunius), quos refert, ac sequitur Diana, tenuerant, ut ultro fatetur P. Viva (b). Sed notandum, Casuistas istos, ut constat ex Leandro (c), hanc opinionem ita defendebant, ut dicerent, in praxi non esse sequendam. Quod si perinde valeret, ac eam non docere; aut damnata pro-

propositio nullius esset Casuista, aut imposturæ reus esset Innocentius XI. qui hanc Casuistarum damnavit opinionem, quam illi in praxi sequendam esse negabant. Et hinc confirma hoc, quod notatum est à nobis n. 19. Quid sibi velint Probabilista, cum dicunt, opinionem in praxi non esse sequendam.

509. Quid verò, si Confessarius pro pœnitentia præscriberet tres Missas audiendas? possè eodem tempore omnes audire? Probabilissimum est, inquit P. Viva citatus, ut docent communiùs. Et confessus est, & non negavit (a); cum tamen hæc opinio aliis improbabilis omninò videatur, quia legem circumvenit, imò eam deludit. Confessarius, qui tres audiendas Missas præscripsit majorem se imponere pœnitentiam intendit, quàm si unam, aut duas juberet. Porro tres Missas eodem tempore audire, non est major pœnitentia, quàm unicam audire. Nemini Christianorum, lumine naturali judicanti, hæc Casuistica opinio in mentem veniret. Qui tam severà economiâ tributa Deo debita solveret, nescio quò animò di-

vitias Misericordiæ divinæ copiosas sperare valeret.

510 Similis est & altera, quam proponit, & resolvit P. Gobatus (b) dicens: *Quæres, an si cæcus deductus in sacram edem ad Sacrum audiendum putet, illud inchoatum iri primum post dimidiam horam; incipiat autem mox post ingressum ejus, IGNORANTIS penitus quid agatur. Quæres, inquam, an EXPECTANDO INTEREÀ avidè Missam, audiat nihilominus moraliter illam? Resp. vel habet hanc intentionem, SI FORTÈ FIAT CITIÙS SACRUM, QUÀM PUTEM, VELO ESSE UNUS DE NUMERO LAICORUM SACRO ADSTANTIUM, SEU EI INTERESSE QUANTUM IN ME EST: vel non habet ullam talem intentionem. Si nullam, tenebitur audire aliud: nec enim censeris moraliter interesse actioni, & quam ignoras exerceri, & cui non cupis interesse. Si habet, nihil officit ignorantia, nam haud impedit, quominus hypothetica voluntas transeat in absolutam. Hæc retuli, non ut refutem (quoniam nullo impugnante corruunt), sed ut identidem palàm fiat, quousque progrediatur benigna quorundaam Theologia. Relatam enim opinio*

(a) In Sum. V. Hora canonica num. 13. (b) In Prop. 53. Innoc. num. 1. (c) Tract. 2. disp. 1. quæst. 56.

(a) Ubi supra n. 5. (b) Tract. 5. n. 115.

nionem prorsus improbabilem reputo: quia, si sola intentio assistendi Missæ, moraliter præsentem constitueret volentem audire Missam; posset hæc ratione quis domi suæ sedens, Missæ præceptum implere.

511 Quid? Unus La-Croix, quasi virtute sui Probabilismi quiescere videretur facere dies festos Dei à terra, sermones prompsit sequentes (a): *An opinio, quæ arctè satisfieri (præcepto) si successivè audiantur duæ medietates (Missæ), sit adhuc probabilis: uti v. g. si quis ad elevationem unius Missæ veniat in templum, & postea audiat sequentem Missam usque ad elevationem tantum? Dicendum est, opinionem illam adhuc manere probabilem. An autem ille, qui per longum tempus confitetur, Missam audiat, variæ sunt sententiæ.... Alii dubitant... Alii absolutè negant.... Alii absolutè affirmant.... Alii distinguunt... Omnes hæc sententiæ sunt probabiles. Multi negant, propter lucrum notabile posse omitti Missam: adfirmant tamen Azor. Basf. Ford. Tamb. n. 7. Gob. à n. 492. qui etiam putat, si sis tenuis for-*

tune, te excusari ob lucrum ducrum ducatorum; si sis verè pauper, unius ducati; quia hoc lucrum respectu illorum est notabile, quò non censetur Ecclesia velle eos privari. Si Missam negligas, ut iter agas cum aliquo, qui faciet expensas itineris, aut multum sublevabit, excusant te Suar. Dicastil. & alii cum Gobat. Imò (secundum aliquos) sola derelictio Sociorum itineris videtur esse causa sufficienter excusans.

Auriga, qui per consuetudinem habent jus vehendi aliqua die festo, etiam habent jus omitendi Missam, si hæc audità vehere non possunt.... Addunt aliqui, etsi tu posses vecturam omittere sine notabili damno; tamen plerisque non posse; & ideo te posse cum illis uti privilegio consuetudinis.

Præmiserat verò (b): An peccet mortaliter, qui die festo mandat sex famulis, ut singuli unà horà laborent? Respondeo, si mandat ut laborent simul, conclusò scandalò, est veniale tantum. Et uti Buscbaum (c) interpres: Excusat item, ait, saltem à gravi peccato, parvitas operis, seu temporis. Unde grave non videtur unà horà labo-

borare (die festo).... Imò durum videtur, mortalis damnare, si quis duas, aut tres horas impndat. Plures alias recensere possem similes propositiones, quas deferunt Hispani Præsules, laudati numquam satis (a). Sed ex iis, quas descripsi, pluribus aliis præteritis, colligere facilè lector valet, quantà cautione legendi sunt Authores, qui dicuntur benigni: quoniam iisdem principiis, ex quibus præfatas eliciunt propositiones, cætera dubia, quæ in festorum occurrunt observatione, resolvunt.

Profectò præceptum servandi festa obligat sub mortali, etiam sepositis scandalo, atque contemptu, ut decernit Innoc. XI. Prop. 52. Ecurr ergò, etiam his remotis, quidquid sit de peccato famulorum, herus præcipiens laborem prædictis sex famulis, si ve simul, si ve successivè acceptis, non peccabit mortaliter? suo enim mandato jubet servilia opera, quæ licèt divisim accepta, respectu servorum sistant intra limites materiæ levis unius horæ, & interrumpantur utique physicè; at simul sumpta, ut cadunt

sub unico Domini imperio, moraliter uniuntur; quia qui per alium facit, per se ipsum facere videtur: sicque gravem quin gravissimam, non jam unius, duarum, vel trium, sed sex horarum materiam constituunt, & consequenter culpam lethalem. Præcipiendo quippè præfatum laborem, offensam Deo irrogat, & Reipublicæ Christianæ; eo quòd tempus furripit, Deo, & Christianorum spirituali profectui consecratum.

512 Sed norandum, nullam P. Vivæ fidem esse adhibendam, dum suo more falso crimine temerat Card. Turrecrematam, ei putasse imponens (b), quòd præceptum jejunandi, ac audiendi Missam die festo, non obliget sub mortali.

ARTICULUS III.

Jejunium.

§. I.

513 **P**lurimorum doctrina est Probabilistarum, quam P. Sporer, aliique probabilem profitentur, sufficere ad Ecclesiasticarum legum adimpletionem actus præ-

(a) Tom. 1. lib. 3. part. 1. de observ. fest. nn. 611. 655. 681. 682. 684.
(b) Ibi nn. 580. & 583. (c) Lib. 3. tract. 3. c. 3. lib. 2. septima causa.

(a) Cit. monum. pag. 61. & 62. (b) In Prop. 27. Alex. VII. n. 3.

præcepti executionem, quamvis sine ulla attentione interna: atque innixa est illo principio etiam *probabili* apud ipsos, *actus interni non subjiciuntur Ecclesie*. En modo consequentiam, quam famosus Probabilista *Caramuel* deducit, & horruit, nimirum, *actus externi, & occulti per accidens, non subjiciuntur Ecclesie*. Ita enim philosophatur (a): *Ratio, quæ suadet priorem, etiam persuadet posteriorem: & quæ hanc posteriorem impugnat, priorem etiam invadit: ergo vel utraque debet admitti UT PROBABILIS, vel utraque rejici UT IMPROBABILIS*. Sed utrâque idcirco admittendâ tamquam *probabili*; quæ non consequuntur absurda? Admissâ, *subdit ille*, hac probabilistica doctrina, quæ debet admitti, nisi abrenuntietur Probabilissimo, *actum esset de tota, aut ferè tota Superiorum autoritate. Subditi obedirent ad oculum, & privatim omnia mandata Ecclesiastica, aut Secularia temerarent. Nemo peccaret, qui secretò carnes comederet diebus vetitis: nemo, qui diebus jejunii secretò comederet tertio, vel quarto: nemo, qui secretò omit-*

teret Officium divinum. Nimia omnia, & improbabilia; & tamen legitime illata ex hac doctrina probabili. Nè mirere jam sequentia, quæ ex uno impresentiarum subjicimus *Tamburino*, cum ut finem accipiat sermo, tum quia *P. Zeccaria* (qui hujus Authoris operum editionem curavit novissimam illustrare annotationibus, non tamen correctionibus, plurimumque cancellatu, ut debuerat) in monito ad Lectorem Typographi nomine habet: *illud certum est, paulò severioribus doctrinis indulgisse illum, in iis præsertim, quæ ad JEJUNIUM spectant*. Recole num. 444.

514 Hæ sunt *Tamburini* Theses (b): 1. *Dispensatus ad carnes edendas liber est à jejuniò, &c.* Ratio est, quia ad actionem quampiam quis teneri non potest, si ad id, quod est de ejus essentia, non obligatur. Hinc illi, cui conceditur ob dispensationem carnes, licet serò cœnare: imò pluriès in die se reficere; quia ab obligatione jejunii jam est solutus. Omitto Authores à *Tamburino* laudatos, quia vidimus jam, plures saltem allegari falso in
fa-

favorem laxæ opinionis. Hac interdicta est jam à *Benedictò XIV.* binis diplomatibus, quorum memoriam & observantiam injunxit SS. D. N. *Clem. XIII.* die 20. Decembris ann. 1759. alio, quod incipit: *Appetente*. Et nihilominus liberimè absque nota ulla finitur in libris reimpressis. Recole dicta num. 17.

2. *Eodem modo dispensatus ad carnes eo die, quo ex libito carnes non manducat, non obligatur jejunare, sed licitè potest sapius comedere, sive dispensatio fuerit circa præceptum, sive circa votum. Aliqui distinguunt, conceduntque prædicta, si dispensatus fuerit quis ad carnes propter virium debilitatem: at si fuerit dispensatus ex eo, quod cibi quadragesimales sunt ipsi nocivi; eo die, quo carnes non comedit, non poterit jejunium frangere, & pluriès comedere, quia, &c.* Ita *Th. Sanchez*, alique apud *Dianam*. Sed hæc sententia non probatur *Tamburino*, qui paulò severioribus doctrinis indulgit. Decernit enim: *Ex vi hujus discursus acquiescerem huic distinctioni. Verum ex alio capite fit PROBABILE, in utroque casu ejusmodi dispensatum posse pluriès comedere. Ita Henrig.*

Rodrig. Azorius, alique apud Joan. Sanch. &c.... Quod si quis dispensetur ex mera liberalitate Pontificis; adhuc puto, posse serò comedere QUODLIBET, si manè pisces comedit. Secundum doctrinam hanc declaratam *probabilem*, qui dispensatus est ab usu ciborum quadragesimalium, quia continuatio istorum est ejus nociva salutis; poterit in tota Quadragesima comedere toties, quoties ipsi placuerit, etiam in iis diebus, in quibus, ut mos est fidelis Christiani omnis, abstinet se à carnibus, sicque in omni feria sexta mensis Martii, ac vel Parascevens, nullum jejunandi contrahet debitum.

3. *Qui inadvertenter in die jejunii non contemnendam carniū quantitatem fortè comedit; si errorem postea advertat, non obligabitur jejunium servare. Ita Basil. Pont. contra Manriq.* Sua inadvertentia in carniū esu eum deobligat à jejuniò per totum illum diem. Etiam hæc erit doctrina paulò severior? Sed en & alias nec minus severas.

4. *Dispensatus ad carnes potest simul comedere pisces: quia nulla lex adest, quæ hæc simul comedere prohibeat. Adest modo lata à Benedictò XIV. hanc quo-*

(a) In Theol. Fund. n. 702. (b) Lib. 4. in Decal. c. 5. §. 1. nn. 2. 4. 5. 6. 8. 16. 20. 24.

quoque thesim prohibente.

5. *Dispensatus ad unum genus carniū, v. g. ad gallinas, poterit quascumque carnes comedere, laridum, sarcimen, porcinam, &c. Ratio est, quia una est, & individua omnium carniū prohibitio. Et nec dispensatio D. Papæ potuit eam dividere?*

6. *Probabile est, sagimen existimari inter carnes; ut item (probabile) non existimari, sed esse numerandum inter lacticia: idē PROBABILIS etiam erit utraque sententia, atque adē posse recipi in jejuniō, & posse ab eodem rejici. Ita multi apud Henriq. Hōc pactō, ubi est vel consuetudo, vel dispensatio ad lacticia in Quadragesima, utens opinionis probabilitate poterit & sagimen, & saginatum cibum edere.*

7. *Controversia est, an lacticia sint in jejuniis prohibita? Si loquamur de jejuniis infra annum, vigiliarum nimirum, vel quatuor temporum, PROBABLE EST, non esse jure interdicta. Post varia circa Quadragesimam dicta, concludit: Quid ego tandem sentiam, noli à me expectare, amice Lector, donec clarior declaratio Summi Pontificis accedat, vel firmiter*

usus fidelium alterutram sententiam amplectatur. Obscura sibi visa est proscriptio thesis 32. edita ab Alexandro VII.

§. II.

515 **D**Eindē (a) 8. *Licet bibere (intra diem jejunii) vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis, vel eodem vino distillatas: ita Antonius de Leon. etiam de mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem jejunii. Ita Laym. Sanchez, Dian. Lezzan. Fagun.*

9. *Puto (chocolatam) non esse veram potionem, sed cibum, atque adē frangere jejunium. Ratio, ut mihi videtur, efficax sic formatur, &c. & diffusē firmat. Ecce jam hic dicitur quædam Tamburini doctrina paulō severior. Sed persequamur, & videbitur, suam severitatem totam resolvi in fumum gratiā Probabilissimi. Quæ hætenus, concludit, de chocolata disputavi, vera mihi videntur PROPTER RATIONES INTRINSECAS. Cæterum, quia video viros pios, religiosos, ac doctos putare, eam, prout in Hispania, & Romæ est nunc in usu, esse usualem potionem, nec*

vio.

violare jejunium nolo (IDQUE PROPTER AUTHORITATEM EXTRINSECAM) hanc sententiam à PROBABILITATIS, SECURITATISQUE finibus repellere. Hincque refert, Card. De Lugo, interrogatum de hoc, respondisse: Qui eam usurpant, NEQUAQUAM FRANGERE asserunt: FRANGERE contendunt, qui ab ea se continent. Ego verò, cum inter usurpantes sim, neutiquam jejunium violare pronuntio. Unde Tamburinus sic infert: Si ergo vir adē doctus, ac pius, tantaque autoritate præstans, sic disertis verbis edisserit; quâ ratione eum non PROBABILITER loqui, & agere, valet quispiam suspicari? Concinit Viva (a).

516 *Præterea (b) 10. Jam apud Recentiores opinio recepta nunc est (quantitatem jentaculi) ad octo circiter uncias pertingere posse, non quidem ex lege scripta, sed ex consuetudine legitime introducta. Ita Fagund. &c. cit. Suarez, Diana, Jo. Sanchez. Posse te quartam partem solita cœnæ pro jentaculo comedere, ut si viginti uncias assumere in cœna soles, posse assumere quinque; si quadraginta, decem, PROBABILIS est opinio. Ita Reginal. Laymann, Filliuc. &c. Dixi autem, OCTO*

CIRCITER UNCIAS: nam parè non excedere, addendo unam vel alteram unciam supra prædictas octo, esset ex nonnullorum sententia parvitas materiæ, nec peccatum mortale constituens. Ita Pelliz. Leander ex Turrian. apud Dianam.

11. *Potestne licitè quis panem in quantitate debita, vel ciceres, fabas, similemque materiam coquere in aqua, vel alio liquore (idem valet, ac facere bonum cibarium meridianum, vulgò minestram) illamque totam pro jentaculo assumere? Resp. non posse, docet Filliuc. posse, PROBABILITER censet Basquia, &c. Subdit post Tamburinus: ejusmodi opinionem vocare probabilem nequaquam audeo. Sed quid hæc profunt, si probabilis est jam asserta ab Authoribus benemeritis?*

12. *De cibis communibus Quadragesimalibus, herbis nimirum, sive crudis, sive elixatis, PISCIBUS SIVE PARVIS, SIVE MAGNIS sale coctis, fructibus sive recentibus, sive siccis, dulciariis, pultibus, quas MINISTRAS appellamus, EX AMIGDALARUM CREMORE, ex leguminibus, & similibus; ea accipi possunt pro jentaculo, quæ cuilibet arrident, modò constat ex pane, ut fit,*

☉

(a) Ibid. §. 2. n. 4. 9. & 13.

(a) In Prop. 29. Alex. VII. n. 20. (b) Ibid. §. 3. nn. 1. 2. 3. 7. & 8.

quoque thesim prohibente.

5. *Dispensatus ad unum genus carniū, v. g. ad gallinas, poterit quascumque carnes comedere, laridum, sarcimen, porcīnam, &c. Ratio est, quia una est, & individua omnium carniū prohibitio. Et nec dispensatio D. Papæ potuit eam dividere?*

6. *Probabile est, sagimen existimari inter carnes; ut item (probabile) non existimari, sed esse numerandum inter lactīcinia: idēdō PROBABILIS etiā erit utraque sententia, atque adēdō posse recipi in jejunio, & posse ab eodem rejici. Ita multi apud Henriq. Hōc pactō, ubi est vel consuetudo, vel dispensatio ad lactīcinia in Quadragesima, utens opinionis probabilitate poterit & sagimen, & saginatum cibum edere.*

7. *Controversia est, an lactīcinia sint in jejuniis prohibita? Si loquamur de jejuniis infra annum, vigiliarum nimirum, vel quatuor temporum, PROBABILE EST, non esse jure interdicta. Post varia circa Quadragesimam dicta, concludit: Quid ego tandem sentiam, noli à me expectare, amice Lector, donec clarior declaratio Summi Pontificis accedat, vel firmior*

usus fidelium alterutram sententiam amplectatur. Obscura sibi visa est proscriptio thesis 32. edita ab Alexandro VII.

§. II.

515 **D**Eindē (a) 8. *Licet bibere (intra diem jejunii) vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis, vel eodem vino distillatas: ita Antonius de Leon. etiā de mane, etiā ob solam delectationem, etiā multoties in die, etiā in fraudem jejunii. Ita Laym. Sanchez, Dian. Lezzan. Fagun.*

9. *Puto (chocolatam) non esse veram potionem, sed cibum, atque adēdō frangere jejunium. Ratio, ut mihi videtur, efficax sic formatur, &c. & diffusē firmat. Ecce jam hīc dicitur quādam Tamburini doctrina paulō severior. Sed persequamur, & videbitur, suam severitatem totam resolvi in fumum gratiā Probabilissimi. Que hactenus, concludit, de chocolata disputavi, vera mihi videntur PROPTER RATIONES INTRINSECAS. Ceterum, quia video viros pios, religiosos, ac doctos putare, eam, prout in Hispania, & Romæ est nunc in usu, esse usualem potionem, nec*

vio.

violare jejunium; nolo (IDQUE PROPTER AUTHORITATEM EXTRINSECAM) hanc sententiam à PROBABILITATIS, SECURITATISQUE finibus repellere. Hincque refert, Card. De Lugo, interrogatum de hoc, respondisse: Qui eam usurpant, NEQUAQUAM FRANGERE asserunt: FRANGERE contendunt, qui ab ea se continent. Ego verò, cum inter usurpantes sim, neutiquam jejunium violare pronuntio. Unde Tamburinus sic infert: Si ergo vir adēdō doctus, ac pius, tantaque auctoritate præstans, sic disertis verbis edisserit; quā ratione eum non PROBABILITER loqui, & agere, valet quispiam suspicari? Concinat Viva (a).

516 Præterea (b) 10. *Jam apud Recentiores opinio recepta nunc est (quantitatem jentaculi) ad octo circiter uncias pertingere posse, non quidem ex lege scripta, sed ex consuetudine legitime introducta. Ita Fagund. &c. cit. Suarez, Diana, Jo. Sanchez. Posse te quartam partem solitæ cœnæ pro jentaculo comedere, ut si viginti uncias assumere in cœna soles, posse assumere quinque; si quadraginta, decem, PROBABILIS est opinio. Ita Reginal. Laymann, Filliuc. &c. Dixi autem, OCTO*

CIRCITER UNCIAS: nam parum excedere, addendo unam vel alteram unciam supra prædictas octo, esset ex nonnullorum sententia parvitas materiae, nec peccatum mortale constituens. Ita Pelliz. Leander ex Turrian. apud Dianam.

11. *Potestne licitè quis panem in quantitate debita, vel ciceres, fabas, similemque materiam coquere in aqua, vel alio liquore (idem valet, ac facere bonum cibarium meridianum, vulgò minestram) illamque totam pro jentaculo assumere? Resp. non posse, docet Filliuc. posse, PROBABILITER censet Bass. quia, &c. Subdit post Tamburinus: ejusmodi opinionem vocare probabilem nequaquam audeo. Sed quid hæc profunt, si probabilis est jam asserta ab Authoribus benemeritis?*

12. *De cibis communibus Quadagesimalibus, herbis nimirum, sive crudis, sive elixatis, PISCIBUS SIVE PARVIS, SIVE MAGNIS sale coctis, fructibus sive recentibus, sive siccis, dulciariis, pultibus, quas MINISTRAS appellamus, EX AMIGDALARUM CREMORE, ex leguminibus, & similibus; ea accipi possunt pro jentaculo, quæ cuilibet arrident, modò conflatum ex pane, ut fit,*

&

(a) Ibid. §. 2. n. 4. 9. & 13.

(a) In Prop. 29. Alex. VII. n. 20. (b) Ibid. §. 3. nn. 1. 2. 3. 7. & 8.

Ex prædictis, quod accipitur, non excedat uncias octo: colligitur ex Bonacina. Ratio hujus dicti est: quia licet jentaculum ex consuetudine sit introductum, & PASSIM non accipiantur, nisi CIBI LEVIÖRES, &c. tamen NON EST CERTUM, esse introductam absolutè consuetudinem de sumendo jentaculo sub hac stricta necessitate, ut non possint nisi tales vel tales cibi à jejunantibus assumi: ergo nec nos adstringere sub peccato debemus. Certum etiam est jentaculo posse nos frui: incertum, an tales cibi SUBSTANTIALES sint exclusi: ergo prævalet libertas valendi illa assumere. Hæ rationes erunt non levis ponderis, atque convincentes, quæ intrinsecè probabiles reddunt opiniones. In confesso est, consuetudinem introductam esse de accipiendis pro jentaculo serotino cibus levioribus. At hoc non sufficit Tamburino, quia non est certum, esse introductam sub hac stricta necessitate, ac deest evidens demonstratio, quæ evincat. Et hinc concludit, quod prævalendo in tali casu libertate (de qua est dubium) assumi poterunt cibi substantiales.

13. An in vigilia Natalis

Domini, majori refectiuacula vires sibi reficere liceat? Resp. licere duplo circiter majori, hoc est, pertingente circiter ad uncias sexdecim. Ecce non etiam dicit absolute, posse in præfata Vigilia, ordinariam habere cœnam, quæ non consuevit excedere hujusmodi quantitatem cibi post prandium matutinum? Quin & credidit Tamburinus, hanc esse adjungendam observationem: Intellege, etiamsi ea incidat in diem sabbati, in quo celebretur jejunium quatuor temporum. Ita uterque Sanchez.

517 Insuper (a), 14. Patrem, & Dominum ad compellendos filios, vel famulos, ut ii jejurent, non obligo. Ita Fagund. Sanchez, Azorius. Quare poterunt, imò et debent illis cibos, quamvis sciat eos non jejunaturos, ministrare. Quia ex una parte hæc ministratio, opus est ex se indifferens: & ex alia Patrem, Dominumque excusat proprium officium alimenta suis cum debita liberalitate præbendi, modò moneant, &c. Caupones, & vendentes, ministrare cibos accedentibus, quando PROBABILITER, VEL CERTÒ SCIUNT VIOLATUROS JEJUNIUM; concedimus

SA-

SATIS PROBABILITER. Ita Sanchez, &c. Lege Dianam, &c. Quibus Viva tom. 1. par. 2. q. 10. a. 4. n. 7. addit, etiam ultroneè invitare ad cœnam posse.

§. III.

518 D Enique (a), 15. Qui sexagesimum annum attigit, quamvis nondum illum compleverit, excusatur à jejunio. Ita Jo. Sanchez, &c. Trullenb, &c.

16 Religiosus, qui nondum explevit annum vigesimum primum, tenetur ad jejunia per suam regulam mortaliter indicta? Resp. PROBABILE est obligari. Ita Jo. Sanchez, Sa, Thom. Sanchez, &c. Sed PROBABILE EST etiam, non obligari. Ita Ascan. Tamb. Med. Graff. &c. Utraque sententia tuta est, & excipi sine timore potest. Eodem modò resolvit de Religiosis sexagenariis.

17. Si quis vovit singulis sabbatis v. g. jejunare toto vite suæ tempore, additè etiam clausula IN PERPETUUM; probabile est excusari post annum sexagesimum. Ita Sanchez, Diana, Fagund. Laymann, &c.

18. Idem dico (excusari à

jejunio) qui noctu dormire per notabile tempus non potest, nisi cœnet: nimis enim esset onerosum sic jejunare. Ita Fagund. Jo. Sanchez, Laymann. Neque hunc obligo manè jentare, seque serò plenè reficere, quò patèrò jam jejunium factum tectum conservaret. Non obligo, inquam, licet id commodè facere queat. Quia nemo, inquit, in jejunando est obligandus ad EXTRAORDINARIA REMEDIA, & ad relinquendum suum jus comedendi circa meridiem. Sic Th. Sanch. Jo. Sanch. Fagund. Jus, quod Deus habet, atque Ecclesia præcipiendi jejunium, cedat oportet juri, id est, usui, & consuetudini comedendi circa meridiem. Idemque, subdit, de eo, qui de nocte absque perfecta cœna calesceri notabiliter nequit. Ita Fagund. Th. Sanch. &c. Ergonè possibile est, invenire Theologos, qui levibus adeò, ac ridiculis motivis dispensent à sacrosancta jejunii lege?

19. Concionatores, si per totam Quadragesimam quotidie, vel etiam ter, quaterve in hebdomada consuetam horariam, plus minus, concionem habent ad populum, &c. etiamsi voluntariè, & propter lucrum....

II

con-

(a) Ibid. §. 6. nn. 2. 3. & 7.

(a) Ibid. §. 7. nn. 1. 6. 9. 14. 26. 28. 30. & 37.

concionentur; à jejuniò tunc erunt excusandi. Ita Fagund. Sanch. Diana, Laymann. Conseratur hæc resolutio cum constitutionibus Ordinis S. P. Dominici, Societatis Jesu, & aliarum Religionum, quæ prohibent prædicare Religiosum eum, qui nequeat cum prædicatione observantiam jejunii quadragesimalis jungere; & admirabilis videbitur consonantiâ. *Viva* tamen accedit (a).

20. Dico, propter auctoritatem Doctorum esse PROBABILE, nullos Artifices, atque adeò futuros, obligari ad jejunia, &c. Ita Trull. citans Fagund. & Sà, Azor, Laymann, Sanchez. Consule Prop. 30. ab Alex. damnatam, & cautè excipe *Vivæ* expositionem.

21. Si quis pedester ad venandum, solum ob voluptatem, se conferat, vel pilâ ludat, vel basiludio vacet; multo magis si cum peccato, ut si ad ADULTERANDUM, VEL AD FURANDUM dictum pedester iter arripiat; distinguendum erit. Nam si hæc fiant eodem die, quò urget jejunii præceptum, &c. illicitè contra præceptum de jejunando fient. Si verò fiant tempore remoto, nec multùm proximo ipsi

diei, quò jejuniùm urget, non illicitè fieri, supra de causis excusantibus ab auditione sacri per occasionem diximus. Laudat *Viva* (b),

22. Si precibus, aliove modo posset conjux remove alterum à petendo debitum, ad huc tamen non teneretur uti hoc remedio, atque posset non jejunare, & sic reddere. Ita Thom. Sanch.

519 Hæ Propositiones omnes, præter plurimas alias, quæ prætermisimus, invenientur in solo citato cap. 5. Tamburini. Si tales doctrinæ, te quæso, utpotè probabiles, deducantur ad praxim; erit nè ultrà apud Christianismum vestigium aliquod præcepti legis naturalis, & Ecclesiæ, quæ præscribit jejuniùm? Et nihilominus P. Zaccaria ausus est commendare rigorem Tamburini, & edere, certum esse, paulò severioribus doctrinis indulsisse illum in iis præsertim, quæ ad jejuniùm spectant. Quid ergo erit de iis materiis, in quibus doctrinis paulò severioribus non indulsit; sicque suus editor negare nequivit, in laxitatem lapsum illum, neque tamen ab ipso emendatum?

S.

(a) In Prop. 30. Alex. VII. nn. 8. & 10. (b) In Prop. 31. Alex. VII. n. 9.

§. IV.

520 Hic moneamus oportet, mirantes super his, quæ P. *Viva* (a) scripsit: Docuerunt Medina, Victoria, Armilla apud Ferdinandum de la Cruz in Direct. 1. Præcep. 3. art. 4. non peccare mortaliter diebus esurialibus, qui invitatus ab amico ad bibendum, comedit sæpè aliquid parum, nè potus noceat. Supina P. *Vivæ* negligentia in citandis Authoribus, maximè demonstratur impræsentiarum. Fulcitur imprimis relatione P. Ferdinandi de la Cruz in Directorio, & Author Directorii non est Ferdinandus, sed Joannes de la Cruz. Iste verò allegat *Medinam*, & *Armillam*, sed *Victoria*, ut vult *Viva*, nullatenus meminit. Allegat quidem *Medinam*, & *Armillam*, sed in sensu prorsus diverso ab Afferentibus propositionis damnata. Neque enim allegantur à La-Cruz ad excusandum à gravi culpa eos, qui in die jejunii sapiùs quid comedunt modicum, ita ut notabilem quantitatem in fine comederint, ut habet thesis damnata; sed illos dumtaxat, qui

etsi sapiùs modicum quid comedunt, non tamen excedunt unquam parvitatem materiæ; ut facilè constabit legenti *Medinam*, & *Armillam* in fonte.

Verba etenim *Armillæ* (b) hæc sunt: Sumere aliquid extra prandium, potius ratione medicine, nè vinum noceat, vel ut quis possit dormire, vel propter choleram, vel credentiam, vel hujusmodi, quando non sit in fraudem jejunii, non frangitur jejuniùm; etiam sumendo sine siti ex consuetudine, videtur tolerabile: quia parum pro nihilo reputatur. Sumere etiam modicum panis propter eandem rationem, non damno, maximè, quando sic habet consuetudo. PANORM. IN DICT. RUBR. In mane autem sumere collationem; quia non est consuetudo, non puto licere, nisi ex aliqua causa legitima, ut ratione complexionis, negotii, vel hujusmodi, adeò quòd sit per modum medicine, & non comestionis. Ubi hìc notabilis quantitas cibi sapiùs sumpti, quam à peccato eximit damnata thesis? Patet ergo, *Armillam* non permittere nisi quantitatem parvulam, & quidem non in fraudem jejunii, sed ob justa, rationabiliaque motiva.

Ii 2

Ea-

(a) In Prop. 29. Alex. VII. n. 1. (b) V. Jejunium n. 1.

Eadem supponit Medina, inquit enim: *Aliquid comedentem, invitatum ab Amico, non peccare nec leviter, sicut leviter peccasset, quando ex propria cupiditate absque hac invitatione comedisset.* Aliquatenus excusat itaque eum, qui ex Amici invitatione aliquid comedit; secus eum, qui comedit sæpè aliquid parum, ut *Viva* commentus est. Constat ergo, *Armillam*, & *Medinam* totam comestibulum collectionem in diebus esurialibus intra cancellos ejusdem parvitatatis restrinxisse, nec vel per somnium meminisse notabilis quantitatis meritò confixæ; multaque in eos *Vivam* peccasse, dum tamquam damnatæ thesif assertores, in ejusdem expositione traduxit illos.


Similiter fuerat exorsus expositionem thesif 23. damnatæ ab *Alex. VII.* dicens (a): *Si Cajetanum audiamus in Sum. V. JEJUNIUM, de jejuniis, quæ consuevit Ecclesia facere, nusquam præcepti vestigium reperitur; ac proinde docet, fractionem jejunii Ecclesiastici, quantum est ex jure scripto, non esse lethalem, si desit contemptus.* Postque confirmat, adjiciens: *Propterea 2. 2. q. 147. c. 7.*

(videtur non legisse *Viva Cajetani* commentaria, in quibus nullum est caput, sed quæstiones) dicit, quod cum jejunium neque ad dilectionem Dei, neque ad dilectionem proximi sit necessarium, ejus transgressio non sit mortalis, si desit contemptus. *Tab. etiam, & Turrecremata relati à Machado... putant, violationem jejunii non esse lethalem, si desit contemptus, &c.* Si *Viva* originalia Cajetani, & *Turrecremata* vidisset opera, non sic sine causa traduxisset laudatos insignes S. R. E. Cardinales, dum inter Assertores damnatæ thesif reponit. Quippe *Turrecremata* nec vel leve præstat indicium. Quin, evincit (b) ex professio validis momentis, Jejunii legem obligare per se ipsam sub gravi peccato: Et quamvis subjungat verbum *contemptus*, nec per somnium indigitat, transgredi legem jejunii, quæ sub gravi altringit, ex solo contemptus capite, sed ex hoc, simulque ex altero inobservantia rei præceptæ. *Intentioni autem legis, inquit, obviat, qui ex contemptu; vel SINE ALIQUA RATIONABILI CAUSA ordinationem non servat.* Idemque de-

cla-

clarat subindè, & confirmat doctrinam ANGELICI D. in 4. d. 14. q. 3. a. 1. qq. 4. ad 3. *Cajetanus* quoque in *Summa* cap. 4. nihil aliud habet, quam ea, quibus quæstionem 2. commentarii in 2. 2. D. *Thomæ* q. 147. (non quidem cap. aut art. 7. ut habet *Viva*) sed a. 3. concludit hisce verbis: *Scito, quod nisi communis Christianæ Ecclesiæ interpretatio susciperet, statutum jejunii esse non simplex statutum, sed habere vim præceptivam, strictè sumendo præceptum; verum proculdubio esset, quod non nisi propter contemptum transgressio jejunii esset peccatum mortale: quoniam in simplicium statutorum materia transgressio mediæ, & impeditio finis, licet sit mala, non tamen mortale inducit peccatum, nisi materia illa ad Charitatem Dei, aut proximi necessaria sit. Quod in proposito con-*

*stat non habere locum; quia jejunium hujusmodi constat, nec ad Dei, nec ad proximi dilectionem esse necessarium. Et hæc dixerim, quia ex vi verborum (scilicet ex communi Ecclesiæ acceptione) nullibi jejunium Ecclesiasticum invenitur præceptum, loquendo de præcepto strictè, nisi post damnationem supradictæ thesif 23. Quacum nihil habent commune laudata verba; unde Cajetanus ipse ibidem præmiserat hanc suam thesif, damnatæ è regione positam: Ad quæsitum ergo (nempe, NUM FRANGENS JEJUNIUM ECCLESIAE, NON IN CONTEMPTUM, SINE CAUSA RATIONABILI TAMEN, PECCAT MORTALITER?) respondendo dicitur, quod solvens Ecclesiæ jejunium sine causa, rationabili tam absolutè; quam secundum estimationem suam, peccat mortaliter. Quid apertius? Videndus præterea *Eraniſte* (a).*



II 3

QUÆ

(a) Epist. tom. 4. Let. 27. §. 4. à pag. 73.

(a) Ibi n. 1. (b) Tom. 1. Decretal. in Decreto de Consecr. dill. 5.

DE MISSA, ET COMMUNIONE.

De iis factus est sermo Prop. 8. 9. 10. 38. 39. & 43. *Alex. VII.*
atque 55. & 56. *Innoc. XI.*

ARTICULUS I.

Auditio, & celebratio Missæ.

521 **V**erè impletur præceptum audiendi sacri, ait Sanchezius (a), illud ex contemptu audiens: ergo à fortiori, cum intentione non satisfaciend. Non plus ultra.

Si Sacerdos in peccato mortali celebravit, tenetur quamprimum confiteri, ut declaravit C. Trident. sess. 13. cap. 7. his verbis: *Quodsi necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, QUAMPRIMUM confiteatur.* Disputare non pauci Probabilistæ cœperunt, nùm hoc præceptum sit, an merum consilium? P. Tamburinus (b) refert utramque sententiam, & asserentem, & negantem, præceptum latum esse à Tridentino: & de more vi Probabilissimi utramque

probabilem adfirmat his verbis *Equidem non possum priorem sententiam, agnoscentem in illis verbis præceptum sub mortali, non fateri PROBABLEM. Ajo tamen, & hanc non agnoscentem, esse PROBABLEM.* Hanc Tamburini opinionem, quam etiam alii, quos refert ex Diana P. Viva (c), docuerunt, damnavit *Alex. VII.* Prop. 38. Nulatenus ergo probabilis est. *Recole supra n. 73.*

522 Cuinam in mentem venire potest tam peregrinum interpretamentum illud P. La-Croixii? En illius commentum (d): *Docent Suarez, Vazq. Say. Marchant. Nung. Lugo, Diana, Dicast. Aver. Jo. Sanch. Gob. Pelliz. Leander, & in hoc conveniunt ferè omnes, inquit Moya tom. 4. q. 6. §. I. citans valdè multos: QUOD SACERDOS NON TENEAUR HOC PRÆCEPTO, SI HABENS COPIAM CONFESSARIJ NON*

NON SIT CONFESSUS EX MALITIA: quia licet gravius peccet, tamen in præceptis positivis non valet argumentum A MINORI AD MAJUS, VEL AD SIMILE, uti cum communi Lugo in Resp. Mor. lib. 4. dub. 47. n. 5. Tridentinum autem tantum loquitur de eo, qui necessitate urgente celebravit sine confessione prævia: sed si fuerit copia Confessarii, non fuit necessitas urgens celebrandi absque confessione prævia. Ergo nec tunc tenebitur ad confitendum QUAMPRIMUM. Hæc sententia est probabilis. Hanc eandem opinionem defendit P. Viva, quam etiam appellat communem (a).

Sed quis Probabilissimi præjudiciis non præventus, melioris conditionis dixerit Sacerdotes, qui ex malitia deliberata, quam qui necessitate pressi ad tantum Sacrificium celebrandum, peccati mortalis conscii, sine prævia confessione accedunt? Quis rem seriò expendens, in animum sibi induxerit, Tridentinos Patres voluisse, præcepto confessionis quamprimum peragenda, obstringere Sacerdotes, qui eam necessariò omiserunt, secus alios, qui eam

deliberatè contempserunt, quosque præsumere noluerunt, reperiendos fore? In præceptis positivis non valere argumentum à minori ad majus, falsa est doctrina absolute, & nullâ limitatione adjectâ; eamque impræsentiarum communis sensus detestari videtur tamquam nimis captiosam, & in nihilum redigentem Tridentini C. mandatum. Quippè Sacerdotes peccati mortalis conscii, ut hoc mandatum declinent, propositum elicient non confitendi, etiam si non desint Confessarii; aut peculiarem diligentiam adhibebunt, ut Confessarios inveniant, quibus re-
pertis, confessionem contempnent. Tunc enim juxta descriptam probabilisticam doctrinam, à C. Tridentini præcepto immunes erunt.

523 Haud dissimilia sunt quæ præmiserat citatus Viva (b) per hæc verba: *Utrum autem Sacerdos, qui præmissit jam confessionem, & deinde recordatur alicujus mortalis, quin possit ad Confessarium redire; si necessitate urgente celebret, teneatur QUAMPRIMUM deinde confiteri? Affirmant communiter cum Suar. Regin. Bonac. cum*

li 4

iam

(a) Lib. 2. c. 13. n. 13. (b) Lib. de Meth. Commun. cap. 1. §. 6. n. 49.
(c) In Prop. 38. *Alex. VII.* n. 1. (d) Lib. 6. par. 1. de Euch. n. 546. a. 1.

(a) In Prop. 38. *Alex. VII.* n. 12. Item in Curs. Theol. quæst. 4. a. 7. n. 3.
(b) Ubi suprâ n. 11.

jam citra confessionem illius peccati ex necessitate celebret: Quamvis non nemo id neget apud Dian. ref. 26. Quia Tridentinum solum videtur loqui de eo, qui absque ulla prævia confessione celebrat, volens fortè reddere Parochos rurales magis sollicitos ad quaerendum Confessarium ante celebrationem Missæ, nè diù celebrent absque Sacramento Pœnitentiæ prætextu carentiæ Confessarii. Propterea iis tantum illud onus imponitur, qui nullà præviâ confessione celebrarunt; non verò iis, qui post confessionem per accidens recordantur alicujus mortalis: Imò fortè nec iis, qui absque confessione, & absque conscientia peccati mortalis ad celebrandum accedunt, & dum celebrant, mortalis recordantur; ut iidem DD. docent, & alii cum Vazquez apud Lugo: sicut etiam qui post communionem recordantur peccati invincibiliter prius obliti, non obligantur, illud QUAMPIMUM confiteri, ut docent communiter.

Quæ lex consistere, admisis ejusmodi interpretamentis, vallet? Porrò Concilium idcirco eos præcipuè nominavit, qui necessitate urgente absque prævia Confessione celebrarent, quòd intelligeret, multò fa-

cilius fore, ut Sacerdotes sibi fingerent istam necessitatem, anamque ex ea permulti arriperent ad celebrandum absque prævia confessione, quàm ut quisquam manifesto sacrilegio sese polluere auderet, aut, cum jam sacrificare cœpisset, peccati alicujus remisceretur. Est autem Sapientis Legislatoris, ut primum prohibeat id, quod facilius est accidere, & quò prohibitò, cætera, quæ similia sunt, aut graviora, prohiberi intelliguntur; quàm, ea, quæ, quòd gravissima sint rarò accidere solent: Et ideo inter Præcepta Decalogi, ait D. THOMAS (a), prohibetur perjurium (v. g.) quod frequentius accidit, quam blasphemia in quam homo rariùs prolabitur. Id, si Concilium secutum fuisset dixerimus, nullò modò erit consequens, eadem lege non teneri eum, qui alicujus peccati, inchoatò sacrificio, recordetur; vel eum, qui peccatum in ipsa actione committat: propterea quòd uterque gravius delinquat, quàm qui antè colligit se, consideratque expiationis egere, sed inopiâ Sacerdotum absque præmissa Sacramentali confessione sacrificare cogitur; nul-

nullaque sit ratio, cur si prohibeatur id, quod levius est, & frequentius accidere solet, non unà prohiberi intelligatur id, quod ejus est simile, vel etiam eò deterius.

Præterea, cum illud imprimis Concilium cavere voluerit, nè quis sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedat; cumque qui peccati remiscitur, cum jam ad sacrificandum accessit, sive qui in ipsa actione sacrificandi peccat, recipia non nisi contritus (si tamen eum peccati pœnituit) Eucharistiam sumat: Fit ita, ut uterque eâ lege teneatur, quæ conscius peccati lethalis, absque præmissa Sacramentali Confessione, tantum contritum, Eucharistiam sumere vetat. Non nego, paulò majorem esse difficultatem de Sacrilegis, cum Concilium loquatur de iis, qui non tam impii sunt, ut, si quò crimine implicentur, non prius expiationis remedium quærant, quàm ad sacrificandum accedant. At nihil impedit, quominus Concilium hos quoque

complexum sit, eosque non solum lege divina, sed etiam præcepto suo deterrendos putarit à Sacrilegio.

ARTICULUS II.

Missæ stipendium.

524 **C**irca quantitatem hujus stipendii, inquit P. RHODES (a), multa sapienter decreta sunt in quadam Constitutione Cardinalium anno 1635. Auctoritate Urbani VIII. Primo, &c. Deinde, non posse Sacerdotem unà Missâ satisfacere pluribus stipendiis, que simul sumpta non faciunt, nisi unum justum stipendium; cujus tamen contrarium ante Congregationem illam docuerunt SUAREZ, VAZQUEZ, FILIUCIUS, &c. Et secundum Tamburinum (b) ipsi Suarez, & Vazquez tenuerunt, quòd si tradens stipendium pro celebratione Missæ, non exprimit applicationem Missæ, hæc potest offerri pro altero, & ab eo recipere stipendium aliud.

Sacerdotem posse per alium celebrare, retenta sibi parte stipendii accepti, affirmarunt quo-

(a) Disp. 2. de Missæ Sacrif. q. 3. sect. 4. (b) Lib. 3. Meth. celeb. Miss. cap. 1. §. 3.

(A) 2. 2. q. 122. a. 3. ad 4.

quoquè plures Probabilistæ, quorum *Alexander VII.* opinionem damnavit *prop. 9.* In hujus synopsis talis est conclusio P. *VIVÆ*: *IX. Beneficiarius, qui per alium celebrat; necnon habens Capellaniam (similiter Legatarius pinguis) non tenetur celebranti tribuere, nisi congruam eleemosynam.* Redditque infra (a) rationem: *Videtur enim Decretum loqui solum de eleemosynâ manuali (Cui assentiri videtur Concina) undè & infert (b): In Missis ergo manualibus vetitum est celebrare Missas per alios, collatò stipendiò minori, quàm acceptum sit. Neque dissentiar ego, si hæc doctrina accipiatur cum grano salis, de Missis nimirum perpetuis, quæ inter onera sunt Beneficarii, secùs de illis perpetuis, quæ sunt onus ipsum, sub quo stipendium offertur: cujusmodi sunt omnes eæ, pro quarum singulis taxatum est ab ipso Fundatore stipendium. Et hæc innuisse videtur *Viva* illò suo apposito parenthesis: *nisi in fundatione aliter cautum fuerit.* Et evincitur iisdem rationibus, quibus probat justitiam damnationis præfatæ propositionis*

de Missis manualibus.

Pontifex enim (Urbanus VIII.) ea lege, inquit (c): declarat, quòd stipendium pro Missa celebranda relictum, quantum est, Sacerdoti celebranti debeatur, non verò Sacerdoti per alium satisfaciendi, prout videtur esse mens tradentis pingue stipendium, fortè ut celebrantem excitet ad orandum cum affectu speciali. Unde subdit (d): *videtur probabilius, mentem tradentis pingue stipendium esse, quòd dominium illius acquiratur à Sacerdote, cum onere vel quòd ipse celebret, vel quòd integrum detur alteri, si per alium satisfaciat; nisi fortè illud spontè condonetur; & quamvis id non explicetur à tradente stipendium, explicatur tamen sufficienter à decreto Urbani: propterea videtur hujusmodi lucrum esse restituendum: ergo qui Missam suscepit celebrandam cum aliqua eleemosyna, sive stipendio pro Missa celebranda relicto à FUNDATORE, nè eamdem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, SIVE STIPENDII RELICTI, celebrandam committat.*

Hæc potissimum urgent, si Missa perpetuò celebranda sit, non

non à determinato Beneficiario, sed à suo Clero, vel Ecclesia, cui à Fundatore relicta est: Et Clerus, vel Ecclesia ex quadam œconomia eam Missam, quia pinguioris stipendii, destinavit perpetuò dicendam à selectis, & majoribus Beneficariis sive ratione Officii, sive dignitatis. Ex declaratione Sac. Congreg. inquit *Viva (a)*, ad 7. *dub. poterunt Ecclesiæ, vel loca pia valorem expensarum, quæ pro ipsomet Sacrificio necessariò sunt subeunde, ex eleemosynis pro Missis detrabere, dummodò non habeant redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licitè possint; secùs, si secùs.* Et poterunt illarum Beneficarii, nullas subituri expensas, quibus Missas pinguioris stipendii committunt, nè vel ratione Officii à celebratione Missarum arceantur, vel ratione dignitatis frequentius celebrent, apparatus solemniori decentia, & gravitate?

525 Nec etiam si ejusmodi Missæ illis affixæ sint ab ipso Fundatore, idcirco sunt aut intelliguntur jam Beneficium ipsum, seu præbenda, vel utriusque augmentum. *Viva* concludit (b): *Addit Tam-*

burinus, hoc lucrum retineri posse, si Sacerdos sit solum executor voluntatis Testatoris relinquentis justa stipendia pro Missis, & ille ex industria speciali, ad quam non tenetur, tradat Missas celebrandas in aliis locis, ubi justum Missæ stipendium ab Episcopo, vel à consuetudine taxatum est minus: dummodò tamen non constet, quòd Testator voluerit Sacerdotibus illius loci benefacere.... Quia in hoc casu non sequitur illud incommodum, quòd Sacerdos careat incitamento ad orandum cum speciali affectu; cum stipendium relictum, supponatur esse justum, & non pingue. Subdit tamen *Viva: Verum huic sententiæ non censeo acquiescendum, quia juxta doctrinam Suar. loco cit. hujusmodi lucrum videtur sapere turpem quasum.* Porro Sacerdotes illi, aliàs Beneficarii, sive præbendati, quid aliud sunt quoad effectum in nostro casu, quàm executores tantum voluntatis Fundatoris relinquentis pinguiora stipendia pro Missis, quas Beneficario aut Præbendato imposuit? Si ergo in hoc casu, nè ex industria quidem speciali, ad quam non teneatur, hoc lucrum retineri potest, quia

ic

(a) In Prop. 9. *Alex. VII.* n. 9. (b) Tom. 8. lib. 3. de Euchar. differt. 2. §. 2. n. 14. q. 8. pag. 466. (c) Ubi supra n. 5. (d) Ibi n. 6.

(a) Ibi num. 8. (b) Ibi num. 10.

sequitur incommodum, quod Sacerdos careat incitamento ad orandum cum speciali affectu: licebit in nostro, in quo alii ejusdem Ecclesiæ Sacerdotes (quibus etiam constat, Fundatorem voluisse benefacere ipsâ beneficii, seu præbendæ foundatione) privantur ejusmodi incitamento, mensque Fundatoris, quam debent attendere proprii Beneficarii, aut Præbendati, frustratur; quin ejusdem largitatem servire faciunt in segnitiebus suis, & socordiis, turpique lucro, quæstum sapiente? Hinc si pingue stipendium consignatum fuerit à Fundatore, non cuilibet Missæ in particulari, sed certo earum numero in communi; nequit Sacerdos, cui Missæ celebrandæ imponuntur, per alium satisfacere, collato illi stipendio legitime taxato communiter pro unaquaque Missa, alia parte incrementi correspondentis sibi retenta; sed pro hujus rata illud augere debet.

526 Fateor planè, casum prædictum sub præcisiss, & expressis terminis, quibus propositum est, non definiri ab Authoribus, neque à Sapien-

tissimo Card. & Pont. Lambertini, qui rem ex perpendicularo, ut vocant, agit. (a) At id in causa esse existimo, quod præfata Missæ perpetuæ, quarum stipendium à Fundatore determinatur, ad manuales pertinere dicantur, & reduci quoad effectum, de quo agitur. Consignato quippe stipendio perinde est, & omninò accidit consignari numeratâ statim diurnâ pecuniâ ex sacculo manuali, vel diutina ex fundo annexo, cras distributa juxta consuetudinem administrantium Ecclesiarum. Hæc dixerim hîc, ut stem promissis clarissimo, atque loco, bonitate, & disciplinâ, & scientiâ spectatissimo Viro, cui in hunc modum rescripsi non ita pridem.

In cujus confirmationem hæc recogitanda sunt laudatæ Sacræ Congregationis responsa ad sibi proposita dubia sequentia: Quintò, posito quòd Testator relinquat, ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione elemosynæ. Queritur: an liberum sit Hæredibus: an elemosyna præscribenda sit ab Ordinario? Ad 5. censuit, ubi nullam certam elemosynam Testator

ARTICULUS III.

Paschalis, & frequens Communio.

527 COMMUNIONE sacrilega satisfieri præcepto Communionis Paschalis: Authores graves, & plures, quos recenset Concina (b), acriter defendebant; quorum tamen sententiam proscriptis Innoc. XI. prop. 55. Et hinc colligas velim, non esse sine examine amplectendas in morum materia eas opiniones, quæ libertati favent adversus legem; quamquam traditæ fuerint à pluribus Theologis Probabilistis, multoque minus, si à pluribus dumtaxat Casuistis recentioribus propugnentur.

Similiter horrendam proditaxitatem Propositio altera, (quæ est 56. ab eodem Pontifice censurâ notata) in suo Decreto die 4. Martii 1679. promulgato, asserentium, frequentem Confessionem, & Communionem, etiam in his, qui gentiiter vivunt, esse notam prædestinationis. Hanc nonnulli mollioris Ethicæ fautores propugnabant, etiam postquam pro-

tor reliquit, esse ab Episcopo præscribendam elemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem Civitatis, vel Provinciæ.

Octavo, an hoc Decretum habeat locum in Beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, ut Rector Beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum Beneficii? Ad 8. non habere locum, sed satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti elemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, NISI IN FUNDATIONE BENEFICII ALIUD CAUTUM FUERIT, v. g. taxata elemosyna: juxta nuper dicta. Apage in fine doctrinam Tamburini (a) excipientis etiam in Missis manualibus, si alicubi hoc Decretum, non sit acceptatum, quæ est communis doctrina (Probabilistarum) in Legibus positivis; sed omninò falsa, & proscripta, ut liquet ex dictis à n. 210.

(a) Meth. celeb. Mis. lib. 3. cap. 1. §. 5. n. 12. (b) Tom. 5. lib. 4. dist. 2. cap. 3. pag. 447.

(a) Tom. 1. de Syn. Diœces. lib. 5. cap. 9. & tom. 2. Instit. Eccles. 56.

proximè elapso mense Februarii ediderat die 12. ejusdem anni ipse Pontifex Decretum illud salutare, in quo, extremis laxitatis, & severitatis declinatis, regulas certas & Confessariis, & fidelibus præscripserat. In illo decernitur, n. 2. statum gratiæ absolute non sufficere ad quotidianam communionem: & cum nihil certi super hoc statui possit, ad Pastorum vigilantiam, & prudentiam id relinquitur, ut illi resolvant quid *singulis permittendum*. His solis clausulis labefactatur Casuistarum adversantium opinio de admit- tendis omnibus, gratia sanctificante præditis, ad quotidianam communionem. Quid quod n. 4. Monialibus dumtaxat, quæ ferventiore charitate ardent, Spiritusque ardore incallescunt, frequentior, aut quotidiana communio concedi posse dicitur? Et n. 6. minus paratos, atque dispositos, licet in statu gratiæ præsumantur, monendos à Concionatoribus esse, ut abstineant à sacra mensa, inculcatur; simulque ut eis dignam præparationem suadeant, adjicitur. Instruendos quoque conjugatos, Decretum asserit,

in doctrina Apostoli Pauli, qui si, ut orationi fideles vacent, abstinendum à maritali consortio hortatur; *tanto magis ob Sacratissima Eucharistia reverentiam continentia vacandum, puriorque mente ad celestium epularum communionem esse conveniendum*. Et nè singulos numeros illius Decreti expendam, quisque colligere potest, eo majorem requiri devotionis fervorem, & præparationis excellentiorem sanctitatem, quò frequentior est participatio Sacratissimi Corporis Christi.

Peremptoriam decisionem *D. Angelicus*, PP. vox, tradit (a): *Si aliquis, inquit, experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione fervorem amoris augeri, & reverentiam non minui; talis deberet communicare quotidie. Si autem sentiret, per quotidianam frequentationem reverentiam minui, & fervorem non multum augeri; talis deberet interdum abstinere, ut cum majori reverentia & devotione postmodum accederet*. Ecclesiæ itaque Decreto, & universæ PP. traditioni contradicunt mollioris Ethices Patroni illi, qui indiscriminatim ad quotidianam

com-

(a) In 4. sent. d. 12. q. 3. a. 1. qq. 2.

communionem, admittendos gratiæ divina ornatos continent, absque alia peculiari præparatione. Memorare quæ dicta sunt in fine art. I. quæst. II.

Et adi tom. 2. nostrum & pag. 623. sic finias velim n. 888. In Constitutione tamen *Benedicti XIV. Convocatis* n. 48. habetur (a): *Quamvis injuncta pro hoc Jubileo* (ann.

1750.) *Communio sit; pueri tamen, qui nondum ad primam Communionem admissi fuissent, neque intra hunc annum Sanctum, Parochi proprii, vel Confessarii judicio, admittendi videantur, censeri possunt ab isto injuncto opere legitime impediti; eisdemque communionem in aliud pium opus arbitrio Confessarii præscribendum commutari permittimus*.

QUÆSTIO XIII.

DE PARTIBUS SACRAMENTI
Pœnitentiæ

Revocantur ad Propositiones damnatas ab *Alexandro VII.* II. 14. 15. & 25. atque ab *Innocentio XI.* 57. 59. 61. 62. 63. ac 64.

ARTICULUS I.

Contritio.

§. I.

528 **P**robabilissimus abusu, & peccatorum, quæ sub umbra illius agrediuntur re ipsa homines, non modò fons est, verum etiam eorum remedii præcludit magna ex parte viam, eo

quòd licitas sustineat opiniones laxantes usum & administrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Ad contritionem quòd spectat, omnium celeberrima est ejus divisio in *perfectam*, quæ genericum retinet nomen, & ex amore Dei super omnia concipitur; & *imperfectam*, quæ *attritio* vulgò dicitur, & est dolor, ac detestatio peccati commisi, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel

ex

(a) Bullar. iplius tom. 3. pag. 96.

ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concepta, peccandique voluntatem excludens, cum spe veniæ obtinendæ. Quæ, ut definitum est ab Innoc. XI. Prop. 57. debet esse supernaturalis, id est, motu fidei, & impulsu Spiritus sancti, non motivo naturali excitata. Et fanè cum utraque contritio ad justificationem per Sacramentum obtinendam dispositio sit, ipsaque justitia sit qualitas supernaturalis; consequens est, ejusdem ordinis contritionem esse debere.

529 Nihilominus P. Tamburinus habet (a): *Inter motiva attritionis, de quibus n. 4. diximus, licet aliqui non admittant aliud quartum, id est timorem mali temporalis, atque adeò qui peccata execraretur propter timorem infamiæ, carceris, aegritudinis, & similia, que propter peccata incurri solent, legitimum dolorem pro Sacramento Confessionis per hos Doctores non asserat, &c. Tamen in sententia PROBABILISSIMA, etiam hoc motivum est sufficiens, si hujusmodi mala temporalia timeantur, ut à Deo inflicta, seu infligenda. Quam doctrinam probabilissimè etiam tradi, as-*

ferit P. Viva (b). Certè vera contritio dici non possèt: nisi pro vero pœnitente velint habere Antiochum, qui, uti Scriptura refert (c), *divinâ admonitus plagâ, & per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus, cum nec ipse jam fœtorem suum ferre possèt, dolebat de culpa præterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur, & agnoscebat à Deo sibi inflictam in pœnam peccati.*

Præmiserat quoquè Tamburinus (d): *Propositum explicitum de cætero non peccandi, licet laudabiliter addatur, & in sententia multorum necessariò.... At INPROBABILI aliorum opinione satis est implicitum, hoc est, illud, quod involvitur in ipso actu detestationis, seu displicentiæ. Quam opinionem rursus P. Viva vocat (e) probabilissimam. Quasi illis sit probabilissimum, actum quemlibet detestationis, vel displicentiæ de peccato esse efficacem necessariò, aut sine efficacia disponere ad justificationem; cum tamen ne tenuiter quidem probabile sit, nolleitatem peccati esse legitimum dolorem pro-*

pro Sacramento Pœnitentiæ. ipse (a) Confessarium monuerat: *Quandò advertis, pœnitentem tuum VALDÈ ALICUI CRIMINI ADDICTUM, nè inculces doloris actum circa illud peculiare peccatum. Periculum enim suberit, nè illud ex animo detestetur, dum ejus specialis memoria reficitur; quòd in universum, & simul cum aliis detestandi difficultatem vel nullam sentiet, vel exiguam. Quis non dixerit, Confessarium debere inculcare potissimum dolorem de peccato illo, cui valde addictum advertit pœnitentem suum, ut eum arceat, quantum sit possibile, ab affectu talis peccati? Sed Tamburini sensus ex adverso stat: tamquàm si contritio non debeat esse universalis, id est, ad omnia peccata extendi mortalia. Profectò nemo simul esse potest verè pœnitens, & Dei inimicus. Quisquis autem peccati alicujus mortalis affectum habet dominantem, quantumlibet de aliis doleat, hoc ipso Dei inimicus esse convincitur: pœnitens ergo esse non potest; atque adeò falsa ejus contritio est.*

531 Mitiùs videtur loqui

La-Croixius, hæc scribens (b): *Probabilius videtur, pro absolutione à mortalibus requiri propositum universale impostum cavendi omnia mortalia. Sed cum La-Croix asserat solum, probabilius videri, necessarium esse propositum istud; juxta ejusdem principia sequitur, probabilem, licet minus, esse opinionem contrariam, quam defendunt PP. Aversa, Gasp. Hurtado, & Thom. Hurtado, Platelius, Dicaillus, quæque apertè falsa est: nam si probabile est, propositum abstinendi ab omnibus mortalibus, non esse universale: ergo probabile est, pœnitentem posse conservare affectum erga hoc, aut illud peccatum: quod est manifestus error. Hinc patet, P. La-Croix frequenter proponere opiniones contrarias, ut beneficiò Probabilissimi eam lectores feligant, quæ eorundem appetitionibus accommodatior fuerit, dummodò sit verè probabilis. Et primùm, non asserit absolutè probabiliozem sententiam, requirentem propositum universale, sed videri probabiliozem. Deinde, quid juvat asserere, esse probabiliozem illam sententiam, quando juxta ipsum, licitum est se-*

Kk

qui

(a) Lib. 1. Meth. Confes. cap. 1. §. 4. n. 11. (b) In Prop. 57. Innoc. n. 1. (c) 2. Mach. 9. v. 11. & seq. (d) Ubi suprâ §. 3. n. 7. (e) In Prop. 1. Innoc. n. 26.

(a) Ubi suprâ §. 2. n. 5. (b) Lib. 6. part. 2. n. 898.

qui oppositam *minus probabilis*? an non est Probabilista? aut non vult Probabilista, cum ex duabus contrariis opinionibus, unam *probabilis* vocat, alteram esse *probabilem*, & eam cuivis sequi licere? Id certum perinde existimatur, ac centrum paribus intervallis distare à peripheria.

Similiter (a) ad objectionem oppositæ opinionis inquietis: *Si dolor sit ex motivo universalis, sufficit propositum particulare de non iterandis peccatis commissis*: respondet, *hoc quidem esse probabilis*. Sat est propositum de non iterandis fornicationibus commissis; at *probabilis* est, non requiri propositum expressum & universale vitandi adulteria, pollutiones, furta, & cætera flagitia futura, antea non commissis? Hoc *probabilis* tantum est, & non certò falsum & laxum? Subdit tamen *La-Croix* ibidem: *Sententiam* (docentem non requiri propositum illud universale) *non esse practicè probabilem, rectè dicit Gormaz n. 463*. Juxta Probabilistas verò non est licitum sequi, quod non est *practicè probabile*. Sed neque hæc juvant *La-Croixium*.

532 Quandoquidem hæc distinctio *speculativi*, & *practici*, præsertim ut à Casuistis usurpatur in rebus levissimis, & à viro sapiente negligendis, est numeranda, tamquam nata ad conciliandas contradictiones, & verborum prælia. Ut enim, *Leandro*, & *Tamburino* testibus, ostendi num. 19. & seq. Probabilistas, cum dicunt, opinionem *in praxi* non esse sequendam, aut nihil omnino, aut summum, eam esse pietati magis consentaneam, significare velle: proindeque nihil impedire, quominus Theologus has opiniones *speculativè probabiles* liberè confutet. Quin, ipse *La-Croix* sic explicat, quid sit *practicè*, quid *speculativè* probabile, ut facile appareat, non oportere huic Casuistarum distinctioni Theologum acquiescere, magnique interesse ad utilitatem Christianorum, eas opiniones, quas vocant *speculativè probabiles*, ex morum Theologia exterminari.

Quamdiù enim opinio, *habita ratione principii universalis, non consideratis illis, quæ cum praxi communiter conjunguntur*, vera esse, aut probabilis judicatur, difficile sanè non est, quin eadem etiam

post

post omnia considerata, quæ *in praxi nata sunt contingere* (sic enim explicat (a) hanc distinctionem *La-Croix*) probabilis esse existimetur. Conditio etenim, mores, consuetudo, scrupuli, & id genus alia, facile, ut ex sæpe dictis, & dicendis intelliges; efficere possunt, ut id, quod erat tantum *speculativè*, etiam *practicè* probabile judicetur. *Accedit* huic, & est diligenter animadvertendum, quod plerumque falsæ sunt, minimèque ferendæ hæc opiniones, quæ nihilofecius ut *probabiles* venditantur. Ecquid namque minus ferendum (ut hæc, qua de agimus, exemplo sit, innumerabilibus prætermissis) quàm *habita ratione principii universalis*, esse *probabile*, ut huic docet *La-Croixius*, non requiri propositum quodcumque vitandi grave peccatum? Quale tandem hoc est universale principium, quo solum attento, ferri potest, hominem accedere ad exomologesim faciendam, quin aliquod turpe, quod amat, statuat sibi esse vitandum? *Recole* num. 192. & seqq. Ne ergo irrideas ul-

trà intemperantes censuras illas, quibus *P. Viva* (b) notare ausus est Theologorum sententiam, quæ solam *attritionem* respuit, & *aliqualem* Dei amorem necessarium esse docet ad Sacramentum Pœnitentiæ. Videtis *Dinellium* (c), & recole dicta nn. 143. & 194.

§. II.

533 **N**Equè rursus illum subsannes, quia inter Authores propositionis 57. proscriptæ ab *Innoc. XI.* eosque præsertim, qui adstruunt, *attritionem* naturalem, modò honestam, sufficere ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ, adnumerat (d) duos, eosque citra invidiam insigniores ex familia Prædicatorum, quos summo perè præ cæteris *Tridentina Synodus* suspexit, *Melchiorrem Cano* videlicet, & *Dominicum Soto*. Certè immeritò, & non sine injuria tam illustrium Virorum. *Sotus* enim (e) expressè docet, *attritionem* debere esse ex motivo supernaturali, nimirum ex metu

Kk 2

ge-

(a) Ibi n. 899.

(a) Lib. 1. n. 115. (b) In Prop. 15. *Alexandri VIII.* n. 33. & tom. 2. par. 6. q. 3. a. 2. n. 6. (c) Epist. tom. 3. epist. 10. pag. 750. à n. 282. (d) In Prop. 57. *Innoc. XI.* num. 3. (e) In 4. dist. 17. quæst. 2. a. 5. & in lib. de nat. & grat. cap. 14. & 15.

gehennæ, ut nobis manifestatæ in divino eloquio: verum hunc actum displicentiæ, seu dolorem hunc procedentem ex prædicto momento, adferit elicitem viribus naturæ, non absolutè quidem, sed additò pariter auxilio gratiæ moventis, & excitantis. Idque ea ex causa docet, ut distinguat *attritionem*, seu dolorem imperfectum à *contritione*, seu perfecto dolore. Quare docet, solummodò *contritionem* proficisci à virtute infusa Pœnitentiæ, per quam confertur gratia sanctificans. Sed quænam conventio lucis ad tenebras, *Soti* nimirum opinionis ad confixum errorem, *P. Cardenas* scribit (a): *Sunt aliqui Theologi, qui propugnant dari attritionem entitativè naturalem ex motivo supernaturali: que idè est supernaturalis quoad modum. Quæ quidem sententia non subjicitur huic damnationi. Et ratio est clara: quia attritio, que respicit motivum supernaturale, & est supernaturalis quoad modum, est donum Dei, & ex impulsu Spiritus Sancti: ergo non est absolutè attritio naturalis. Hinc inferri opus est, Sotum, tametsi præfatam*

tradidisset sententiã, non propterea collocari debere in damnatæ defensorum alvo. Etiam ipse *Viva* aliquid plus addit, dum in calce hujusce thesisi (b) adstruit, dolorem de peccatis, in quantum sunt offensa Dei Authoris naturæ cogniti per lumen fidei, esse supernaturalem, & attritionem sufficientem ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ. Cui nullatenus adherent Theologi benè multi, imò sentiunt, *improbabilem* esse præfatam sententiã.

534 *Sotus* præterea cedendo gratiæ, suamque ostendendo erga Sacramentum reverentiam, quantumvis pro vera sententiã admittat eorum, qui asserunt, etiam absque ullo amoris Dei actu, sufficere Sacramenti virtute dolorem conceptum ex timore inferni junctum cum Sacramentali absolute; doceatque aliundè, prædictum dolorem esse supernaturalem, procedentemque ex impulsu Spiritus sancti, nondum inhabitantis cor, sed moventis, & excitantis, ut loquuntur *PP. Tridentini*: nihilominus obtestatur (c): *Doctrina hac de at-*

attritione, QUÆ IN SACRAMENTO FIT CONTRITIO, licet sit vera, non est tamen ita multum vetur. Patres enim antiqui solum *contritionem* agnoscebant necessariam ad Confessionem. Concluditque hinc: *Revera eum, qui mihi diceret, NON SE PŒNITERE PROPTER DEUM, absol-vere non auderem.* Ita ergo loquentem, quâ justitia mitti valet in tenebras damnatæ Propositionis?

535 *Camus* quoquè (a) loquens imprimis de attritione, ut accipitur communiter, quin ullatenus meminerit attritionis naturalis, inquit: *Non quilibet attritio est sufficiens, ut accedens ad Sacramentum pœnitentiæ gratiam consequatur: potest enim dolor esse tam imperfectus, QUI SATIS SIT AD CONFESIONEM FACIENDAM; non item, ut ex vi illius dispositionis homo etiam per Sacramentum justificetur.* Nam primò, cum quis habet attritionem conditionatam, id est, quæ oritur ex velleitate, quâ homo vellet placere Deo, & ipsi reconciliari, tunc non fit ex attrito contritus, Sacramentò suscepto; recipit tamen verum Sacramentum, si tristatur, quia caret dolore efficaci, & accusat se etiam hujus indispositionis...

Altera quoquè attritio est, EX QUÆ CUM SACRAMENTO PŒNITENS NON JUSTIFICATUR: V. g. quæ ex timore infamie proficiscitur, vel cujusque mali temporalis; ut qui detestatur peccatum, & proponit confiteri, nè ejiciatur ab Ecclesia, vel nè mul-letur pecuniâ, &c. Sive enim discutiat conscientiam suam, & imperfectionem doloris, sive ex negligentia omittat examen necessarium, homo SIC ATTRITUS non fit etiam virtute Sacramenti CONTRITUS, id est (notate), NON ACCIPIT GRATIAM. Sic enim hoc loco intelligi volumus, ex attrito fieri contritum, id est, gratiam, & justificationem consequi virtute Sacramenti, perindè ac si verè fuisset contritus. Hic est textus integer, & legitimus incomparabilis Cani.

536 Et hinc inferas planè necessum est, quòd dum subdit: *Et si queras, quandò ex attrito fiat contritus virtute Sacramenti?* Respondeo, id primum evenire, quocumque attritionis genere homo sit attritus: Id non debet intelligi, quasi voluerit aliquatenus comprehendere secundam attritionem à se ultimò explicatam, quæ oritur ex motivis strictè

(a) In Præfat. Prop. 57. num. 8. (b) Ibì n. 18. (c) Loco cit. diff. 18. q. 3. a. 2. penes finem.

(a) In Relect. de Pœnit. part. 6. pag. mihi 571.

naturalibus purè ; sed in sensu , quo subjungit : *Si existimat sese præstitisse , quod necessarium erat , ignoratque invincibiliter , se non habere sufficientem dispositionem.* Quis etenim persuaderi potuerit umquam , tantum hominem immediatè post duas lineas voluisse statuere apertè contrarium omnium , quæ dixerat , & inculcaverat parùm ante , nimirum , secundam eam attritionem nequaquam sufficere , ut poenitens ex attrito fiat contritus , id est gratiam , & justificationem consequatur ?

Quod impræsentiarum est verum , utique est , *Canum* , aliorum Theologorum amplectendo sententiam , credidisse , distinguì posse vel in Sacramento poenitentiae , quemadmodum distinguuntur in Baptismo , valorem Sacramenti à fructu ejusdem Sacramenti. Undè docet , accedentem ad Sacramentum Poenitentiae cum dolore quidem supernaturali , imperfecto tamen , & inefficaci , sed ab eo dispositio sufficiens judicato (sicut esse solet dolor & displicentia peccatorum , quam consuetudinarii concipiunt) Sacramentum tali in casu esse validum , sed

informe , id est , absque justificationis ; quæ à Sacramento conferatur , effectu : qui defectus tollitur postea juxta *Canum* , quum removetur obex , impediens productionem gratiae sanctificantis , modò quò contingit in Sacramento Baptismi. Verùm hæc *Canis* sententia , licèt rejici valeat tamquam falsa , nullò modò dici potest , esse ab *Innocentio* damnatam.

ARTICULUS II.

Confessio.

§. I.

537 **C**UM confessio sit peccatorum accusatio , ad Sacramenti genus pertinens , eoque sine suscepta , ut veniam virtute clavium impetremus ; Probabilissimus totus intendere videtur ad excusandas excusationes in peccatis. Binæ imprimis sunt hæc *La-Croixii* (a) theses : 1. *Qui sine ullo desiderio personam venereè aspicit , non tenetur dicere* (in Confessione) *qualis persona fuerit.* 2. *Qui sine desiderio venereè attigit puellam , secundùm Dicanam*

nam satisfacit , dicendo : se toties attigisse turpiter , nihil dicendo de partibus , in quibus attigit : Alii probabiliter dicunt exprimendum , si partem turpem attigerit. Recole pag. 412. n. 436. & p. 417. n. 440. Porro *C. Tridentini* (a) expressa doctrina est , ad formalem Confessionis integritatem , necessariam esse declarationem circumstantiarum , peccati speciem immutantium ; quia diversum ipsæ peccatum sunt : sic in eodem luxuriæ genere , aliud est fornicatio , aliud adulterium , aliud incestus. Ejusmodi sunt qualitates personæ , quæ venereè aspiciuntur , & à quibus , sicut ab objecto , sumit speciem malitiæ venereè aspiciens eam , si ergo iste tenetur confiteri venereum aspectum personæ , quomodò hujus circumstantias valeret abscondere ? Similiter sententiam adfirmantem , necessariò esse declarandas circumstantias , quæ magnam afferunt ad malitiam peccati accessiorem , contrarià esse *probabilior* , & tutiorem in praxi , nemo , opinor , negaverit. Cum ergo non sit licitum in negotio Sacramentorum , sequi opinionem minùs probabilem de

valore Sacramenti , relicta tutiore ; quamvis absque ulteriori consensu aspectus , & tactus venerei non diversificarentur specie propter personæ , corporisque ejus partium qualitates diversas , hæc necessariò , & non tantum probabiliter , erant exprimendæ ob notabilem valdè turpitudinem , quam venereæ malitiæ addunt circumstantiæ aspectus personæ honestæ , ac timoratae præ illa , quæ nec Deum timeret , nec homines reveretur , & tactus partium , quas natura , vel naturalis rubor velant. Profectò quia multum hæc differunt : *Commisum soluta grave peccatum contra castitatem : & illud : habui cum soluta copulam* , hæc explicanda necessariò venit in Confessione ; ut declaravit *Alex. VII.* damnatione Prop. 25. Quippè primum ; ingerit Confessario ideam de tactibus , vel aspectibus inhonestis , quod lethale peccatum est adversus castitatem : Secundum materiam suppeditat Confessariis , varia , satis nota , necessariò à poenitente quærendi , *diversumque* curationis modum exigit.

538 Theses quoque binæ
Kk 4 *Esco-*

(a) Lib. 6. p. 2. nn. 1030. & 1031.

(a) Sess. 14. cap. 5.

Escobarii (a) hæ sunt, deductæ necessariò, & legitimè ex Probabilissimo. 1. *Quid si dubito, me peccasse cum assensu* PROBABILITY in utramque partem, & sic ÆQUÈ PROBABILIS assensus? Non teneris hujusmodi piaculum confiteri: quia cum PROBABILE sit, te non deliquisse, vel etiam peccatum esse confessum; potes hanc sequi opinionem. *Suarius*, &c. 2. *Probabilius si judico, me deliquisse, aut non esse confessum, quid geram?* *Afferit Koning, confiteri me debere*, &c. *Alii* PROBABILITER affirmant, non teneri: quia potest quis OPINIONEM PROBABILEM, RELICTÀ PROBABILIORE, sequi. Non ita jam in præsentia materia, ut decrevit *Innoc. XI. Prop. I. Recole n. 429.*

539 Plures condidit *Tamburinus* (b). 1. *Dico, PROBABILEM esse sententiam, docentem sufficere, sine obligatione declarandi personas, circa quas ejusmodi morosa delectatio versata est.* Ita *Vazquez, Castropalao*, aliique non pauci. 2. *Non sic si quis delectaretur de concubitu conjugate, formaliter ut CONJUGATA EST, seu ut SACRA*

EST, &c. 3. Quod diximus de delectatione morosa, videtur etiam, secundum hanc sententiam, dicendum de aspectibus, quando quis respicit mulieres affectu venereo, &c. 4. An verò, sicuti certum est, quòd qui vovit castitatem, si morosè delectetur de objecto turpi, debet explicare suum votum.... ita conjugatus, si similiter morosè delectatur, obstringatur in confessione explicare, se esse conjugatum? affirmat Vazquez. Negat Hurtado his verbis, &c. Hæc Hurtadus sanè probabiliter. Id est ad tutam praxim.

Item (c) 5. *Quamvis PROBABILIS sit cum Suarez, Sanchez, &c. blasphemias contra Deum, contra Beatissimam Virginem, & contra Sanctos differre specie; tamen cum PROBABILE sit ex Azor apud Dianam, non differre; satis erit, si in confessione aperiatur numerus blasphemiarum, nec explicare opus erit, fuisse contra Deum, &c. (d) 9. Sed quid primò, quando copula (in loco sacro) est occulta? Resp. Licet COMMUNIOR, & PROBABILIOR sententia sit cum Suarez, Sanchez, & Bonacina, tunc*

tunc esse sacrilegium; tamen PROBABILE etiam est cum Vazquez, & Basil. Pont. NON ESSE, atque adeò in confessione minimè explicandum. 7. Quid tertio de osculis, tactibus, & locutionibus turpibus sine effusione seminis in Ecclesia PUBLICÈ factis? Resp. non esse ex hoc capite sacrilega: unde nec specialiter in totum, confessione sacer locus aperiendus. 8. Quid, si Sacerdos v. g. portans Sacram Eucharistiam, vel primò COPULAM CARNALEM haberet, vel secundò infamaret, seu furaretur, seu quid simile peccatum patraret? Resp. In primo casu magnam irreverentiam agnosco, unde & grave speciale sacrilegium, atque adeò Sacerdoti subijciendum. In secundo TAM GRAVEM IRREVERENTIAM NON VIDEO. Nec novum est, non omnia peccata æqualem turpitudinem continere: nam propter eandem rationem eum, qui valdè impudica ante altare exerceret, modò n. 11. à sacrilegio non liberavimus; liberamus tamen cum Azor alia peccata non ita turpia committentem. Talis ergo circumstantia non erit necessariò confitenda. Sed eadem committere in terreni Principis præsentia, vel in ejus proprio

etiam cubiculo, esset irreverentia magna; & non erit etiam præsentia cœlesti Rege, & dum in manibus defertur sacratissimum corpus Jesu Christi, Regis Regum, & Domini dominantium? *Recole n. 437. 438.*

540 Concinit de more *P. Viva* concludens (a): 1. *Quare satis est in confessione dicere, TOTIES MOROSÈ DELECTATUS SUM DE COPULA ILLICITA, non explicando, an cum nupta, vel moniali, consanguinea, &c. Vel TOTIES MOROSÈ DELECTATUS SUM DE OCCISIONE HOMINUM, non explicando, an sit circa PATREM, vel SACERDOTEM, vel inimicum, aut alterius conditionis. 2. Si quis alium sollicitavit, & peccatum non est secutum, DEBET IN CONFESIONE EXPLICARI; si tamen peccatum est secutum, putat PROBABILITER De Lugo, Tamburinus contra Sanchez, & Bonacina, non esse explicandum, QUÒD PRIMUS INVITAVERIS: quia quamvis graviter peccaveris invitando; ADHUC TAMEN ES PARTICEPS PECCATI ILLIUS, etiamsi non invitaveris. Recole n. 441.*

541 Haud dissimiliter *Dicastillus* (b) scribit: *Qui fecit vctum v. g. servanti fratrum præ-*

(a) Tract. 7. ex. 4. nn. 109. & 224. (b) Lib. 2. Meth. Confes. c. 7. §. 1. n. 2. 3. 4. & 5. (c) Ibidem cap. 3. §. 1. n. 17. (d) Ibi cap. 7. §. 5. nn. 35. 37. & 42.

(a) In cursu q. 5. a. 4. nn. 2. & 10. (b) Tract. 8. de Pœnit. d. 9. d. 2. n. 171.

præceptum Decalogi, potest separatum in eadem confessione dicere, SE FORNICATUM FUISSE, & subindè in decursu fateri, SE FREGISSE VOTUM in re gravi. Rursus (a) : *Respondeo, ferè communissimam Antiquorum Doctorum sententiam fuisse, quòd teneatur homo peccata NEGATIVÈ DUBIA clavibus subjicere : & Thomas Sanchez id OMNINÒ CERTUM reputat... Nihilominùs re maturiùs considerata, standum censo pro contraria, & communi (hoc est falsum) sententia.* Quæ in Prop. II. proscripita ab Alex. VII. apertè contenta videtur.

542 Circa quam notandum, quod cum P. Viva hic (b) ex suo Card. De Lugo asserit, N. Nicolaum Richardum Sacri Palatii Apostolici Magistrum (de quo Catal. pag. 158.) in falsam, & à doctioribus Theologis rejectam sententiam descendisse, negantem, peccatum manifestatum ut dubium, si deprehendatur deindè ut certum, debere iterùm subjici clavibus; quam eidem Lugoni aperiret in familiari colloquio; rejiciendus est simul cum eo, quem allegat testem. Tum, quia numquam vel unus ex D. Tho-

ma discipulis hoc docuit, hoc tenuit sphalma. Tum, quia laudatus Lugo inter Patronos hujus confixæ thesisi undecimæ aggregat NN. Petrum Ledesma, & Dominicum Soto, qui nondùm hunc non docuere errorem, sed semper, & in omnibus operibus publici juris factis, asseruerunt pariter, peccata oblita, vel omisâ iterùm esse subjicienda clavibus, imò circumstantias omnes, etsi notabiliter aggravantes, esse in Confessione aperiendas. Tum ex sæpè dictis, & dicendis in Lugo.

§. II.

543 **S**ED hanc Probabilistarum sententiam communem explicat satis clarè P. Gobat (c) his conceptis verbis : *Non contrahitur, adeòque confitenda non est, malitia circumstantiæ MUTANTIS SPECIEM, nisi pœnitens, QUANDÒ PECCATUM COMMITTEBAT, saltem dubitarit, an non adesset circumstantia talis, & an non contraheretur propter illam peculiare peccatum.* Ita fert COMMUNIS SENSUS Theologorum. *Utere mi bone vir frequenter hac regula, præ-*

præsertim in excipiendis confessionibus rudium, & nominatim quandò malitia circumstantiæ est nota soli Doctorum vulgo. Si quis, inquit, quandò peccatum committebat, sive de peccando cogitabat v. g. cum muliere conjugata, vel Deo sacra, saltem non dubitabat aut de tali circumstantia, aut propter istam incursum in peccatum distinctum; is talis, sicut non contrahit novum peccatum, ita neque ullam obligationem illud confitendi. Atque vult, hac doctrinâ (que damnati peccati philosophici est) utendos viros bonos, præcipuè in confessionibus rudium.

Sanè peccatores, dum consensu in adulterium, fornicationem, aut incestum incalescunt, voluptate sceleris animum absorptum habent; & quidquid aliud, præter circumstantiam mutantem speciem, cogitant. Numquid dum quisquam fornicationi, adulterio, incestui assentitur, is non voluptate carnis, libidinumque illecebris; sed summò consiliò, summâ, gravissimâque ratione inducitur, ut adsentionem adhibeat? Vix itaque est, qui quandò peccatum committit, ad circum-

stantias variantes speciem advertat, vel dubitet; sed flagitii voluptate abreptus, in hanc animum, sensus, & corpus intenta prorsus habet. Si ergo refert, quòd ante, vel post scelus patratum cum sorore, cum aliena uxore, cum Virgine Deo consecrata, sciat debitum circumstantiæ speciei diversæ manifestandæ; nemo communiter tenebitur manifestare circumstantias speciem mutantem. Et in ejusmodi doctrinæ usum excitantur boni viri, & in confirmationem allegatur communis Theologorum sensus?

Profectò inficiantur Casuistæ, qui hanc doctrinam tuerentur, peccare hominem posse, non solum nisi aliqua malitiæ cognitio peccato antecedit, sed etiam nisi dum peccat, ad eandem malitiam animum advertat. Quod licet constet inter omnes, qui norunt præcipuas Probabilistarum sententias; nè quis tamen minùs Theologiæ peritus dubitare possit, ita rem se habere, ac foedum illum, perversumque sensum, illum ipsam esse, quem, authore Vazquezio, multi defendunt Casuistæ; nonnulla proferam ad id confirmandum eorum testimonia.

Vaz-

(a) Ibì q. II. a. 6. n. 6. (b) In Prop. II. Alex. VII. n. II. (c) Tract. 7. num. 324.

544 Vazquez imprimis probare conatur (a) hoc paradoxum: Nisi quis advertat malitiam moralem operis in universum, vel periculum aliquod illius, vel de illo dubitet, non potest esse peccatum mortale. Hinc P. RHODES (b): Ut ignorantia vincibilis dicatur, tria exigunt vulgò solent. PRIMUM, ut non sit antecedens, aut concomitans, sed verè consequens, id est, ut sit volita. SECUNDUM est, actualis advertentia malitiae illius. TERTIUM est, notabilis negligentia sciendi ea, quæ possumus, & teneamur scire. Horum similia habet P. La-Croix (c) docens: Si supponas adesse absolutam inadvertentiam, ita ut nullò modò cogitetur de malitia hujus objecti; quamvis ignorantia, vel incogitantia sit culpabilis, opus ex ea sequens non habebit malitiam specialem, nisi præcisè illius negligentia, vel neglectus sciendi, & advertendi, nec erit imputabile ratione sui, sed tantum ratione cause. V. g. Si quis hic & nunc absolute, attamen vincibiliter ignoret malitiam mendacii, peccat quidem mentiando, non tamen contrahit malitiam SPE-

CIALEM MENDACII, sed tantum negligentia, vel neglectus in cognoscenda, vel advertenda illa malitia. Ignorantia enim absoluta, sive sit vincibilis, sive invincibilis, facit equaliter non cognosci malitiam: ergo etiam non contrahi; cum non sit volibilis, ideòque nec contrahibilis per voluntatem, nisi cognita sit per intellectum. Et numerans hujus sententiæ Defensores, scribit (d) hoc modò: Ita docent omnes communissimè, S. Aug. S. Thom. S. Antonin. Albertus Mag... Joannes Sanchez D. 19. Gobat in quint. F. cap. 9. n. 83.

De Augustino, ceterisque claris Theologis mentitur, ut ostendit Dinellius (e). Jam de ipso Vazquo, hujus sententiæ Authore, Martinez de Prado (f) scripserat: Congerit decem & octo Doctores, quos legi, & nullum ei faventem invenit. Quod ipsum alii sibi contigit testati sunt. Ecce, ne decem quidem, & octo Doctores, quibus Vazquez contentus erat, defendisse reperiuntur, quod Gobatus & La-Croixius omnium Theologorum dicunt esse commune. Mit-

(a) 1. 2. differt. 107. cap. 3. (b) Tom. 1. tract. 4. disp. 11. quæst. 1. sect. 1. §. 7. pag. 423. (c) Lib. 5. cap. 1. dub. 1. n. 21. (d) Loco cit. num. 16. (e) Tom. 2. epist. v. n. 96. pag. 153. (f) Tom. 1. cap. 2. quæst. 6.

Mitto dicere, vix dignum esse appellatione Theologi, cum qui non videat, novos Casuistas hac sua opinione omnia tollere peccata ignorantia, neque procul abesse ab errore Celestii, & Pelagii; à quo non procul abesse universos Theologos, sine magno errore, ac insigni audacia putò dici non posse. De Gobato non mentitur La-Croixius, nam loco ab ipso indicato, ita scribit ille: Generalissimè dicendum (sive de cultu idolorum, sive de hæresi, sive de perjurio, sive de blasphemia, sive de verbis obscœnis: uno verbo, de quovis maleficio, unâ exceptâ, opinor, hæresi Janseniana, sermo habeatur) generalissimè, inquit, dicendum, numquam à te peccari lethiferè, exercendo, vel ommittendo quamcumque demùm actionem, nisi illud exercitium, omissionemvè præcedat, vel comitetur actus, quo aut suspiceris, opinerisvè, ejusmodi actionem, seu omissionem esse moraliter malam, aut certè dubites, sitnè moraliter mala, seu prohibita, necnè. Ita sanè universim docent Alexand. Alens. S. Bonaventura, Albertus, Antoninus, Cajetanus, alii, quos referunt, se-

quanturque Vazq. 2. Disp. 107. cap. 3. atque Laymann. lib. 1. Theol. Moral. tract. 3. cap. 5. n. 13. Hujus simile secutus est La-Croix.

545 Ergo age, unde habent, universos Theologos requirere ad peccandum actuali malitiæ cognitionem? Quo testimonio demonstrant, ipsos cò ignorantia genere, quæ vinci potest, & culpâ non vacat, omne genus flagitii excusare, quemadmodum hac sua opinandi licentia excusant novi Casuistæ? Ubi quisquam eorum, quos laudant, scribit, uti suprâ scribere ostendi La-Croixium, & rursus (a): Si quis etiam per TOTUM DIEM sentiat in corpore inordinatam delectationem, sed non advertat ad ejus malitiam; vel si advertat malitiam, si eam delectationem invitatus habeat, NULLÒ MODÒ peccat; quia si non advertat, EST, AC SI INVINCIBILITER IGNORARET: ignorantia autem invincibilis excusat? Hoc secundum propositionis membrum exponit clariùs sensum primi. Quasi diceret: Si quis etiam per totum diem sentiat in corpore inordinatam delectationem, nullò modò peccat, si non advertat ejus malitiam, etiam-

(a) Loco cit. n. 219. cap. 2. dub. 2.

etiamsi eam non habeat inuitus (quòd ita sit intelligendum hoc primum membrum, sit clarum ex contextu, atque ex contrapositione, quam facit, particularitatis, *vel si eam*, &c.) *Quia si non advertat, est, ac si invincibiliter ignoraret.* Ecce quam omnium Theologorum communem dicunt esse sententiam *Gobat*, & *La-Croix*.

Verùm hi non debent tantam facere fidem, ut in quo illi deciperentur, id ceteri quoque Probabilistæ adfirmant pari confidentia, & dogma cum nuperum, & novitium, tum omnium, quæ excogitari possunt, maximè perniciosum, ut *Eraniste* (a) & *Patuzzius* (b) demonstrant, universis Theologis tribuendum putent. Nam illi quidem ita scribebant, cum in honore essent, seseque in morum disciplina magnos viros prædicabant, & omnibus Patribus impunè anteferebant: quò fiebat, ut quam sex, aut septem defendissent opinionem, eam statim communem, communiorem, *communissimam* confidenter appella-

rent; & aliquandò ipsi Ecclesie per summam impudentiam tribuere non dubitarent. *Recole n. 27. 44. & 71.* At quis hoc tempore, quò certè eorum opera saltem non commendantur, æquo animo ferat, bonum, & eruditum Theologum, quod falsum, quod fœdum, quod verustius Probabilismò non est, id vetus, id solidum, id omnium Theologorum dicere esse commune?

§. III.

546 **A**udiamus P. *Carmargum* ad sacros pedes *Clementis XI.* lachrymantem (c): *Nempe nihil vulgarius, nihil magis in more, & ore positum, non apud vulgus tantum, sed apud Confessarios, Concionatores, & Sacra Theologiae Magistros, quam peccare neminem posse, NISI REMORDENTE CONSCIENTIÀ, neque fieri unquam posse, ut lex Dei culpabiliter violetur, adeoque ut Deus ipse offendatur ab eo, qui dum agit, existimat se bene agere, aut non credit se malè agere, vel de hoc saltem actu non du-*

dubitat. Error hic nihil differens à Pelagianorum errore, tolente ignorantia peccata, à Palestina Synodo pridem damnato, satis clarè novissimè confixus decreto Apostolica Sedis, quò damnata fuit thesis illa de PECCATO, quod vocant PHILOSOPHICUM, quia universaliter assererat, neminem posse theologicè peccare, dum actu de Deo non cogitat. Is, inquam, error seu consequens, seu concomitans, seu potius inferens Probabilismi errorem, relaxationem legum divinarum, & generalem morum corruptionem ex eodem Probabilismo, ut ex communi fonte manantem, non modò radicat, ac firmat, sed inexpugnabilem facit, expulso nempe ab animis Dei timore, & cura de inveniènda veritate morali, id est ipsa lege divina, quæ unica salutis via est.

Quomodò namque diligenter inquirent, & non auditum magis avertent à veritate libertati inimica, & usque adeò sensibus repugnante, illi qui de errore contrario, non modò firmiter persuasi sunt, sed certissimè quòque credunt, dummodò de illo non dubitent, neque peccare se, neque perire posse, imò etiam honestè agere? Hinc non tantum offensio, sed odium vehe-

mens doctrinæ sanæ, ac veræ; hinc intemperans amor laxarum opinionum; hinc communis invidia Magistrorum docentium sanam, sinceramque morum doctrinam; hinc coactio eorum, qui pruritus aurium scalpant, qui errores videant, & placentiã doceant; hinc Theologiæ moralis studium ferè nullum; hinc priscorum Doctorum, imò & SS. Patrum contemptus; hinc conscientiarum pax illa infelicissima, omni cruento bello crudelior; hinc Christianorum morum deploranda corruptio; hinc demùm rei christianæ facies longè miserrima iis cunctis, qui ad videndum oculos habent, quæ non modò ex paterno, ac benignissimo Vestre Beatitudinis petore, sed vel ex corde silice duriori, fontem posset elicere lachrymarum.

Fuerunt quidè perpetuò errores alii, multò impudentiores, & sensibilibus execrabiliores; sed nullus unquam istò extitit perniciosior Ecclesie Dei. Illis videlicet homines perditissimi, vitâ suâ turpissimâ, & notis sceleribus infames, quasi eminens, & forinsecus apertum bellum inferebant Ecclesie; hoc autem Viri plurimi, alioqui pii, & Magistrorum nomine insignes, quique Christiani populi duces

(a) Epist. tom. 1. Lett. 10. pag. 425. & seqq. ac tom. 2. Observat. Lett. 9. §. 3. pag. 30. à n. 27. (b) Tract. de Reg. prox. ac human. tom. 1. à pag. 339. (c) In suo Memoriali n. 3. & 4. apud Eraniste Lett. tom. 5. à pag. 416.

consentur, in ipso Sanctuario dissimulatum bellum exercent. Illis qui movebantur, foras exibant, & ut putrida membra refecabantur, ne reliquum corpus inficerent; hunc verò innumerum, qui sectantur, ac promoveant, christiana Sacramenta frequentant. Per illos prava multorum corda revelabantur, ut caveri possent; per hunc improbi multi latent etiam se ipsos, facie quidem Christiani, Ethnici tamen corde. Illi denique paleas aræ dominicæ ut webemens turbo rapiebant; hic verò blandè nocens, atque dissimulanter & triticum ipsum perdit.

S. IV.

547 **P**Rætere dicitur Gobato agens (a) de quodam suæ Societatis Decreto, quo cavetur, ne quis doceat hanc propositionem: *Moribundus etsi nullum signum det, aut dederit contritionis; adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam confessionem, absolvi potest*: Porro, inquit (b), circa ordinationem illam nostri Ordinis, de qua

numero præcedenti differuimus, notanda sunt duo. Primum, quòd loquatur de casu, quo non potest prudenter præsumi, quòd ediderit signum.... Alterum, quòd ordinatione expressè solùm prohibeat, ne illa sententia doceatur, non autem expressè, ne practicetur. Sanè si vel ipsius Societatis Decreta lepidis eluduntur commentis; quam expectare obedientiam Decreta extranea valent? Altrò prætereo silentio confectaria, quæ hinc sponte sua proficiscuntur. Ne autem Gobato videar imponere cum Concina, videndus omnino Dinellius (c); qui etiam alibi (d) ostendit, quàm immeritò P. Suarez imponat SS. DD. Aquinati, & Antonino, quòd docuerint, præceptum annuæ Confessionis solùm per accidens, ratione scilicet Eucharistiæ percipiendæ, obligare, cum apertè oppositum doceant.

548 Sed prætereundum non est, P. Vivam inter Propositionis 24. ab Alexand. VII. confixæ Patronos ex falsa relatione Caramuelis, vel Diana adnumerasse (e) Melchiorum Canum, & Bartholomæum Fu-

mo,

mo; vulgò *Armillam* ex titulo libri. Nullus locus inventus est *Cani*, qui suppeditare valeat tali accusationi fundamentum vel leviissimum. Quisquis indicaverit, erit mihi magnus Apollo. *Armillam* quidem scripsit (a), quòd vitium contra naturam sit una species. At loqui, non de specie *athorna* seu infima, sed de *subalterna*, evidentiissimum est ex ibi subjunctis post enumerationem peccatorum contra naturam, videlicet: *De hujusmodi oportet confiteri SPECIFICÈ, & de cogitationibus, ac actibus, qui in eadem specie sunt.... Sit igitur diligens Confessor, dum circa hoc peccatum interrogat, ut tangat SPECIES: non autem ad actus, & modos singulares descendat.* Et rursus (b): *Debet Confessor esse prudens.... præcipue circa materiam venereorum. Undè habita ULTIMA SPECIE peccati, non ultra procedat.* Porro Confessarium monens, ut dum circa hoc peccatum interrogat, tangat species, agnoscit certè, sub ratione peccati contra naturam plures species contineri, exprimendas necessariò in confessione. Maximè cum ibi *Armillam* loquatur secundum

sententiam D. Thome; quem laudat, cui neque *Viva*, neque alter usque modò ausus est imponere scandalosam ejusmodi opinionem.

549 Infitit P. *Viva* (c) ut sententiæ damnatæ ab *Alex. VII.* Prop. 25. faveat *Dominicus Soto*. Qui ejusdem *Soti* opera & sæpius legerit, & consultò ex hoc momento inquirendæ veritatis iterum iterumque resolverit, nec per volam, aut per nihilum declinantem à veritate reperiet tam insignem Magistrum, cui per somnium, & per injuriam potest tantummodò adjudicari confixum sphalma. Quin oppositum apertè docet (d) per hæc verba: *Hinc fit, quòd si quis in vigilia causam daret pollutioni futura in somno, sed tamen antequàm dormiret, eum legitime facti pœniteret, pollutio in somno subsequens non esset peccatum; eo quòd causa fuerit intercessa. Quæris autem obiter, utrum, si tunc etiam confiteretur, post subsecutam pollutionem, teneretur iterum confiteri? Respondetur, quòd si confessus est, eam ex proposito procurasse, FORSITAN non esset opus alia confessione: sed tamen TUTIUS EST, aliam*

LI

aliam

(a) Tract. 7. n. 602. (b) Ibi n. 604. (c) Tom. 2. epist. 5. pag. 156. à n. 97. (d) Tom. 3. epist. 9. pag. 541. à n. 211. (e) In Prop. 24. *Alex. VII.* n. 1.

(a) In Sum. V. *Luxuria* n. 5. (b) V. *Confessor* n. 3. (c) In Prop. 25. *Alex. VII.* n. 3. (d) In 4. sent. dist. 12. q. 1. a. 7.

aliam adhibere ad expressiorem explicationem culpæ. Quis Sotum dixerit tam cautâ, & circumspectâ doctrina favere damnatæ? Qui procuravit pollutionem, sed pœnituit, atque sincero dolore obtinuit in Sacramento Pœnitentiæ remissionem peccati sui, jam ex parte sua occasionem abstulit illius immunditiæ, adeo ut hæc dici culpabilis nequeat aut in se ipsa, aut in causa, quæ amplius non subsistit moraliter. Quomodo igitur necessarium erit, eam exprime-re nova confessione? Et tamen Sotus certificare non audeat, sed dubitando, *forfitan*, inquit, *non est opus alia confessione.* Subditque: *Sed tamen tutius est, aliam adhibere ad expressiorem explicationem culpæ.* Qui ita scribit, quàm longè abest ab imposta damnatione!

ARTICULUS III.

Satisfactio.

§. I.

550 **T**enetur homo, Deo pro suis delictis, pœnis temporalibus satisfacere; nec solutio à reatu

pœnæ aternæ, liberationem à debito pœnæ temporalis importat: cumque aliunde, quas Deo exhibemus satisfactiones, ita plerumque imperfectæ sint, ut à gravitate criminum adæquanda longissimè distent; huic insufficientiæ Deus misericordiarum, & totius consolationis providit, facta Ecclesiæ potestate, indulgentias in supplementum, & subsidium pœnitentiæ concedendi. In fidei symbolo profitemur *Sanctorum Communionem.* Hoc autem dogma ita Ecclesia semper intellexit, ut crediderit, bona iustorum opera iis prodesse etiam titulo satisfactionis, pro quibus offeruntur. Quare si satisfactio spectetur, quatenus debiti peccatò contracti solutio est, unus potest pro altero satisfacere. At quia etiam spectatur satisfactio ut medicina ad morbos animi curandos conducibilis, hõc modò sumptâ, unus nequit pro altero satisfacere: quemadmodum enim corporaliter ægotanti non prodest potio sumpta ab altero; ita nec satisfactio unius juvare alium potest, ut sit ei remedium contra peccatum; quia jejuniò unius caro alterius non domatur, neque bonis unius acti-

actibus potest alter benè agendi consuetudinem comparare. Hinc proscrip-ta est ab *Alex. VII. prop. 15.* Et *Benedictus XIV.* inter monita, ut fideles Indulgentiarum fructum consequerentur anno Sancto 1750. edito Diplomate (a) habet: *Quartum monitum satisfactionem attingit, quæ Sacramenti pœnitentiæ postrema pars, &c.* Quibus Confessarios commonet, satisfactionem esse imponendam pro criminum gravitate. Quamvis itaque satisfactioni operis proprii intimè conjuncta sit Indulgentia, sive Jubilæum, disjungere tamen nituntur Probabilistæ.

551 *P. Sporer* hæc profert verba (b): *Excusatur Confessarius, ut nullam, vel levissimam pœnitentiam injungat.... Quando quis lucratur Indulgentiam plenariam, potest dimitti sine ulla alia minuta pœnitentia; cum per illam indulgentiam satisfiat debito pœnæ. Etsi autem id rarò pro certo constet, sufficit quòd probabiliter credatur. Sed & Card. De Lugo* habet (c): *Tempore Jubilæi posse Confessarium leviores pœnitentias imponere; obligando*

tamen pœnitentem ad lucrandum Jubilæum. Et hanc affert causam: *Quod redundat etiam in levamen Confessarii, qui frequenter nescit, quomodo peccatori ingentibus peccatis gravato, possit congruentem pœnitentiam imponere, præsertim cum ad quamlibet pœnitentiam graviorum, difficilem eum inveniat.*

Ex hac causa colligitur apertè, non postulare sententiam *Lugonis*, ut pœnæ à Sacerdote impostæ sint leviores, quàm cateroquin ille homo meretur, alioquin eadem molestiâ premeretur Sacerdos, quàm vult eum liberare. Nimirum, illud in pœnis minuendis considerare deberet, an peccatis congruentes imponeret, neque id ipsum considerare posset, nisi quanta ex Canonum præscripto debeat, agnosceret. Quare fateantur oportet, aut nomen illud leviores comparativum non esse, sed idem ac *minutas*, quo utitur *Sporerius*; aut, si comparativum est, secum pugnare ipsum *Lugonem*.

Porro *D. Thoma*, aliorumque Theologorum sententia est, manere liberum in

Ll 2

con-

(a) Bullar. tom. 3. pag. 90. Const. Apostolica constitutio XIX. §. 23. (b) Part. 3. cap. 4. q. 1. §. 3. n. 545. pag. 245. (c) Disp. 27. lect. 2. n. 30.

conscientia ab implendis pœnitentiis injunctis illum, qui lucratur indulgentiam; at ex ea non sequitur, liberum esse Sacerdoti pœnas imponere, posseque debitis pœnis imponendis superfedere: quandoquidem aliæ multæ sunt causæ, ex quibus, minus singulis, saltem universis efficitur, ferendum nullò modò esse, ut eas pœnas Sacerdos imponere prætermittat, quæ indulgentiis redimuntur. Longum esset, & non necessarium de his causis accuratè differere. Una tamen est, quòd neque *D. Thomas*, neque alii veteres Theologi umquam istam libertatem Sacerdotibus concesserunt. Altera est, sanè gravis, quòd oportet, eos, qui sæpè, & multum peccarunt, intelligere quanta sint digni pœna, quantumque in hac vita laborem ad culpam luendam suscipere deberent; & sanè magni interèst ad utilitatem populi Christiani, istam novorum Casuistarum minui opinionem, quâ fit, ut tam salubris cogitatio; omnisque Christianæ pœnitentiæ sensus ex animis hominum obliteretur. Tertiam causam adfert *Suarez* (a) docens: *Per has*

indulgentias remitti pœnitentias impositas ut satisfactivæ sunt, non ut medicinales, quia Indulgentia non datur in destructionem, sed in adificationem animæ, &c.... Ex dicta verò limitatione obiter intelligitur, his temporibus consideratò modò, quòd pœnitentiæ imponi solent, rarò, vel numquam licere omittere pœnitentias impositas propter indulgentias; quia revera imponuntur levissimæ pœnitentiæ, & quæ vix sufficiunt per modum medicinæ.

Quæ doctrina, quamquam *Lugoni* non probetur, nihil tamen occurrit, cur non sit verissima. Laudandus quidem *Lugo*, propterea quòd moneat (b): *Consulendum semper esse pœnitenti, ut opera imposita, quoad fieri potest, adimpleat; nec debere pœnitentias omitti Indulgentiarum occasione.* At nihil aliud relinquit Sacerdoti, nisi facultatem admonendi, & hortandi (quod nemo est à Religione tam remotus, qui non fateatur), non verò compellendi pœnitentem ad pœnam, quam illi imponit, sustinendam, præsertim cum eam injungit ad animi medellam, ut alii sentiunt. Quod cum neget *Lugo*, imitari mihi-

hi videtur morem Casuistarum, qui in controversiis definiendis sæpenumerò nucleum tollunt, & putamina relinquunt.

552 Hinc eo laudato, & ejus sententiâ relicta probabili, contrariam censet *P. Viva* (a) tantum probabiliorum, in sensu nempe Probabilistarum, ex quibus unus est. Quin, cum in tractatu de Jubilæo (b) agitaret controversiam de illo, qui virtute Jubilæi obtinuit absolutionem à reservatis, & deindè non implet opera injuncta, resolutorièque dixisset: *Censeo cum Suariorum, Vazquii, Filliuc. hunc mortaliter peccaturum: cum, inquam, in hoc loco, in quo data opera quæstionem expenderat, tam apertè, atque explicatè Suarezii probasset sententiam, atque etiam contraria Sanchezii solvisset argumenta; nihilosecùs in suo cursu Theologico, quem multò post edidit, rursus in utramque partem disputavit, asseruitque (c): Præscindimus hic, an si iste talis virtute Jubilæi absolvatur directè ab aliquo reservato, peccet deindè mortaliter, ut docet Suarez, mutando animum, &*

non ponendo alia opera ad absolutionem Jubilæi. Etenim videtur deficere in re gravi, ad quam se obligavit veluti ex pacto, acceptando beneficium absolutionis. Exposita quoque *Suarezii* opinione, continuo adjungit: *Verum solum venialiter peccare, docent Iugo, Sanchez, Henriquez, & alii apud Dianam, quia non deficit in pacto utili promissorio, sed utili ipsi pœnitenti.* Ubi assensionem *Viva* non cohibet, sed more Casuistarum, proposita *Suarezii* sententiâ, contrariam *Lugonis, Sanchezii, & aliorum* exponit, magisque sibi probari demonstrat, quam alibi multò antea improbaverat. A quo igitur præscindere ait? Nisi, quia in sententiâ non stetit, & horum Casuistarum, quam antea improbarat, probabiliorum judicavit opinionem? Nemo enim quod declaraverat, & omninò tenendum esse statuerat, id ipsum in controversiam rursus revocare, & de eo in utramque partem disputare solet, nisi quia vel sit oblitus, vel amplius non probet ea, quæ antea scripserat.

Approbat itaque opinionem

Li 3

nem

(a) In Enchir. de Jubil. ac Indulg. q. 5. a. 2. & in Curs. Theol. q. 6. de Pœnit. a. 1. n. 1. (b) Quæst. 11. a. 5. n. 2. (c) Quæst. 9. a. 4. n. 5.

(a) Dilp. 38. sect. 10. n. 10. (b) Ubi supra n. 31.

nem (a) P. Gobati dicentis (b): *Licet probabile sit id, quod ex Bonacina retuli; negare tamen non possum, quin etiam sit PROBABILE, pœnitentem non tene-ri tempore Indulgentiæ plenariæ, quam lucrare decrevit, ULLAM ETIAM MEDICINALEM PœNITENTIAM (nisi illam, quam fortè ipsam jus naturæ, citra omne Confessarii præceptum, præscribit) admittere. Nam ita fusè docet Cardinalis De Lugo.*

553 Quid? Tamburinus inquit (c): *Aliis videtur, etiam post Tridentinum, esse probabilis (opinio, quæ docet absolute, Pœnitentem non tene-ri acceptare pœnitentiam): quia non videtur, Tridentinum damnare voluisse opinionem, quam doctissimi viri sequebantur. Hoc prætextu defendi poterunt quasi cunctæ sententiæ damnatæ. Ex qua opinio-ne (subdit) sequitur, quod si esset pœnitens aliquis, qui NOLLET ACCEPTARE, paratus in Purgatorio solvere; non esset ex hoc præcisè censendus indispositus (nisi fortè recusaret pœnitentiam etiam parvam, quod esset signum non veri doloris.) Nec propter hoc solum esset sine absolu-tione dimittendus; quia sequitur*

opinionem, quam tanti viri sequuntur.

§. II.

554 **P**rætermittamus non oportet illud P. Vivæ (d): *Hinc nonnulli cum Paludano, Sylvestro, Antonino, Altisiodorensi apud Lugo... docuerunt, quod si pœnitentia à Confessario imposita sit merè satisfactoria, & non medicinalis, & præservativa, possit pœnitens alium substituere, qui illam impleat, & sibi applicet eam satisfactionem, &c.* In fide sui Lugonis imponit P. Viva tam laxam opinionem tribus Dominicanis, non quidem de grege, ut ajunt, sed nobilioris subfellii, nimirum S. Antonino, Patriarchæ Paludano, & Sylvestro Magistro Sacri Palatii. Qui tamen numquam permittunt pœnitenti, ut possit alium propria auctoritate subrogare, qui impositam sibi pœnam in Sacramento Confessionis exequatur. Imò oppositum expressè docent. S. Antoninus enim nedum in Confessionali, sed etiam in Summa id expressè fatetur: & solum ex S. Raymundo, ac

Pe-

Petro de Palude docet, quod quando opus in Sacramento injunctum, redditur pœnitenti impossibile, possit demandare alteri probo viro exequendum non omisis tamen à pœnitente aliis operibus virtutum sibi possibilibus: quia ista censetur fuisse voluntas sacri Judicis. Paludanus verò dicit, quod Pœnitens potest per alium adimplere impositam ei pœnam, aut ubi id Confessarius expressè indulget, aut ubi eam morte præventus non potest exequi: quia hinc alterius orationes, ac pia opera per modum impetrationis ei proderunt, ut releveret à pœna, quam pro suis peccatis luere debet. Tandem Sylvester id pariter ex communi Doctorum adstruit. Sed quænam proportio inter doctrinam sanam, & damnatæ propositionis confixum errorem? Poterat quidem hoc pacto confundendo pretiosum cum vili, vapulare Cl. Astius, imò Theologorum Princeps D. Thomas, qui pariter adstruunt, posse pœnitentem ex Confessarii indulto per alium satisfacere.

555 Verum, ut clariùs videatur impostura, audiantur ipsi, vindicēs suimet iisdem in

locis, citatis à Lugo. S. Antoninus, ex quo eruitur sensus Paludani, hæc habet (a): *Utrum unus possit pro alio satisfacere? Respondet Petrus (de Palude) quod cum sit duplex effectus satisfactionis: Unus, solutio debiti peccatorum commissorum; alius excisio casusarum peccatorum futurorum: Quantum ad secundum effectum non potest unus satisfacere pro alio; quia per jejunium unius non maceratur, & refrænatur caro alterius. Quantum ad primum effectum distinguendum: quia si quis est PER SE IMPOTENS satisfacere, tunc alius, qui est in charitate, potest satisfacere, sicut & confiteri pro eo. Si verò EST POTENS, TUNC OPORTET, QUOD IPSE SATISFACIAT PRO SE IPSO. Potest tamen juvari per alterum: & addit Thomas, quod etiamsi sit potens, potest alius satisfacere pro eo. Sed non est permittendum, quod aliquis pro alio satisfaciat, nisi appareat aliquis defectus in pœnitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam. Augustinus etiam de Pœnit. dif. 6. can. 1. consulit Confessori, quod adjuvet pœnitentem porta-*

Ll 4

re

(a) Ibi q. 6. art. 1. de Pœnit. (b) Tom. 3. tract. 3. c. 25. n. 174. (c) Lib. 4. Meth. Confess. c. 2. n. 7. (d) In Prop. 15. Alex. VII. n. 2.

(a) 3. par. tit. 14. cap. 20. §. 1.

re onus pœnitentiæ, ut sit particeps laboris, si vult esse particeps & gaudii. Et quantum ad satisfactionem, qua imponitur in confessione, dicit Petrus de Palude, quod si Confessor imponit aliquid faciendum per se, vel per alium, ut jejunium, vel orationem, vel alia; secundum omnes, sive per se, sive per alium illud faciat pœnitens: satisfacit Deo, & Ecclesiæ, dummodò illud fiat in charitate, si-ve sit vivus, sive mortuus. Sed si imponit sibi per se faciendum, tunc non potest satisfacere per alium, quando per se potest.

556 Hæc est doctrina generalis stabilita à Paludino, & approbata à S. Antonino, directè opposita thesi damnatæ. Verum est quidem, aliquos postea assignare casus, in quibus possit pœnitens alium substituere, qui pro se adimpleat pœnitentiã. At hi destruunt fortè generalem doctrinam constitutam, noviterque confirmatam? Primus est, si pœnitens non possit, sive quia infirmus est, sive quia moritur. Duo alii, de quibus, ait, non est ita certum, sunt: si pœnitens incumberet operibus plus Deo gratis, plus-que juvantibus in remedium

peccati, & propter hoc alteri imponit, non propter amorem carnis, ut non sustineat laborem; uti esset propter prædicationem fidei ad confusionem, & conversionem infidelium. Et ulterius, quum impulsus fuisset ab ardentissima pressura offerendi Deo pro suis peccatis majorem satisfactionem, & idè imponit homini magis accepto Deo. Quomodò igitur Theologi, qui talem tradunt doctrinam, poterunt umquàm videri rationabiliter Lugoni ac Viva propugnatores damnatæ sententiæ laxæ?

557 Sed audi rursus S. Antoninum dicentem (a): Quum quis non facit pœnitentiã sibi injunctam pro mortalibus, ex negligentia dimittens, peccat mortaliter; quia sub præcepto ad illud tenetur. Secus, si dimitteret ex impotentia: debet tamen facere tunc sibi commutari in aliud ab illo imponente, vel alio, si ipsius copiam habere non potest; & oportet, iterare confessionem, si ex negligentia dimisit, vel etiam oblivione, si alteri confitetur. Qui adstrictè teneri pœnitentem censuit ad pœnitentiã implendam; plurimum profectò abfuit ab eorum opinione, qui eam

eam dimitti posse tradiderunt, dum per alios suppleatur, quorum est 15. Propositio damnata ab Alex. VII. Notum, qui sint. Tota S. Antonini, & Paludani doctrina ea ipsa est, quam docet Sylvester (a) omninò videndus.

ARTICULUS IV.

Absolutio.

§. I.

558 **I**nnumerabiles sunt opiniones circa deplorabilem facilitatem, & perniciosam absolvendi eos, qui benè dispositi non sunt ad fructum Sacramenti percipiendum. Ecce paucas nonnullas. P. Laymann (b) habet: Confessarius absolutionem à peccatis diviti non facillè negare debet, quod communes pauperum miseras per eleemosynam sublevare, MONITUS recuset. P. Viva (c): Unde inferunt Perez, Leander, Lugo, aliique, posse absolvi adulescentes, qui versantur cum famularibus laborando, VEL CONVERSANDO CUM IIS, qui in eadem

domo non habitant: quia licet aliquandò in tali occasione MOR-TALITER PECCENT CONSENSU, TACTIBUS, ET ETIAM COPULA; ea tamen occasio censetur esse DE SE REMOTA. Quandoquidem NON SO-LENT HOMINES EX TALI OCCASIONE SEMPER, aut fere SEMPER peccare mortaliter. P. Moya (d): Prima sententiã asserit, habentem OCCASIONEM PROXIMAM absolvi non posse, nisi prius eam reliquerit, nec ejus proposito fidentium.... Contrariam verò sententiã tuentur VIRI DOCTISSIMI, Suarez, Joannes Sanchez, Tabiena, &c. Quam VERIOREM censeo.

Sanè si ad istam reddendam solidè probabilem non sufficit Moye authoritas, sufficient illi viri doctissimi. Rursus citatus Laymann (e): Excipere nisi propinquum periculum, seu occasio mortaliter peccandi, sine gravi incommodo corporis, fame, vel fortunarum tolli non possit: tunc CONSILIUM quidem est, minorem illam jacturam majori bono securitatis animæ posthabere, sed NON PRÆCEPTUM. Quare ABSOLVENDI SUNT, qui officio, negotiatione, domo, in qua peccandi periculum pro-

pin-

(a) V. Satisfactio n. 3. (b) Lib. 2. tract. 10. cap. 6. (c) Quæst. 6. art. 4. n. 5. (d) Tom. 1. tract. 3. disp. 7. q. 5. (e) Lib. 5. tract. 6. c. 4. nn. 9. & II.

(a) Part. 2. tit. 9. cap. 8. §. 4.

pinquè imminet, DISCEDERE NOLUNT, quia sine maxima difficultate non possunt: interim parati adhibere peccatorum remedia, præsertim ea, quæ à Confessorio ipsis præscribuntur, ut docent Sà, Henriquez, &c. Ratio est, quia OCCASIO peccandi, in se peccatum non est, neque necessitatem INFERT, &c. Quare cum ea consistere potest peccatorum detestatio, & absolutum propositum adhibendi operam, &c. Quamvis interim adjunctus sit timor, aut existimatio, voluntatem aliquandò immutatam iri. Deinde: Qui est recidivus, si affert aliquod signum emendationis, est SEMPER ABSOLVENDUS. Signa autem sunt, vel rariùs peccare, vel aliquis major dolor ex vero animo conceptus, VEL IPSUM SPONTE CONFITERI in his, qui non urgentur à Præceptore... ad confitendum... Tunc enim habetur signum emendationis.

Si etiam accedere spontanè ad Sacramentum est hujusmodi signum emendationis, propter quod negari non debeat absolutio peccatoribus, qui relabuntur in eadem peccata; vix unus erit recidivus, numquam absolvendus: nam ma-

ior & maxima eorum pars ad Confessionem accedit propriâ voluntate, quamvis infirmâ, imperfectâ, & non resolutâ, atque constante, ut esse deberet.

559 Card. De Lugo (a): An qui sæpiùs absolutus propter grave detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proxima, eodem tamen modo semper relabatur, nec in eo ulla correctio reperitur, cogendus sit subire illud detrimentum, & relinquere occasionem illam proximam? Affirmare videntur Suarez, Grassius, Reginaldus.... Oppositam sententiam docent Vivaldus, Joan. Sancius, & alii Theologi. Quæ sententia in rigore VERIOR videtur per se loquendo. Quæ præscriptis Evangelii (b) erit contraria; si hæc opinio non sit?

560 P. Sporer (c): Si pœnitens dicat: OMNINO QUIDEM DOLEO, AC FIRMITER PROPONO in posterum abstinere (hoc de omnibus recidivis dici solet); interim tamen SCIO, ITERUM FACIAM, ITERUM LABAR, &c. is, tamquam BENÈ DISPOSITUS..., absolvendus est. Et ibidem (d): Quando solum est PROBABILE, te succubiturum in tali occasio-

ne tentationi, certè etiam PROBABILE est, te non succubiturum... Certè hujus judicium sequendo, sine nota temeritatis, ob rationabilem causam POTERIS TE COMMITTERE huic occasione, certò non commissurus, si SCIRES, VEL CERTÒ CREDERES, te lapsurum. Quare Confessorius non judicabit, esse in proxima occasione peccandi, v. g. se inebriandi, fornicandi, &c. qui in tali loco DECIES tentatus, succubuit solum TER, vel QUATER: secus SI OCTIÈS vel SEPTIÈS, & bis, vel ter tantum peccatum evitavit, & superior evasit. Quapropter huic, non illi, NOLENTI HANC OCCASIONEM RELINQUERE neganda erit absolutio. Quia Jo. Caramuel vult, etiam dandam absolutionem illi, qui TOTIÈS FUIT VICTOR, QUOTIÈS VICTUS, referente, & non contradicente P. Gobat. Atque idem Sporer ibi (a) loquens de iis, qui frequenter relabuntur in peccata mollitiei, & pollutionis, docet, esse absolvendos toties, quoties accedunt ad Confessionem, & emendari proponunt; hac ductus stupenda ratione: Quia, inquit, redire cum iisdem peccatis, de se non est signum deesse verum dolorem, & propositum emen-

dationis; certè non magis, quam si rediret cum aliis novis diversis peccatis; sed solum est signum fragilitatis humana in tali homine. Papæ! Stabilitur tamquam indubitatum principium, eum, qui ad Confessionem redit cum mortalibus peccatis diversis, v. g. qui confitetur, se hoc mense fornicationes quinquaginta commisisse, in alia Confessione quadraginta furta, in altera triginta sacrilegia, &c. stabilitur, inquam, tamquam principium certum, & exploratum, hunc esse absolvendum, quia peccata sunt diversa, in quæ lapsus est. Hincque inferitur, idem esse faciendum cum redeunte ad confessionem cum iisdem peccatis mollitiei, &c. Quis non improbat argumenta lic confecta ex principiis laxissimis, tametsi communia ea dicant Sporer, & La Croix, qui eandem allegat rationem? Verùm si communia sunt re ipsa; non apud alios, quàm Probabilitas, non apud SS. Patres, nec apud Theologos sanioris doctrinæ, qui ea adèò detestantur, & damnant tamquam spiritui pœnitentiæ, atque Christianissimi repugnantia.

561 Apud ipsos Probabili-

(a) Disp. 14. sect. 10. n. 156. (b) Matth. 16. v. 26. Marci 8. v. 36. Lucæ 9. v. 25. (c) P. 3. c. 11. sect. 4. n. 310. (d) Ibì q. 2. §. 1. n. 324.

(a) Ibidem §. 3. n. 330.

listas magni fit P. Leander, cuius binae sunt thesauri istae (a).

1. An quando occasio proxima tolli non potest propter scandalum, aut grave detrimentum... possit Confessarius differre absolutionem per aliquod tempus? Negat, posse Confessarium differre absolutionem poenitenti, aut non absolvoere statim illum, si habeat verum dolorem, & propositum, Joan. Sancius, cuius opinionem cum maxima laude refert Diana, licet ipse approbare timeat. Approbant tamen nonnulli alii Doctores, inter quos citantur Moure, Henriquez, Silo. & Navar. apud Thomam Hurtadum: & quidem PROBABILITER; quia si nihil deest poenitenti, ut statim absolvi possit (hoc opus, hic labor) ad id confessarius tenebitur. 2. An possit absolvi hospita sine proposito non recipendi hospitium, quodcum pluries peccavit, quando absque magno scandalo, aut detrimento non possit eum ab hospitio suo prohibere? PROBABILITUS respondeo: posse absolvi, dummodò promittat, ac proponat, numquam se solam cum eo solo in aliquo cubiculo separato versaturam, & dicendam, se prateriti ex animo poenitere, etiam confessam fuisse, propo-

suisseque, numquam se amplius cum eo peccaturam. Sic Navar. & alii DD. quibus adde Stephanum Baunium sic dicentem: SEQUITUR EX DICTIS, absolvi posse feminam, quae domi sua virum excipit, cum quo saepe peccat, si eum honestè inde non potest ejicere, aut causam habet eum retinendi, dummodò firmiter proponat, se cum eo amplius non peccaturam: Sic Beja, & Navar. Hec ille. Ergo quamvis foemina hæc pluries promisserit non peccaturam, & numquam steterit promissis, poterit absolvi, suisque propositis fieri.

562 Ab eodem Leandro laudatus, ut vidimus; P. Thomas Hurtado inquirat: Quid dicendum de Histrionibus, Comædiis, & Parasitis? relativè variis sententiis, subiungit: Quare ars histrionica secundum se non est illicita, sicut nec Tabellionatus, & alia similes, in quibus difficilè quis evadit peccatum, & tamen non tenentur eam dimittere, antequàm absolvantur; sed si habeant propositum non peccandi, & dolorem de prateritis, possunt SEPTUAGIES SEPTIES absolvi. Quod enim histriones ex cohabitatione cum mulieribus SINT FER-

RE

RE SEMPER in occasione concubinationis, & adulteriorum, fornicationumve, cum mulieres istae ferè semper sint male, & inordinatae vitae; NIHIL OBSTAT, QUOMINUS POSSINT ABSOLVI, si dum ad Confessionem Sacramentalem accedunt, habeant illa quatuor, quae supra Navar. & alii requirebant. Horribilior ista an possit audiri laxitas? nescio planè.

563 Sed & P. Marcus Vidal (a) firmat hanc conclusionem: Adstantes, & assistentes Comædiis NOTABILITER TURPIBUS, ET PROVOCANTIBUS AD VENEREM... ob solam animi recreationem, & curiositatem... non sunt condemnandi tanquam rei lethalis culpa. Sua fortè sola auctoritas non credetur sufficiens, ut ejuscemodi opinionem reddat probabilem; sed ipse eam confirmat Sanchezii auctoritate, Filliucii, Reginaldi, Dianæ, Bonacinae, aliorumque, qui superfunt ad solidam illi conferendam probabilitatem. Audite tamen rationem, quam inter alias adducit: Confirmatur, inquit, primò, quia hic & nunc ubique ferè OMNES FIDELES assistunt Comædiis, & illas audiunt, etiam si fiant TURPES ET OBSCÆNÆ,

cum sint representatae per verba impudica, & per gestus, ac nutus indecentes: & nihilominus Confessarii prudentes, ac docti id illis permittunt, & absolvent à peccatis, ETIAMSI PROPOSITUM NON HABEANT POENITENTES se abstinendi in posterum ab auditu, & aspectu talium Comædiarum turpium, dummodò tamen absit probabile periculum lapsus in mortale peccatum (quasi vel solus auditus, & aspectus Comædiarum turpium, non esset mortale peccatum), tum ratione scandali gravis, tum etiam delectationis venerea: Ergo cum prudenter condemnare non possimus omnes Confessarios tanquam imprudentes, indoctos, & pravae conscientiae, debemus absolutè affirmare, & asserere, simpliciter, & per se loquendo non esse crimen lethale assistere Comædiis TURPIBUS, ET OBSCÆNIS GRAVITER PROVOCANTIBUS ad venerem. P. Vidalis assumit principium falsum; nam prudentes, & docti Confessarii non permittunt assistentiam talibus Comædiis: & hinc deducit consequentiam, ergo assistere hujusmodi Comædiis turpibus & obscænis, non est grave peccatum, nec deneganda absolutio iis, qui ab-

ab-

(a) Tract. 5. disp. 7. q. 50. & 55.

(a) In arca n. 33.

abstinere reculant.

564 *Monitum.* Injustè P. Cardenas (a) traduxit insignem C. Tridentini Theologum Dominicum Soto, scribens (b) de doctrina ab Innocentio damnata Prop. 62. & 63. *Eandem partem tuetur Soto de Just. lib. 5. quæst. 1. ubi docet, quòd licet non possit quis pro salute proximi peccare, potest tamen se exponere periculo peccandi. Sotus enim nedùm vel jota ex afficta ei sententia (curioso caractere à Cardenas notata) scribit; sed directè oppositum invictè probat validis argumentis, ex verbo Dei scripto, & tradito depromptis. Loco siquidè à Cardenas laudato, art. 6. Sotus statuit: Sit secunda conclusio. NULLATENUS licet aut vitam spiritualem, hoc est Dei gratiam, amittere: aut minimam ejus jacturam facere pro salute spirituali totius MUNDI.... Conclusio adeò per se nota est, ut contraria manifestam complicitatè repugnantiam. Et veritate demonstrata subdit: Contra hanc nihilominus veritatem arguitur. Sequeretur, neque licitum esse vitam spiritualem periculo obicere pro salute animarum: Nam si illam nequiquàm licet perdere, videtur sequi, neque ejus peri-*

culum subeundum esse. Consequens tamen est falsum: quoniam PRUDENS charitatis fervor nonnumquàm hominem animat, ut ad convertendas perditas mulieres (ita legimus in actis V. Servi Dei Francisci de Hieronymo S. J.) cum aliquo suo periculo earum colloquium adeat, vel aliquò ad prædicandum pergat, ubi in majori versabitur periculo vite spiritualis, quam si intra claustra se Monasterii contineret.

Quis non viderit, non fieri his sermonem de periculo, vel occasione peccandi proxima, potissimùm directè quaesita; sed de periculis, occasionibusque remotis, ad quarum occursum prudens charitatis fervor nonnumquàm homines animat, propter convertendas perditas mulieres, peccatoresque generatim. De his loquitur Sotus, quæ obviam in mundo venire possunt, non modò conversando, verùm etiam audiendo confessiones, & verbum Dei prædicando, quæque non sic obviant in recessu, ac silentio propriae Cellæ.

565 Sed & quid Sotus ad præfatam objectionem? Respondetur, inquit, primam con-

se-

(a) In Crisi Theol. part. 4. diss. 40. art. 4. cap. 8. n. 158. (b) Cap. 2.

sequentiam nullius esse valoris. Nam jacturam facere gratia (sicut facit quicumque periculo, sive occasione proxima se exponit; hoc ipsum namque se exponere, peccatum est) detrimentum est ipsius charitatis: exponere autem illam periculo (remoto scilicet, de quo est argumentum) adeò non est charitatis remissio, ut ex nimio ejus ardore procedat. Quod idem valet, ac si diceret: adeò longè abest, charitatem offendi ad prædicationem & conversionem peccatorum eundo, & reclusionem non custodiendo in cella, ut potius exponi secundum prudentia charitatis dictamina (notate hæc verba) oriatur ex magno ejusdem charitatis fervore, quæ in corde exardescit, & foras erumpit ad sublevandos proximos nostros in eorum indigentis. In prædicta, quæso, doctrina quid est quod jure censurâ valeat notari? Nihil profectò, nisi condemnare velis tot Dei servos, qui tametsi pax sit in eorum cella, foris autem plurima bella, illisque proindè sit cella quasi cælum, attendunt sibi & doctrinæ, ut & se ipsos salvos faciant, & eos qui audiunt

illos in Ecclesiis, in plateis, aliisque locis publicis. Quomodo ergo ausus est Cardenas ob talem doctrinam Sotum in laxorum illorum consortio collocare; qui scripserunt; proximam occasionem peccandi non esse fugiendam, licitumque quæere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi?

§. II.

566

AD absolutionem quod attinet pœnitentium, obligationem suam erga Deum & Rempubli-
cā ignorantium, imprimis Theologus ille classicus, cujus autoritas, etiam sola, satis est ad dandam decisionem causis, terminum litigiis, nimirum P. Thom. Sanchez (a) sic scribit: Si pœnitens ex ea ignoret id, quod hucusque diximus esse sub mortali sciendum: dicunt quidam, teneri Confessarium denegare ei absolutionem: quòd in peccato mortali sit.... Alii verò benignius loquuntur, dicentes, hunc non statim rejiciendum, sed prius instruendum à Confessore: quòd si instructus didicerit, esse absolvendum: si

se-

(a) Lib. 2. in Decal. cap. 3. n. 21. Recole num. 270.

secus verò contingat, differentiam esse absolutionem. Ita docent Bannez, Petrus de Ledesma, &c. At MELIUS Azorius docet, nequaquam hoc ignorantes esse à confessione rejciendos; quia sæpè invincibili hujus præcepti ignorantia usque tunc laborarunt.... Quod si SEMEL, VEL ITERUM ADMONITI SUNT, & discere potuere, ac proinde culpâ non liberantur, ait, absolutionem adhuc denegandam non esse, dummodò præteritæ negligentia eos pœniteat, ac firmiter proponant fore, ut discant: sicut cum relapsis in alia peccata fieri solet.

Iterum (a): Quamvis ignorantia illa sit circa jus divinum, & naturale, si enim PROBABILITER credat Confessarius consilium non profuturum, tenetur non admonere, quando ea ignorantia invincibilis est.... Item dicendum, quamvis peccatum illud per ignorantiam invincibilem excusatum, sit in detrimentum proximi. Uti esset in casu, quo possideret bona alterius, seu commercia exerceret illicita, & usuraria. Et subdit: Verius est, quando solus est scrupulus, posse Confessarium tacere, vel respondere, ut de-

ponat scrupulum, non aufert bonam fidem, & ignorantiam invincibilem, sed solum quando conscientia dubia est ex sufficienti fundamento. Et concludit (b): In praxi existimo, nunquam, aut rarissime, denegandam esse absolutionem ob doctrinæ Christianæ ignorantiam.

567 Hæc eadem doctrina, post Sanchezium, atque Suarezium (cujus sententiæ omnes dicuntur tutissima) traditur à PP. Laymanno, & Escobario, aliisque, uti certum supponentibus, ignorantiam in præfatis casibus esse invincibilem, eamque extendentibus ad materias alteras, in quibus SS.PP. & D. Angelicus cum melioribus Theologis illam credere semper vincibilem, & culpabilem, quia ab aliquo principio malo, quod non possit à peccato excusare, profectam. Legatur P. Viva, & patens erit, quousque Casuistæ limites expandant hujusce ignorantiaæ assertæ invincibilis. Imprimis Viva (c), D. Thomæ textu, quem dissimulat, abutendo, vult posse ignorari invincibiliter pravitas furti: Sicut apud Germanos, in-

inquit, latrocinium olim non reputabatur iniquum, cum tamen sit expressè contra legem nature. Deinde subjungit: Facile etiam reperias, qui INVINCIBILITER credat, mendacium leve, ad salvandam v. g. vitam innocentis, non esse illicitum; nec lucrum ex mutuo, nec ultionem injuriarum, nec pollutionem, ubi ad vitam tuendam sit necessaria. Quarè in prædictis, & similibus casibus magnus Animarum OEconomus, ignorantiam pœnitentis supponendo invincibilem, atque timendo nullum ex admonitione fructum, poterit, quin & tenebitur dissimulare, ac relinquere in tali felici ignorantia pœnitentem suum, juxta decantati Sanchezii, & asseclarum doctrinam. Videntur Eraniste (a) demonstrans textum D. Thomæ corruptum & truncatum à P. Viva, fortasse ex suo Platelio exaratum, non vero in fonte lustratum. Et recolendi nn. 228. & 495. & seqq.

568 Inter Doctores ejusmodi perniciosæ sententiæ, à divina & humana legibus reprobata, præeminet expositio, & confirmatio Tamburini, post

terga monentis (b): Si prævideat Confessor, pœnitentem non restitutum, si illi detegatur nullitas tituli, quem pro se adesse pœnitens putat; non erit ex Sanchez ibid. n. 17. talis nullitas illi à Confessario non interrogato patefacienda, quamvis sit in præjudicium tertii, qui suo carebit; tertii, inquam, particularis: Nam si esset in damnum publicum, cum tunc præponderare debeat bonum publicum bono privato pœnitentis, videtur aperienda. Et ipse adjicit: Sed contra hoc ultimum, queso te, si prævides, pœnitentem non restitutum, quamvis item advertas, id esse in damnum publicum; cur tu sis obligandus ad admonendum? Quandoquidem prævides, adhuc tua accedente admonitione, illum non fore restitutum, atque adeò non fore amovendum damnum publicum. Certè frustra erit talis monitio, imò nocens ipsi admonito; bono autem publico nequaquam favens.

Hæc prioris suæ doctrinæ retractatio Tamburiniana naturalem infert consequentiam istam: ne charitativus animarum director pœnitenti suo causa sit gravis damni, qua-

Mm

te

(a) Lib. 2. de Matrim. disp. 38. nn. 9. 10. & 14. (b) Lib. 2. in Decal. cap. 4. n. 5. (c) In 2. Prop. damnat. ab Alex. VIII. n. 2.

(a) Ep. st. tom. 3. Lett. 24. pag. 412. & seqq. (b) Lib. 3. meth. Confess. cap. 4. n. 5.

tenus eum transferendo à felici statu ignorantiae invincibilis ad vincibilis, peccatum ipsius nolentis restituere jam non esset materiale, sed formale; ac dignum supplicio apud Dei tribunal: ne, inquam, tale damnum inferat poenitenti, poterit, atque debet obmutescere, quin illum moneat strictae suae obligationis (palàm faciendi v. g. aut denuntiandi suum amicum, qui occultè molitur vel dilapidare publicum aërium, vel commovere, atque destruere Patriam, & Regnum) si prævideat, quòd admonitus de tali obligatione non commovebitur ad manifestandum, & denuntiandum ob immoderatam ad amicum suum affectionem.

569 Quin postquam Tamburinus allegavit auctoritatem Card. de Lugo, qui etiam citat duo prætenfa lumina Theologiae Moralis Suarez, & Sanchez, addit (a) quod pejus est: Unde etiam infertur, ibidem, idem esse dicendum, quando poenitens sub peccato mortali tenetur ad aliquid adeò difficile, ut non credatur tunc equo animo recepturus, & alia vice melius suscepturus esse judicetur. Poterit enim tunc prudens Con-

fessor relinquere illum in sua bona fide, quae à peccato excusat, & monitionem in tempus opportunius differre: nè scilicet territus poenitens, à confessione se absteineat, majusque detrimentum patiatur. Hoc notetur PERMAXIMÈ pro Confessariis Mercatorum, & Principum.

Pro his permaximè notandum? Ecceur? Ratio non finitur ignorari. Mercatores conficiunt ordinariò contractus usurarios, ditescuntque fraudibus, dolis: atque Magnates hujus sæculi debita sæpè sæpius non solvunt, & inique agunt in proximum. Si quam habent, indispensabilem obligationem restituendi, ac satisfaciendi causata damna, indicitis vos ad aures; recitatio istæc illis ingrata erit, & displicens valdè, neque sunt ut plurimum dispositi, ut vos audiant. Idcirco; ne inturbetur eorum requies conscientiae, cum his potissimum est dissimulandum, atque servanda admonitio ad tempus opportunius: quod regulariter non est aliud, quam illud horæ mortis, in quo, velint nolint, debeant relinquere omnia; sicque sinantur interim in pace accedere ad

ad Sacramenta, nè incurrant grave damnum ex eorum privatione.

570 Qui plura desideret hoc de argumento, Tamburinus ecce illi paratus satisfacere; ac esset mirabile, si non sibi adoptasset Principis Theologorum Moralistarum Sanchezii memoratum supra principium. Sanè adoptat. Tertia regula, inquit: Si poenitens, sive quia prudenter dubitat, sive quia rationabili scrupulo angitur, interroget Confessorem de re aliqua, an sit peccatum, vel an ad aliquid obligetur, necnè? Tunc Confessor veritatem aperire omnino debet. Ita Sanchez, & alii.... Dixi, RATIONABILI SCRUPULO: nam si sit MERÈ SCRUPULUS, id est, SINE FUNDAMENTO; quia is non tollit bonam fidem, possit tacere Confessarius, ut explicat Sanchez n. 8. Subditque Tamburinus (a): Petes, quid faciet Confessarius, quando nescit, vel dubitat, an sua admonitio profutura sit poenitenti, an damnum allatura? Respondeo: tunc comparanda utilitas, quae sub dubio speratur, & damnum, quod sub dubio timetur; atque illud SINE SCRUPULO fiat, quod magis præponderare, IN DO-

MINO judicabitur.

Porro hæc regulâ suppositâ, vix casus dabitur, in quo Confessarius monere adstringatur poenitentem, cujus præfertim obligationes molestæ sibi sunt, genio, & placito repugnantes: quandoquidem Confessarius regulariter scire non potest, aut saltèm potest dubitare, poenitentem bono animo esse ad audiendam vocem sermonum ejus, hauriendumque profectum. Aliundè damnum inde proficiscendum (id est, quòd illuminatus obligationem opere non compleat, adeòque committat peccata formata ut vocant) vel temper est certum, vel satis raro est dubium. Quare secundum Tamburini regulam, id debet judicare in Domino, quod præponderet, hòcque pacto tenebitur, seu poterit sine scrupulo tacere semper, vel quasi semper, ac relinquere, quòd qui usuris, quas non credit illicitas, fit ditior, earum praxim teneat in Domino: qui retinet similiter alterius bona, persequatur in Domino retentionem cum præjudicio tertii, & etiam Reipublicæ; qui non solvit Decimas, & gabellas, pergat in Domino nonolvere;

Mm 2

&

(a) Ibidem n. 6. & 7.

(a) Ibidem n. 9.

& sic de aliis philosophandum. Hæ consequentiæ ex propoſita doctrina legitimè deductæ horrent. Sunt & aliæ tamen non minus horribiles, atque neceſſariæ.

571 Qui ad pedes Confefſarii accedit, creditque, ſibi licitum imponere atrocem calumniam ſe accuſanti injuſtè, ac traducenti, atque occidere etiam ſive gladio, ſive veneno, unàque cum illo teſtes, & ipſum Judicem, à quo injuſta imminet ſibi ſententia: qui ſibi perſuadet, poſſe abſque peccati ſcrupulo eum interimere, qui ei impingit alampam, vel *mentiris* dicit, aut verbis contumelioſis ipſum offendit: qui exiſtimat, provocare, & acceptare duellum licere propter ſui honoris deſenſionem, ſeu ne ignavus videatur: qui cogitat, ſibi per-mitti furari in gravi neceſſitate, compenſari occultè de bonis Domini ſui, vel ob injurias ab eo acceptas, vel ob ſalarium ſui laboris inferius merito: fœmina, quæ putat licitum procurare abortum ob infamiam, quæ prægnantem innuptam conſequitur, vitandam: concubinarius ſeſe arbitrans exemptum ab ejicientia concubina, quam ad ſola-

tium ſuum, dies largos, & annos ſerenos habet neceſſariam. In his omnibus, *inquam*, cæterisque contentis expreſſè in theſibus damnatis, prudens Confefſarius, qui neſcit vel dubitat, nùm profutura ſit ſua admonitio, poterit poenitentes relinquere *in Domino*, vivere cum illis erroneis perſuaſionibus, interimque ad Sacramentorum admittere participationem, ne eos privet fructu, atque beneficio inde, ut excogitat, haurientes.

In omnibus etenim præſatis caſibus poteſt, & debet Confefſarius præſumere ignorantiam *invincibilem* in poenitentibus: nam cunctæ doctrinæ illæ, quæ ab Eccleſia ſunt conſixæ, fuerunt aſſertiones Theologorum, & quidem gravium, atque celebrium, ex quibus excerptæ ſunt ut condemnarentur. Quis verò dixerit umquam, ejuſmodi Theologos illas non tradidiſſe bona fide, ipſas reputando ex *invincibili* ignorantia veras, aut probabiles, & licitas? Certè id numquam dicere valuerunt Recentiores, qui illis quæerunt gloriam & honorem, ſuſtinentque. Aliter fateri deberent, tales Theologos adeò fuiſſe ſcleratos, ut docuerint

CON-

contra propriam conſcientiam. Et hinc ecce fatalis conſequentia: Si dari potuit ignorantia *invincibilis*, & *bona fides* in Theologis & Doctoribus, propoſitiones poſteà damnatas docentibus tamquam doctrinam licitam, & honeſtam; ab ipſis potiori ratione debet admitti in gente vulgari, & imperita, quæ neque ſi Theologia eſt audivit. Et ruruſ hęc alia, nec minus ineluctabilis: Ergo in ejuſmodi poenitentium ſorte, *bonam fidem*, & *excusantem ignorantiam* præſumere poterit Confefſarius, ſicque ſinere illos operari *in*

Domino totas illas ſtultitias, & execrabiles actiones, atque ulla ſine difficultate, *ne majus detrimentum patientur*, admittere ad Sacramenta.

His tamen non obſtantibus, doctrina *Tamburini*, non eſt ipſius ſolius, ſed aliorum, quæ *Lumina Theologiæ Moralis* vocitantur, communis. Præter *Sanchez*, *De Lugo*, alioſque, pariter vel integram, vel partem docent *Leander*, *Salman-ticenfes*, *Viva*, *Gobat*, & cum cæteris *P. Taverna* (cujus Theologia ad ſydera extollitur præconiò ſuorum ſodalium) confirmat ſenſus *Tamburini*.

QUÆSTIO XIV.

DE MINISTRO SACRAMENTI Pœnitentiæ.

Quocirca ſunt Theſes 3. 4. 5. 6. 7. 12. 13. 16. 36. & 37. damnatæ ab *Alex. VII.*

ARTICULUS I.

Doctrina.

§. I.

572 Juxtà eruditiffimus, atque prudentiffimus RR. S. Apoſt. Palatii Ma-

giſter *Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius* in *Vita*, ac *rebus geſtis B. Gregorii Barbadii S. R. E. Cardinalis*, hæc ſcribit (a) de eo: *Pœnitentes denique ipſos per Jeſu Chriſti Redemptoris viſcera obteſtabatur, nè ſe blandis, ſed exitioſis doctrinis*

Mm 3

de-

(a) Pag. 77. & 78. edit. Rom. 1761. Vidend. Catl. de Secr. Cong. Ind. à p. 151.

deliniri, ac falli permetterent: sic verò existimarent, atque staturerent, eos, qui alia ex aliis peccant, atque in confessa sæpè flagitia revolvuntur, id demùm efficere, ut remedium ad hominum salutem institutum, in suam ipsorum pariter, & Sacerdotum molliter ipsis conniventium perniciem convertant. Hæc porrò cum diceret (B. Gregorius), atque inculcaret vir lenissimæ indolis, haud quaquàm illorum severitatem probabat, qui obliiti cujus locum teneant, miseros homines ad salutare pœnitentiæ tribunal accedentes male accipiunt, & detectâ sibi eorum vulnera, non uti misericors ille Samaritanus oleo fovent, ac vino, sed aceto, ut ita dicam, exasperant, ac durius contrectantes faciunt multo graviora. Quapropter Sacramenti Pœnitentiæ Dispensatoribus temperamentum quoddam rigoris ac lenitatis commendare solebat, quod neque ab austerioribus theologi laxioris indulgentiæ nomine reprehendi, nec à Benignioribus præpostere severitatis notâ insimulari possit, atque traduci. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus scientes timorem Domini, quem homini-

bus persuademus, quia principium sapientiæ; cujus doctrinam stulti despiciunt, recusantes laborem, quem fingunt in præcepto.

573. Quis sanè hominum poterit cogitare, quid velit Deus, quid sit placitum oculis suis, & quid directum in præceptis suis? Et tamen, ut Sacramenti Pœnitentiæ Dispensatores sciant quid acceptum sit apud eum, disponant populum ejus justè, & deducant sobriè, sintque digni sedium in judicio, sedium super Domum David. Putant Llamas, & Stoz ait La-Croix (a), ad hoc munus (Confessarii) satis doctos esse illos, qui integram summam casuum diligenter legerint, vel attentè audierint explicari; nihil obstantibus laxi opinionibus in ejusmodi summi repertis, quas discernere ut plurimum nesciunt parùm experti. Quod si quis de se ipso dubitet, sistat se examinatore ab Episcopo, vel Superiore constitutis. Qui si eum satis scire judicent, potest acquiescere; ac deponere prudenter suum dubium, quatuor; sexve repositionum causâ, per accidens fortè comparatarum. Rectè notat Gobat.... Confessarium debere sci-

scire sententias PLURES, quæ verè PROBABILES sunt (sensu à nobis explicato) circa materias morales; eò quòd sæpè, ubi non agitur de valore Sacramenti, non possit, NEC EXPEDIAT pœnitentes dirigere secundum UNICAM doctrinam. Quis super methodum istam dirigendi pœnitentes doctrinis variis contradictoriis, temperet à lachrymis? Vera doctrina, Evangelii, & Ecclesiæ doctrina, non nisi una est; & ideò qui pluribus conscientias regulat doctrinis, à vera regula, Evangelio, atque Ecclesiæ deviet, necessum est, seseque ipsum, ac pœnitentes deducat in puteum interitus æterni.

574. Regula hæc novella, non jam est folius Gobati, & La-Croixii, sed Probabilistarum universim. Satis sit audire Escobarium, eam sic proponentem (a): Quòd si sæpè videar, me LAXIORIBUS opinionibus adherescere; id certè non est definire, quod sentio; sed exponere, quid SINE CONSCIENTIÆ læsione DOCTI POTERUNT, CUM EIS VISUM FUERIT EXPEDIRE ad sedandos pœnitentium animos, ad praxim adducere, opiniones videlicet laxiores

vel in ipsorum Probabilistarum sententia. O Beate Barbadiçe!

575. Quid? Confessarius contra propriam opinionem potest, atque debet absolvere pœnitentem, qui sequatur, & velit sequi contrariam à se judicatam probabilem: Ut, inquit Sanchez (b), si Confessarius contractum esse USURARIUM judicet; at pœnitens PROBABILITER ESSE LICITUM, & vult illum inire. Imò, subjungit (c), idem dicendum est contra Manuelem, &c. quamvis Confessarius FALSAM esse opinionem pœnitentis existimaret, si PROBABILIS reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis.... Quia cum non teneatur pœnitens consilio Confessoris potius, quàm aliorum acquiescere, adhuc non deficit debita dispositio ei, ut absolva- tur. Item, quia tunc eatenus dicitur Confessarius se conformare opinioni pœnitentis, quatenus illam permittit ei, non autem quasi sequatur illam.

576. Hanc consecutionem ultro, & libentissimè accipiunt Probabilistæ, qui propterea conjungunt, quòd Confessarius possit, & teneatur pœnitentem absolvere, non tantum

(a) Lib. 6. p. 2. n. 1788. & 1791.

(a) In Idea Operis. (b) Lib. 1. cap. 9. n. 27. (c) Ibi n. 30.

tum quum judicat *falsam* ejus opinionem, verum & quum judicat eam etiam *speculativè* *improbabilem*. Ita Laymannus (a): *Si pœnitens* (ait) *in praxi bona fide sequatur sententiam, que à quibusdam Doctoribus tamquam PROBABILIS, ac tuta defenditur; Confessarius vero, seu ordinarius, seu delegatus, eandem SPECULATIVÈ IMPROBABLEM censeat: non obstante sua persuasione, TENETUR absolutionem conferre.* Recole n. 8. & seqq.

577 Demum P. La-Croix (b) de re gravissima, qualis est conditionis adjunctio formis Sacramentorum, imprimisque formæ Sacramenti Pœnitentiæ, contrà quàm ferat vetus Ecclesiæ disciplina, differit; & missis Patribus, Conciliis, & gravioribus quibusque Theologis, Casuistarum dumtaxat profert opiniones, quin ullam sanè rejiciat, ne illam quidem sumptam ex Bosco asserente (c): *Rursum affirmo, nullam me videre rationem, quare Sacerdos prudenter dubitans, an formam benè protulerit, non possit absolvere sub conditione: SI NON ES ABSOLUTUS. Similiter si prudenter*

dubitet de legitima dispositione, SI ES BENÈ DISPOSITUS. Imò videtur aliquibus NON IMPROBABLE, Confessarium accedentem ad sedem confessionalem hanc generalem posse formare intentionem: VOLO OMNES, ET SOLOS ABSOLVERE, QUI ERUNT LEGITIMÈ DISPOSITI; ne videlicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis, dum sæpius abest interna dispositio. Ultra pergit Moya, ut refert idem La-Croix, docetque, se non damnaturum de mortali illum, qui nequidem mente expressè conciperet conditionem, quia certum est, semper adesse conditionem implicitam; cum nemo intendat conferre Sacramentum, nisi prout potest, & debet. Hæc, & plura alia de more La-Croixius arbitrio lectoris relinquit.

Hinc juxta relatam doctrinam, omnibus accedentibus ad tribunal pœnitentiæ dispensare Ministri thesaurum absolutionis poterunt, ut dispositi illam percipiant, secus indispoti. Hoc conditionis implicitæ arcano, Confessarii à molestia severè examinandi dispositionem pœnitentium sese liberant, & numerosissimam populorum frequentiam sibi

con-

conciliant. Omnes se absolutos existimant, quum ignorent secretum conditionis implicitæ. Quàm sit hæc doctrina, & perniciofa pœnitentibus, & christianæ disciplinæ infecta, quisque intelligit.

§. II.

578 **N**ihilosecius quàm late pateat hic casus, quem novi Casuistæ excogitarunt, de absolutione iis impertienda, de quibus Sacerdos dubitat, an sint ad eam percipiendam comparati, ostendunt Castropalaus, & Gobatus; laudari ab eodem La-Croixio. Cumprimis Castropalaus (a) sic scribit: *Præterea prædicta verba absolutionis proferri debent absolute, non conditionate, quia hic est usus, & praxis Ecclesiæ, ideoque absolutioni tenetur Sacerdos præmittere pœnitentis notitiam; quem si ritè dispositum inveniat, absolvit; sin minus, absolutionem denegat. Sed, quia sæpè contingit, post diligentem excussionem Sacerdotem dubium esse, an pœnitens ritè dispositus sit absolutioni recipiendæ, ut in casu proxime dicto videri potest; non est illicitum, sed potius conve-*

niens, ABSOLUTIONEM CONCEDERE SUB CONDITIONE DE PRÆSENTI, mente saltem retenta nempe: SI RITÈ ES DISPOSITUS, te absolvo. Quia per hanc conditionis appositionem, nec pœnitenti damnum irrogatur, cum non impediatur Sacramenti effectus, si ad illud suscipiendum dispositus sit; neque ulla Sacramento fiat injuria: quinimò ejus reverentia Sacerdos prospicit, nolens ejus formam vanè, & inutiliter profere. Atque ita sustinet Vazquez; aliis relatis, de pœnit. quæst. 84. art. 3. dub. 5.

579 Nunc Gobatum quoque audiamus (b): *In tertio, inquit, si adhibita Confessarii diligentia, nequeat tolli dubium, AB OLVATUR IN NOMINE DOMINI, etiam SUB CONDITIONE. Ut primum enim cœpit aperire Sacerdoti unum peccatum, acquisivit saltem imperfectum jus ad absolutionem. Fructu hujus certi juris non debet integrè privari ob solum dubium: ergo sub conditione dandi. Certè experientia quotidiana docet, è centum dubiis casibus tam juris, quàm facti, vix unum, alterumvè reperiri, in quo si propriè dubitent unus, duo, tres, non reperiantur totidem, qui tamquam PROBABLEM sustineant partem*

(a) Tract. 1. de Consc. c. 5. §. 2. n. 10. (b) Lib. 6. part. 1. de Sacram. n. 81. & seqq. (c) Part. 3. Theol. Sacram. concl. 6. n. 135.

(a) Tract. 23. disp. unic. punct. 5. n. 9. (b) Tract. 7. n. 268. &

tem AFFIRMATIVAM illius dubii: totidem, qui NEGATIVAM. Ut proinde quando dubitas, an tuus pœnitens sit satis dispositus, possis prudenter ita ratiocinari: EGO QUIDEM propriè dubito propter hanc, aut illam rationem; meritò tamen credo, vivere prudentes viros, qui, si adessent, dicerent, meum dubium esse inanem scrupulum: quidni igitur me accommodem illorum, et si ignotorum, SENSUI? Nota hanc doctrinam pro pluribus aliis casibus. Recole n. 18.

580 Audistin? Sæpè contingit, ait Castropalaus, Sacerdotem dubium esse; an pœnitens ritè dispositus sit absolutiōni recipiendæ. Quotiescumque verò contingit, quid factò est opus? absolvatur, respondet Gobatus, in nomine Domini. Et ubinàm Dominus inquit, tales absolvi debere? Ne Theologum quidem alicujus existimationis, qui dicat, invenies. Hæc est doctrina Castropalai, & Gobati. Rationes, quibus eam confirmare conantur, haud scio, an quidquam absurdius, ne gravius dicam, excogitari possit. Non docetur Sacerdos attendere morem Ecclesiæ: reminisci documenta Majorum: considerare quàm dudum, & à quibus hæc do-

ctrina fuerit introducta: sed cogitare (cùm casus incidit; ut dubitet de statu pœnitentis) fortè homines uspiam vivere duos, vel tres, qui dicturi sint, si adessent, videri sibi, dubium esse inane, & pœnitentem absolvi posse. Conferas hoc novum, & inauditum Probabilismi genus cum illa ratione adjiciendæ conditionis: volo omnes, & solos absolvere, qui erunt legitime dispositi; & ostendito, si potis es, utrùm sit deterius, aut saltem quid intersit inter Sacerdotem, qui dicit, volo omnes, & solos, &c. & eum, qui id quidem non dicit, sed tamen imbutus supradictâ doctrinâ, adhibitâ conditione, omnes absolvit, de quibus dubitat, nùm animò præparatò accedant.

Neque te moveat, illos non nisi post adhibitam diligentiam permittere Sacerdoti, ut hujusmodi pœnitentes absolvat. Hoc etiam deerat, ut diligentiam adhibendam esse non dicerent. Sed hoc tibi do consilii, ut quando legis Casuistas, non verba multum attendas, quibus aut diligentiam laudant, aut alias ejusmodi res, putâ, dolorem, aut propositum efflagitant; sed

ip-

ipsam; quam afferunt opinionem, & rationum momenta diligenter expendas. Nihil enim prodest multis verbis laudare diligentiam, quando ipsa opinio magnam gignit negligentiam.

Et verò, quàm putas magnam adhibiturum diligentiam eum, cui persuasum sit ex doctrina Castropalai, se, si adhibitâ conditione absolvat, nec ullam Sacramento injuriam, nec homini, quem absolvit, damnum illaturum? Quàm item magnam eum, qui quotiescumque hic casus incidit, absolvere se posse existimet, si cogitet, ut docet Gobatus, homines uspiam vivere duos, aut tres, qui eum, de quo ipse dubitat, comparatum esse non dubitent? an potuit quidquam facilius excogitari ad eximendos scrupulos Sacerdotibus, quominus vereantur absolutiones liberaliter impertiri? At quid faciemus SS. Thoma Villanovano, & Carolo Borromæo, atque suo Bellarmino, ut cæteros omittam, quorum orationes adversus negligentes hujus Sacramenti Ministros multum sunt acres, & vehementes, quin propterea quasi suspectos po-

pulo Christiano reddant Sacerdotes? Si in istos potuit negligentia obrepere, nondum editis hujusmodi doctrinis: editis, & diu non confutatis, nimis multam obrepisse, quis non jure merito existimaverit?

ARTICULUS II.

Jurisdictio.

§. I.

581 **R**ecensuimus sententias probabilis juxta systema nonnullorum Authorum, qui volunt adhuc probabiles esse vi oraculorum viva vocis, & Privilegiorum à Sancta Sede Regularibus concessorum, tamen à pluribus Summis Pontificibus expressè revocata fuerint, atque annullata. Reproducam interim testimonium Servi Dei V. Joannis Palafœxi, ubi commemorantur, qui sententiæ præfatæ tribuunt probabilitatem practicam, juribus, & authoritati Sedis Apostolicæ derogantem. Iste quidem, scribit (a), Constitutionum Apostolicarum, & Privilegiorum interpretandi modus . . . etiam doctrinæ fidei,

(a) Ad Innoc. X. edit. Matrit. 1762, Epist. III. n. 70. tom. XI. pag. 88.

& Apostolicæ Sedis auctoritati, & dignitati molestissimus, & nocentissimus est. Nam hac interpretatione auctoritas, & potestas Pontificum infringitur, Ecclesie gubernatio turbatur, & omne sacra jurisdictionis robur, & dignitas debilitatur, & (quod nefarium est) omnes penè à Sede Apostolica Constitutiones, quæ quotidie magno Reipublicæ Christianæ commmodo statuuntur, & divulgantur, ad inanem, & quamdam vanam, & umbratilem legum formam rediguntur. Hoc evincitur ex doctrinis, quas aliqui Probabilistæ docent circa potestatem confitendi, atque absolvendi, quam faciunt diversis in casibus, in quibus non comperit Sacris Ministris, nisi dependenter à voluntate Episcoporum, Ordinariorumque expressa. Tres, quatuorve transcribam tantum Propositiones, nè in narratione diffundar.

582 Citatus P. Gobat (a) istam prorulit, etiam post damnatas ab ALEX. VII. Verane est, (generalis doctrina de probabilitate) quando PROBABILITAS versatur circa solum factum, ut quando est PROBABILE, Episcopum dedisse mihi facultatem absolvendi à reservatis, cum

TAMEN NE COGITAVIT QUIDEM? Respondent iidem Tamburinus, & Verricelli post Mascardum contra Averfam, & Salas, rursus AFFIRMATIVÈ ob paritatem rationis cum PROBABILITATE JURIS. Ego nequeo negare PROBABILITATEM duobus illis responsis assertivis. Et P. Thomas Sanchez (b): Quando opiniones circa jurisdictionem Sacerdotis ad audiendas confessiones versantur, atque opinio PROBABILIS docet, illam habere, PROBABILIOR autem negat; talis Sacerdos NULLO MODÒ PECCABIT audiens confessiones, ut OPTIMÈ ait Suarez, & tenet etiam Leonardus (Lefsius). Concinit P. Viva, ut vidimus n. 191. & seqq.

583 Hac doctrinâ, quæ ob auctoritatem horum plurium Doctorum classicorum, erit citra aleam judicata probabilis, poterunt Regulares conficere hoc argumentum: Quamvis verum sit, Episcopos, Concilia, & Summos Pontifices edicere, nullam nos habere potestatem prædicandi, & confitendi absque Ordinariorum licentia, & approbatione; item est etiam verum, adesse Casuistas & Doctores, qui sustinent, etiam sine tali licentia, imò nihil obstante

il-

illorum prohibitione (& ex his Authoribus plures inveniantur re ipsa, qui præfatum propugnare opinionem vel post Concilium Tridentinum) adhuc nos habere libertatem exercendi prædicta munera. Per nos licet, opinionem contrariam esse probabilem, quin etiam probabiliorem; hoc non impedit, quominus nostra, propugnata ab Authoribus pariter doctis & piis, remaneat similiter probabilis. Licetum ergo cum sit, sequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris, tamen agatur de potestate Jurisdictionis, ut asserunt Sanchez, Suarez, Lefsius, & Viva; hanc nos tenebimus, atque prohibitione Episcoporum nihil territi, persequemur, & pergemus ad prædicandum, & Confessiones audiendum, sine periculo perpetrandi peccatum, ne veniale quidem: nullo modo peccabimus audiendo Confessiones. Hoc est ratiocinium, quod possent Regulares conficere, justumque ac legitimum foret secundum Probabilissimum, atque recensitam propositionem.

584 Sed ulterius loco citato Sanchez in rationibus, quas assignat, expediens sug-

gerit confitendi, & absolvendi sine Ordinariorum approbatione, quod Sacerdotibus regularibus, æquè ac secularibus deservit; & est, ut sequitur: Quoniam in Confessionibus semper quispiam fatetur aliqua venialia cum mortalibus: at quilibet Sacerdos certam in venialia jurisdictionem habet: & idè, cum pœnitens non ponat obicem, & sit certa JURISDICTIO in aliquam materiæ partem, erit certus confessionis valor. Et quamvis careat ille jurisdictione in mortalia; ea indirectè, & per accidens virtute illius absolutionis remittentur. Hòc patet non ultra opus erit approbatione Episcoporum, vel Ordinariorum ad absolvendum à quocumque peccato. Sufficiet ergo dumtaxat, Sacerdotem à pœnitente quodlibet haurire peccatum veniale, in quod certa est, inquit SANCHEZIUS, jurisdictione cujuslibet Sacerdotis: sicque post relinquuntur remissa indirectè, & per accidens peccata mortalia, erga quæ non habet potestatem jurisdictionis. Ecquis jam non remanserit convictus gravissimorum incommodorum, quæ Probabilissimus derivat in auctoritatem, & jura Ecclesiæ?

(a) Tract. 7. n. 127. (b) Lib. 1. in Decal. c. 9. n. 35.

§. II.

585 **M**ementote itaque, qualiter salvi erimus ab ira per doctrinam ejus. 1. *Quam* Sacerdos habet jurisdictionis, sive clavium delegatam potestatem, ab Episcopo acceptam habet; adeoque major in illo esse non potest, quam in Episcopo approbante. Episcopus autem in alienas Dioceses jurisdictionem non habet: eam ergo conferre nemini potest; alioquin enim plus dare posset, quam ipse habere. Quod absurdissimum est. Unde quorundam contraria sententia asserens, *Regulares Ordinum mendicantium semel approbatos ab uno Episcopo, ad Confessiones audiendas in sua Diocesi, haberi pro approbatis in aliis Diocesis, nec nova indigere Episcoporum approbatione*, ab Alexandro VII. & à Clero Gallicano, *tamquam falsa, salutis animarum perniciofa, & ordinis perturbativa*, damnata est.

2. Natura delegatæ Jurisdictionis in eo consistit, ut præscriptos à delegante limites non excedat, sed quantum ad tempus, locum, & personas, & materiam restrin-

gi possit. Quod qui negant, jus ipsum naturale offendunt, veramque totius regimini ideam evertunt. Hinc temeraria quorundam præsumptio, affirmantium, *ubi Concilium Tridentinum receptum est, non posse Episcopos restringere, vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt, ad Confessiones audiendas*, à Clero primum Gallicano, ac postmodum ab *Alexandro VII.* velut *falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim, & schisma inducens, Sacro C. Tridentino, & Sedi Apostolicæ injuriosa*, repressa est.

3. Opinio, quæ affirmat, Apostolico privilegio posse quosdam, non obtenta ab Episcopo facultate, à casibus ei reservatis absolvere, disciplinam Ecclesiasticam enervat, & Episcopalem destruit auctoritatem: quid enim aliud hoc est, nisi Episcopi auctoritatem despiciere, & contra ejus imperium insolenter insurgere? Hinc propositio ordine 12. ab *Alex. VII.* damnata est; idemque Pontifex in Decreto ad Episcopum Andegavensem, hanc Propositionem: *Regulares habent potestatem absolvendi seculares à peccatis Episcopo reservatis; etiam si ab Episc-*

Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit: damnavit ut falsam, Auctoritati Episcoporum, & Sedi Apostolicæ injuriosam.

4. Licet venialia sint materia libera Confessionis, nec teneamur ea confiteri; dum tamen quis ea confiteretur, sunt materia apta hujus Sacramenti, seu absolutionis; quæ requirit Ministrum ab Episcopo idoneum judicatum. Præterquamquod sæpè ignorat homo, quæ peccata certè sint venialia, & quæ dubiè. Hinc Sacra Congregatio 1679. die 12. Februarii in Decreto, cuius n. 527. de Communionem quotidiana mentio facta fuit, ita statuit: *Non permittant (Episcopi), ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confessarii, etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum justam, ac rigosam animadversionem in contrā facientes, etiam Regulares, ETIAM SOCIETATIS JESU, facultate ipsis Episcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Se-*

dem Apostolicam specialiter attributa.

§. III.

586 **D**emùm observate. *Impresensiarum P. Vivam*, qui de more Lectoribus suis fucum facit. *Imprimis* de casibus Bullæ Cœnæ inquit (a): *An similiter per eandem Bullam derogetur facultati in jure canonico Episcopis concessa absolvendi ab omnibus Pontificiis casibus eos, qui ratione alicujus impedimenti, sive perpetui, sive diuturni nequeunt adire Pontificem? Siquidem expressè in Bulla prohibetur, nè quis à casibus in ea contentis absolvat, nisi constitutos dumtaxat in mortis articulo.* Et respondet: *Sylvester apud Suarez disp. 30. de Pœnit. sect. 3. negat, Episcopos absolvere ullatenus, extra mortis articulum, posse à casibus Bullæ Cœnæ sive publicis, sive occultis; sed communissimè affirmant, &c.* At *Sylvester* hanc facultatem, Episcopis concessam, & communissimè receptam, absolvendi in præfato casu gravis impedimenti, numquam negavit: & ipse Theologus, Canonistaque conspicuus, atque S. Palatii Ma-

(a) In Prop. 3. Alex. VII. n. 5.

Magister sciebat optimè regulam generalem, quam pluries in sua *Summa* laudat: *Quoties non pateat aditus ad Summum Pontificem, vel ejus Delegatum, nisi cum magna difficultate, & mora, potest pœnitens ABSOLVI AB INFERIORI SACERDOTE, CUM ONERE TAMEN COMPARENDI coram Pontifice cessante impedimento.* Et hac manuali regula *V. absolutio* assignat impedimenta, ob quæ potest pœnitens absolvi ab Episcopo prædictis in casibus. Hæc dixerim in re parvi momenti propter exactitudinem desideratam in *P. Viva*, ac etiam in *P. Suarez* (si tale illud affirmasse, verum sit) circa Authorum citationem.

587 Deinde de casibus Episcopo reservatis ait: (a): *Cum hoc privilegium Regularium* (quo poterant à reservatis Episcopo absolvi) *contineatur in corpore juris, videlicet in Clementina DUDUM, & in Extravag. INTER CUNCTOS, ut docent Panor. D. Antoninus, Armilla, &c.* Audiendus tamen non est, quia sicut non legit laudatos juris Canonici textus, ita nequè adductorum Dominicanorum scriptorum, qui

numquam dixerunt, quod illis inferit. Re ipsa *S. Antoninus* de tali materia differit (b); & diverforum relatâ Theologorum sententiâ adfirmante, Fratres Mendicantes, id est *Prædicatores, & Minores* posse vi *Clementinæ DUDUM* absolvi à casibus, vel ex consuetudine, vel ex constitutionibus Synodalibus Episcopo reservatis, nihilominus sententiam amplectitur è diametro oppositam, & decernit (c): *De casibus Episcopis reservatis nec Curati, nec dicti FRATRES presentati possunt absolvi, nisi in quantum fuerit à Diocesanis concessum.* Quod postea confirmat expressè docendo, neminem posse absolvi à casibus quocumque modo reservatis Episcopis absque horum speciali licentia.

588 Similiter eximius Theologus *Bartholomæus Fumus*, Author celebris *Summæ*, vulgo dictæ *Armilla*, apertè obtestatur (d): *In d. C. DUDUM, &c. Papa concedit dictis Fratribus æqualem auctoritatem in absolute cum Parochialibus. Cum ergo ipsi Parochiales possint, ut dictum est* (absolvere ab excommunicatione majori)

& Fratres possunt... Non tamen possunt dicti Fratres, nisi habeant Privilegium, absolvi à sententiis Synodalibus, nisi tales sententiæ fierent in fraudem. Et *V. Absolutio*, cui sese comparat, scribit (a): *Si Episcopus admittat Fratres sine solemnitate sub hac conditione taliter tamen, ac si esset servata, eandem auctoritatem habent, ac si ipsa esset servata. Si verò concedit simpliciter licentiam audiendi confessiones, tunc non possunt absolvi, nisi in quantum Episcopus eis concedit, & possit sibi reservare quot casus vellet: quia tunc non absolvent auctoritate dictæ Clementinæ DUDUM, sed ex mera commissione Episcopi.* Aliaque ibi docet, quæ nihil habent commune cum Propositione 12. damnata ab *Alex. VII.* Et tantum tribuit Mendicantibus gratias eas, atque privilegia, quæ tunc temporis erant in vigore, nec adhuc fuerant revocata.

589 Præterea tanquam fautores thesibus 16. præscriptæ ab *Alex. VII.* traducit (b) *MM. Dominicum Soto, & Petrum de Ledesma*, quin indiget eorum testimonia, vel locum

saltem, ubi eam proposuerint: scilicet, quia nimis procul à vero, ut quivis rem propriis oculis, lustrando eorum opera, videbit. *Ledesma* quippè Privilegium expendens, in jure Canonico *cap. ult. de Pœnit. & remiss.* Episcopis concessum, eligendi ad ipsorum beneplacitum Sacerdotem, cui confiteantur; dumtaxat affirmat (c), eodem gaudere privilegio Superiores Ordinum Regularium, qui sunt veri Prælati in sua Religione; ac ne per umbram quidem significat, Parochos, sive Curatos, qui Beneficium habeant, eò frui posse: quin ex professo de Parochis differens (d), aperte, distinctè, clarè, absque verborum involucro, absque ulla ambiguitate verborum negat illis ejusmodi facultatem quocumque in casu; qui, non secus ac alii simplices Sacerdotes omnes, confiteri tenentur Sacerdoti approbato ab Ordinario.

590 Sotus similiter absolute asserit (e), parochis nullatenus competere jus eligendi pro Confessario Sacerdotem simplicem in virtute cujuslibet facultatis eis concessæ in

Nn

ju-

(a) In Prop. 12. *Alex. VII.* n. 6. (b) Cap. 4. de *Casibus.* (c) Cap. 11. (d) *V. Casus* n. 7.

(a) Num. 25. (b) In Prop. 16. *Alex. VII.* n. 1. (c) Tom. 1. Sum. c. 12. dubit. 4. (d) Tom. 1. Sum. c. 13. dubit. 2. (e) In 4. sent. dist. 18. q. 4. 2. 2.

jure Canonico. Quia, inquit: *Curati non sunt Prælati; & ideo in proprium Sacerdotem habent solum Episcopum.* Concedit tamen facultatem eam, quam non habent à jurè, posse illis convenire propter legitimam *consuetudinem*, introductam in aliquo Regno, seu Provincia, sicut erat in Hispania ante Decretum *Tridentini* de hac materia. Sed prædicta opinio, quæ ante Concilium erat solida, & tuta vi approbatæ consuetudinis; post Concilii decretum, quod derogavit qualicumque consuetudini contrariæ, ac rem ad terminos reduxit primitivi juris, non erat jam probabilis, sed improbabilis, & falsa, atque iccirco jure merito damnata. Ut quid igitur sine causa traducitur *Sotus*, qui annis pluribus ante *Tridentinum* edidit sua Commentaria super 4. sent? In ipso Concilio adornavit suum librum *de natura & gratia*, quem Patribus Concilii dedicavit, & aliquantulum post temporis celsit naturæ, annis tribus priusquam conficeretur Sessio 23. in qua est conditum Decretum derogatorium cujuslibet consuetudinis in contrarium. Constan-

tibus *Soti* obitu anno 1560. & præfatæ Sessiois celebratione anno 1563. certè non nisi per injuriam, & contra veritatem adscribitur Patronis damnatæ thesis.

591 Quid? *P. Viva*, in quo *Sotum* judicat, se ipsum condemnat. Scribit enim (a): *Illud admittitur cum Suarez, Filliucio, Trullench, & aliis communiùs contra Nugnum, Parochum posse jure suo delegare vices suas, & jurisdictionem in ordine ad audiendas confessiones alteri Parocho, necnon Sacerdoti approbato ab alieno Episcopo, dummodò, ut notat Koning, Episcopi non repugnent.* Non vult *Viva* expressam licentiam, contentus est simplici non repugnantia. Imò *Henriquez cum aliis putat sufficere approbationem cujuscumque Episcopi.* Undè sequitur, quòd *Parochus in Diœcesi Nolana v. g. possit suam jurisdictionem delegare Sacerdoti approbato ab Archiepiscopo Neapolitano, vel ejus Diœcesis Parocho.* Si ejusmodi doctrina non est ipsa damnata, est tamen adeò laxa, ut crediderim, numquam virum timoratae conscientia fuisse, qui auderet umquam illam ad praxim reducere.

QUÆ-

(a) Ibì num. 11.

QUÆSTIO XV. DE SUBJECTO SACRAMENTI Pœnitentiæ.

Vocamur tandem ad Propositiones 58. & 60. proscriptas ab *Innocentio XI.* atque 5. 6. 7. & 41. confixas ab *Alexandro VII.*

ARTICULUS I.

Consuetudinarius.

§. I.

592 **M**ulti sunt in re morali pergraves, ac valdè cum Christi doctrina, & veterum Ecclesiæ Patrum sapientia repugnantes errores; sed maximè, omniumque primum relinquendum puto illum longè gravissimum, & ad maximum Christianorum damnum comparatum, non à Magistris acceptum, sed à Discipulis suoapte ingenio, & opinandi licentia in morum disciplinam introductum, & sedulo propagatum de absolvendis hominibus peccandi consuetudine implicatis. Excute veteres omnes Theologos, & Casuistas, nihil invenies hujus monstri simile. Nam cum cæteri er-

rores certis finibus coërceantur, singulique ad singula vitia excusanda comparati sint; hic unus omnia conservat, omnibus indulget, frustra que, eo retento, cæteri deponuntur. Nihil enim prodest, falsis opinionibus nullum obtegere peccatum, nisi etiam peccandi licentia coërceatur. Unum *Francolinum* hac de re disputantem horresco legere.

Magna res profectò, neque scio, an omnium gravissima, in controversia posita est, quemadmodum nempe agi conveniat à Sacerdote cum iis, qui peccandi consuetudine implicantur; & cum eam parum, aut nihil minuere laborent, dolere se tamen, cum ad exomologesim faciendam accedunt, deliberatumque sibi esse affirmant mores emendare. Est namque haud parva Casuistarum manus, qui huic hominum generi plus nimio

indulgent, hac inducti ratione, quod propositum situm sit in voluntate vitandi peccatum, non in vitatione peccati; atque ita statuunt, rectè facturum Sacerdotem, qui ne his quidem firmum propositum abesse putet, impertiatque nihil hæsitans absolutio-nem.

593 Horum opinionem cum vehementer probaret P. Baltasar Francolinus, operosèque defenderet in eo libro, quem inscripsit: *Clericus Romanus*; refellendum sibi sumpsit Episcopum Genettum, qui contrariam strenuè tueretur, scriberetque (a), *firmum, constansque*, seu *non vacillans*, esse debere novæ vitæ propositum, idque Sacerdoti priusquam absolvat cognitum, quoad ejus fieri potest, esse oportere. Hæc Francolinus ut à nimium severo, & rigido Doctore profecta, & ei, qua esse debemus erga miseros homines, misericordiæ contraria, vehementer improbat loco indicato (b), & exclamans concludit: *Quis unquam audivit tam absurdas doctrinas, tam severas?* Hinc Francolini opinionem transcri-

bens La-Croixius (c) inquit: *Inferes secundò, etiam audiendum non esse Genettum tom. 4. &c. ubi docet, pro hoc Sacramento requiri CONSTANS PROPOSITUM, & quod CONSTANS sit debere innotescere Confessario, antequàm absolvat:*

594 Miror, unum illos Genettum insectari, hunc unum hujus sententiæ Authorem nominare, quasi unius Genetti absurdam aliquam opinionem, non omnium Patrum doctrinam, quam is defendit, non explicatam à plurimis Episcopis, qui Synodos celebrarunt, hujus Sacramenti ritè administrandi rationem oppugnent. Quid enim docuit Genettus, quod non à D. Gregorio, D. Thoma, & D. Antonino, non à Petro Blesensi, non à SS. Laurentio Justiniano, & Carolo Borromeo, non à multis Illustrium Episcoporum Synodis, non ab ipso sumpserit C. Tridentino? Quid enim sibi vult Concilium, cum docet (d): *Hanc contritionem, non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere?* Quæ est illorum Patrum sententia, cum homi-

ni

ni cupido salutis inculcant cessationem à peccato; nisi firmum & constans, hoc est conjunctum cum vitatione peccati, esse debere propositum? Quid enim aliud diceret Catholicus scriptor, nisi propositum (quale requiritur ad exomologesim ritè faciendam) esse firmam & constantem deliberationem vitandi peccatum, neque aliud afferre oportere illum, qui velit cum Christo in gratiam redire? Nam qui aliter sentiret, aut scriberet, non ille quidem malus Casuista, sed hæreticus, aut homo infanus existimari deberet.

Rectène hujusmodi propositum afferre putentur ii, qui sunt adstricti peccandi consuetudine, qui pejorare v. g. blasphemare, aut aliud ejusmodi facere consueverunt, & cum primùm à Sacerdote rejecti, & ea edocti essent semel, & iterum, quæ facere deberent, ad eum revertuntur, etiamsi nec consiliis paruerint, neque peccandi minuerint consuetudinem? Hoc opus, hic labor est. Et hic errat Francolinus: non quia cujusquam, qui ad exomologesim faciendam accedat, neque firmum, neque constans

patiatur esse propositum; sed quia etiam eorum firmum & constans esse putat, quorum tale non est, aut nemo prudens esse arbitratur. Nam contra optimorum quorundam Theologorum sententiam, contraque omnium veterum Sapientiam tam excellens bonum communicat cum iis, qui peccandi consuetudine implicentur; quos si tantùm dixerint, *se dolere, & firmiter proponere* (quanti autem est hoc dicere) firmum habere propositum, & statim absolvi posse contendit. Quid autem prodest bellè definire, & millies repetere, *firmum, absolutum, efficax* esse debere propositum, si tale ne ab iis quidem abesse contenditur, qui peccandi consuetudine sunt irretiti, atque nulla re fidem faciunt, deliberatum sibi esse, vitare peccatum? Francolinus itaque non negat in hac controversia, firmum & constans esse debere propositum; sed etiam eorum, quorum non est, firmum, & constans esse proponat.

595 Is enim videns, nihil magis Adversarios improbare, quam quod fides habenda esse dicatur his hominibus, qui cum antea nihil egerint, ne-

(a) Tom. 4. tract. 6. cap. 5. quæst. 19. (b) Lib. 2. colum. 10. disp. 10. n. 26. & 27. (c) Lib. 6. part. 2. n. 1824. (d) Sess. 4. c. 4.

que collegerint sese, quò minus peccarent, tùm primùm, cùm veniunt ad Sacerdotem, pœnitere se dicunt morum suorum: colligit sese *Francolinus*, & evincere conatur, fidem iis haberi oportere; quia & propositum situm est in voluntate vitandi peccatum, atque ipsi sciunt, necessariam esse hanc voluntatem; siquidem volunt cum Christo in gratiam redire. At duo hæc magis augent, quam minuere vult *Francolinus*, difficultatem; imò non solùm non efficiunt, quod prætendit, verùm etiam contrarium demonstrant. Namque cùm multò antea illi per se scirent, & præterea edocti essent à Sacerdote (de his enim loquimur, qui semel & iterum admoniti sunt) necessariam esse istam voluntatem vitandi peccatum, neque tamen vitarint, & à suis vitiis potuerint avocari; nulla ratione credi potest, repentinam illam voluntatem, quam Sacerdoti habere se dicunt, vitandi peccatum, firmam esse, sinceram, atque absolutam, non similem ejus, quam antea attulerunt, fluxam, & inconstantem.

Neque tamen eos, si verè

dolere, morumque suorum tædere non credo, idcirco malos existimo, aut mentiri iudico; nam potius cogito id his accidere, quod scribit *S. Anselmus* (a) accidere solere: *Contingit aliquandò, ut sua facta considerent, fleant, seque amodò à talibus cessaturos ore promittant. Si more avis irritata liberos se volare autument, sed quia pravo usu irretiti ab Hoste tenentur, nolentes in eadem vitia dejiciuntur; fitque hoc sæpius: nec omnimodis liberantur, nisi magno conatu, & gratiâ funis rumpatur prava consuetudinis.* Ita alii PP. luculenter exponunt ingentes difficultates, quæ ob pravam peccandi consuetudinem in his hominibus resident ad respiciendum: quibusque efficitur, inanem esse totam rationem *Francolini*; qui ex eo dumtaxat, quòd consuetudinarii sciunt, necessariam esse voluntatem vitandi peccatum, concludere se posse putat, nequè inanem, nequè simulatam esse eorum pœnitentiam, vereturque, si secus cogitet, nè iis injuriam facere videatur.

596 Verùm *Francolinus* utitur sententia *D. Thomæ* (b), quæ hujusmodi est: *In foro*

ju-

judiciali creditur homini contra se: sed non pro se: in foro autem pœnitentia creditur homini pro se, & contra se. Quod ipsum docet alibi (a). An res confecta est? Quæ potest ex his verbis sententia cognosci? Unde constat, *D. Thomam* loqui de dolore, & de proposito? Non arbitror, opus esse hujus loci interpretatione, ex cujus sola lectura patet, non differi in eo de Sacerdote, qui Sacramentum Pœnitentiæ administret, sed de illo, qui suppeditare debeat Sacramentum Eucharistiæ ei, qui se dicat peccata sua esse confessum. Ex quo si colligere volumus, quid faciendum sit ei, qui Sacramentum Pœnitentiæ administret, planum erit ex verbis *D. Thomæ*, hunc non de aliis rebus credere debere pœnitenti, quàm de iis quæ ad peccata pertineant, putà, quamdudùm non sit ea confessus: quàm sæpè hoc vel illud admiserit: an pudore impeditus de aliquo tacuerit, atque alia ejusmodi, quæ non potest Sacerdos aliundè cognoscere, quàm ex confessione pœnitentis. Cæterùm nihil est in tota oratione *D. Thomæ*, quod pertineat ad dolorem,

& propositum, præsertim eorum, qui peccare consueverunt; ostendatque, non oportere Sacerdotem existimare, hanc rem esse judicii sui, sed fidem ei, qui dicit se dolere, ac firmiter proponere, continuo adjungere debere. At si ita esset, frustra Patres, & Theologi monuissent, cautò esse opus in his hominibus absolvendis, frustraque de his prudentiæ regulis prolixè disseruissent, quibus Sacerdotem uti convenit ad illorum dolorem & propositum cognoscendum.

§. II.

597 **C**Errè *D. Thomas* apertissime docet (b), relapsum non impedire, quominus propositum fuerit verum, & efficax: & simul explicat quanam sit constantia requisita in proposito, ut habeatur vera pœnitentia. Quando erit, ut quæ benè constituta sunt, ea turbare desinant? Quis moderatè ferat, *Francolinum* etiam hujus loci doctrinam contorquere ad id, quod nunc agimus, de vitiofa peccandi consuetudine? Quæ consecutio hæc est: *Qui rursus interdùm labitur, non*

Nn 4

in-

(a) Lib. de Simil. cap. 189. (b) Quodl. 1. q. 6. a. 3.

(a) Opusc. 6. & in 4. dist. 7. q. 3. qq. 3. (b) 3. p. q. 84. a. 10. ad 4.

indicat, verum sibi defuisse propositum: ergo ne is quidem, qui labi consueverit? Itaque D. Thomas haud quidquam docet, quod sit consentaneum Francolini sententiæ. Nam D. S. explicat, quamobrem Pœnitentiæ Sacramentum iteratò suscipi possit; quæ controversia nihil habet commune cum ea, quam modò agitamus de iis, qui vitiosa peccandi consuetudine sunt impediti. Undè cum ad probandum, Sacramentum Pœnitentiæ iteratò suscipi posse, nihil attineret argumentum petere ex vitiosa peccandi consuetudine, atque adeò testimonia, quæ sibi objicit, DD. Gregorii, & Isidori, accipere de iis, qui frequenter, vitiosèque labuntur; ne responsio quidem sic intelligi debet, ut huic controversiæ accommodata videatur, cum satis idoneum suppeditent argumentum ii, qui quandoque labuntur; ex quo sequitur, eos rursùs egere Sacramento Pœnitentiæ. Atque, ut multa præteream, ex quibus intelligi potest, impari eorum, qui raro peccant, atque eorum, qui sunt peccare assueti, esse oportere conditionem: illud sanè constat, D. Thomam loqui de iis, quo-

rum prima pœnitentia vera fuerit, ex quo rectè sequitur, quòd numquam veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequenter. Quis autem Francolino concedet, priorum eorum, de quibus est sermo, veram fuisse pœnitentiam? Quis illi daturum putat, tum iis non defuisse dolorem, & propositum, sine quibus vera esse non potuit?

Neque cavillari licet, non postulari ab his, qui exomologesim faciunt, ut vitent, sed ut velint vitare peccata, in qua voluntate sita est, teste D. Thoma, propositi natura: nam, ut omittam, nihil esse magis ridiculum, quam ex una definitione propositi concludere velle, nemini abesse propositum; quominus, cum dicerent se dolere, ac firmiter proponere, verum dixisse, aut nunc dicere putentur; obstant omnia, quæ quidem ob stare possunt, consuetudo scilicet peccandi, quòd semel & iterum fidem fefellerint, quòd consiliis non paruerint, quòd numerum non minuerint peccatorum. His ergo, priusquam absolvantur, conditio est proponenda, ut aliquo intervallo sese abstineant à peccato, quod

si

si priùs re ipsa non vitent, putandi non sunt vitare velle. Quod cum Patrum doctrinæ sit maxime consentaneum, nè rejici quidem sine errore potest, præsertim si semel, & iterum fidem fefellerint. Cæterum si ejusmodi pœnitens aliquam fecerit peccandi intermissionem, dubito, utrum sit melius, absolvere illum, an rursùs hortari, ut diligentius agat pravamque consuetudinem prorsus rumpere nitatur? Et quamquam hoc postremum sibi magis placere dicat Genettus, cum eodem tamen vereor quidquam aliis præscribere.

598 Advertite tamen animum, hoc modo Francolinum exponere (a) sensum propositionis 60. damnatæ: Hinc, ait, optimè Innocentius XI. damnavit eam propositionem, qua dicebatur, non esse differendam absolutionem, modò pœnitens, qui habet consuetudinem peccandi, ore proferat se dolere, & proponere emendationem, etsi emendationis spes nulla appareat. Debet enim ita dicere, ut sibi non contradicat modo explicatus, quem scilicet pœnitentem sibi contradicere sta-

tuat, tradit per hæc verba: Qui dicit se dolere, & proponere, & simul ex. gr. non vult deserere occasionem proximam voluntariam, aut alia facere, qua debet, jam sibi contradicit, adeoque non dicit serio, seu cognoscens id, quòd dicit; quòd non solet evenire, Intellexistisne? docuisse dicit damnatæ thesisi Authores, absolvi pœnitentem posse, qui sibi contradiceret, hoc est, affirmaret se dolere, & firmiter proponere, sed tamen stupro se abstinere, furtum reddere, proximam, quam vocant, peccandi occasionem vitare recusaret. Hoc totum commentitium est, & à Francolino sese tegendi causâ excogitatum. Nam si non solet evenire, sicut ipse fatetur, ut quisquam isto modo sibi contradicat; qui potuit tandem evenire, ut essent Theologi, tam inepti, tam improbi, tam impediti, qui eum absolvendum putarent, qui sibi isto modo contradiceret? Turcane erant, Sinenfes, aut Malabari? nam Christianos, multò minùs Catholicos fuisse quis credat? Debuerat Francolinus aliquem Cursum, Compendium, Medullam, aut Trutinam ostendere,

ex

(a) Ubi suprà num. 8.

ex qua sumpsisset *Innocentius XI.* istam propositionem, ne tanto Pontifici, atque adeo Ecclesiæ illudere videretur, quasi quod à nemine umquam scriptum, defensumque fuisset, id Romæ primùm exco- gitatum, subinde tamquam perniciosum populo Christia- no esset condemnatum: hoc enim est consequens ex inter- pretamento *Francolini.*

599 Profectò nihil exco- gitavit, ex quo intelligi pos- sit, quid inter eam damna- tam, & ipsius propositionem intersit; sed induit se in si- milem *Sanchezii* propositio- nem, quæ eadem est. Ait enim (a): *Secundò dico: quan- dò nihil curæ apposuit (pœni- tens) ad emendam, admoni- tusque est sæpe in aliis confes- sionibus, posse adhuc hunc in rigore statim absolvi, si verè doleat de præteritis, ac in po- sterum emendam firmiter propo- nat.* Eadem, inquam, est pro- positio damnata, ab eaque nihil differt. Quippè proscrip- ta Propositio dicit: *nec dene- ganda, nec differenda est absol-utio, hoc est, debet absolvi:* doctrina ergo Ecclesiæ, quæ rejicit propositionem, erit: *non debet absolvi: pugnans*

autem vehementer *potest ab- solvi Sanchezii, & non debet absolvi Ecclesiæ.* Nec eum ju- vat dicere, *posse in rigore ab- solvi: non enim est difficile, quid sibi velit, intelligere; scilicet, omnibus, quæ ad naturam Sacramenti, & hu- jus pœnitentis, ut ajunt, con- ditionem pertinent, accuratè pensatis, nihil impedire quo- minùs absolvatur.* Certè ita solent plerùmque loqui Casui- stæ. Aliter sua interest doce- re, quænam sint tandem in hoc casu, quo de agimus, circumstantiæ, ob quas licet *in rigore possit*, tamen absol- vi non debeat. Fateor enim, eas me non invenire.

Neque refert, quòd requi- rat *verum dolorem de præteri- tis, & firmum propositum de futuris: quæ certè fundare possunt spem aliquam emen- dationis, quàm non desiderat damnata propositio.* Sed quam? nùm spes emendationis ex ver- bis melius, quàm ex factis concipietur, & verba non fallent, quando facta toties fefellerunt? at quum spem ali- quam emendationis ex vero dolore, firmoque proposito colligi velit? si dolorem, pro- positumque abesse ostenderint alii,

§. III.

alii, nihil erit causæ, cur ul- lam spem emendationis appa- rere contendat. Et undè tan- dem cognosceret, illius ho- minis verum dolorem, & fir- mum esse propositum? Hic ser- mo non est de homine, qui miro quodam, atque extraor- dinario modò forte incitaretur divinitus, & repente, quod rarò accidit, magna gratiæ vi ad sanitatem revocaretur: de his enim casibus loqui non solent Casuistæ, neque locum in iis habent eorum regulæ. Signa itaque, quan- dò cælestia non sunt, non alia esse possunt, quàm ver- ba, quæ assuetus blasphemare sæpè dedit Sacerdoti. Quare *Sanchezius*, cum spem emen- dationis ex dolore & proposito colligat, dolor autem & pro- positum non possint nisi ex verbis pœnitentis colligi à non intente animum; unum restat, absolvendum ex do- ctrina *Sanchezii* esse hominem assuetum blasphemare, licet (ut est in Prop. damnata) *spes emendationis nulla appa- reat, & dummodò ore profe- rat, se dolere, & proponere emendationem.*

600. **S**ed ut quid im- moror? Ipse *San- chez* ibidem subdit: *Tertiò di- co, an sit consilium differre ab- solutionem, pendere ex Confes- soris prudentia. Si enim pœni- tens id non multùm agrè ferat, & speretur non ob id retraben- dum à Confessione, sed potius id fore medicinam, erit consi- lium differre absolutionem, ma- jori suavitate possibili adhibita: si autem oppositum speretur, non erit consilium, nisi quan- dò ille iis blasphemis INGENS PRÆBERET SCANDALUM, & ita Confessarius judicaret postponen- dum privatam illius solatium, & ad gloriam divinam expedi- re illum non absolvi, donèc scandalo publico satisfaciat, ni- tendo vitæ emendam.* Hominem blasphemare assuetum, qui non sit magno scandalo, at- que offensionem, periculum ve- rò sit, nè ferat, nisi absol- vatur, iniquo animo, nul- lumque fructum ex negata ab- solutione percipiat, seseque à Sacramento Confessionis ab- ducat, negat *Sanchezius*, es- se consilii non absolvere: Sa- cerdos igitur debet eum ab- solvere. Quod ipsum agebat Propositio damnata. An ullus est

(a) Lib. 2. in Decal. c. 32. n. 45.

est tergiversandi locus? An non ita comparatum est, ut debeat Sacerdos, quam ne consilii quidem est differre, omnino impertiri absolutionem? In ejusmodi descripto homine, haud dubiè unis verbis, qui velit quidquam de dolore cognoscere, opus est esse contentum. Nisi enim ille diceret, cui cadere in cogitationem posset, dolere, atque emendare sese velle? Sed ne, si diceret quidem, quisquam animum inducere posset, ut crederet, eum ullo dolore affici, ac desiderio teneri emendandæ vitæ?

601 Verùm si quod res est, fateamur oportet, damnatâ Propositione longè deterior est opinio Sanchezii. In eo enim, de quo loquitur damnata Propositio, una obstarat prava consuetudo, quominus, si diceret se dolere, ullam fidem faceret, neque tamen præ se quidquam gereret, quod cum dictis aperrè pugnaret. Hic autem, de quo differit Sanchez, cum præter pravam consuetudinem, tam malè animo sit comparatus, ut non solum ferret molestè, se non absolvi, sed etiam, quin ullum fructum caperet

ex negata absolutione, à Sacramento Pœnitentiæ arceret sese; quem dolorem, etiam si dolere juraret, quam præferret spem emendationis? Et tamen huic, ne consilii quidem, res est, inquit, non statim impertiri absolutionem. Ex quo intelligatis velim, lectores, quò locò habendæ sint illæ loquendi formulæ: *si verè doleat, si emendam firmiter proponat*. Verba sunt mera, quando in eum, de quo loquitur, nec verus dolor, nec propositum cadit emendandæ vitæ. Illud etiam est monstri simile, eum, qui modestè ad Sacerdotem accedit, & de quo Sacerdos benè sperare potest, nihil indignè laturum, sed fructum aliquem reportaturum negatæ absolutionis, non absolvi; & è contra, illum tumidum, & arrogantem, qualem Sanchez describit, tanto beneficio cumulari. Illud enim consilii capere debet Sacerdos, qui Sanchezio auscultandum putet, ut illius differat, huic statim impertiat absolutionem.

602 Præsertim si P. Laymanno (a) credendum arbitretur, qui monet: *Primò considerandum in hac materia, quo*

(a) Lib. 5. tract. 6. c. 4. n. 10.

quo præcipuè motivo pœnitens ad frequentes confessiones accedat. An quia à Domino, Præfeto, Pedagogo adigitur, aliàs non accessurus: in tali homine magnum periculum est, nè malè dispositus sit. Ergo si sponte accedat, non adactus à Domino, à Præceptore, à Pedagogo, signum erit ipsum rectè comparatum accedere. Et ita Tamburinus Laymannum excipit, dicens (a): *Placet quod docet Laymann... nimirum, qui est recidivus, si affert aliquod signum emendationis, esse semper absolvendum. Signa autem sunt, vel variè peccare, vel aliquis major dolor ex vero animo conceptus, vel ipsum SPONTE CONFITERI in iis, qui non urgentur à Præceptore, Patre, Pedagogo, consuetudine congregatorum ad confitendum, &c. tunc enim habetur signum emendationis; secus, non item*. Revera mirum esset, nisi Tamburino placeret sensus P. Laymanni adeò benigni. Placet & RR. Probabilistis. Nobis verò valdè displicet: Si namque spontanea & libera Confessio in recidivis est signum emendationis ita efficax, ut semper absolvi

debeant: omnes ergo peccatores, qui non sint manifesti concubinari, neque in occasione proxima constituti, neque in continuo peccato mortali versentur, sed frequenter labantur, semper absolvendi sunt, propterea quod sponte confiteantur. Quid laxius? Verùm quod lachrymas extorquet, est, quod multorum praxi hodiernæ respondet doctrina ejusmodi.

603 Quin, doctrina cum sit D. Thomæ (b): *Sacerdos debet perscrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi Medicus vulnus, & Judex causam: quia frequenter, quæ præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat*. Quanta verò prudentiâ in ejusmodi inquisitionibus opus sit, ibidem explicat. Atque cum Innocentius XI. definièrit prop. 58. nos teneri Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem: Nihilofeciùs P. Viva audet (c), & dicit: *Licet teneatur pœnitens respondere Confessario interroganti consuetudinem peccati... cum opposita sententia sit damnata ab Innoc. XI. tamen PER SE LOQUENDO non est aperienda hujusmodi*

(a) Lib. 3. meth. Confes. c. 3. s. 4. n. 11. (b) In 4. dist. 19. in exposit. text. (c) In Cursu tom. 2. p. 6. p. 5.

consuetudo. Quasi esset aperienta dumtaxat, quia damnatam propositionem districtè prohibuit *Innocentius XI.* ad praxim deducere, quia ita voluit; secùs exigente rei natura. Et neque hæc erit Apostolicæ damnationis injuriosa irrisio?

604 Animadvertendum tamen, *Benedictum XIV.* duo edidisse diplomata, alterum 7. Julii 1745. & 4. nonas Junii 1746. ad coercendam Confessariorum curiositatem, occasione abusus, qui in Regno Lusitaniæ irreperat. Primum detestatur praxim illorum Confessariorum, qui à pœnitentibus socii hujusmodi, seu complicitis nomen exquirunt; atque ad illud sibi revelandum, non inducere modò suadendo conantur, sed, quod detestabilius est, denunciata quoquè, nisi revelent, absolutionis Sacramentalis negatione, prorsus adigunt, atque compellant; imò etiam complicitis ejusdem nedùm nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigunt designari.

Quibus verbis proscribitur abusus exquirendi complicitem absque justo titulo. Et quoniam inter causas justas Confessarii Lusitani nonnulli correctionem complicitis allega-

bant, hunc determinatum casum Pontifex proscripsit sequentibus verbis: *Quam illi quidem intolerandam impudentiam, tum procurandæ complicitis correctionis, aliorumque bonorum colligendorum specioso prætextu colorare, tum emendicatis quibusdam Doctorum opinionibus defendere non dubitarent, cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas, & erroneas sequendo, vel veras & sanas malè applicando, tam suis, quam pœnitentium animabus consciscerent, &c.* Nullam itaque omninò notam inusit sententiæ defendenti, licere pœnitenti spontè manifestare complicitem ad sui, vel complicitis utilitatem, imò & facultatem Confessario permittit utendi ejusmodi revelatione spontè facta ad complicitis correctionem.

ARTICULUS II.

Concubinarium.

§. I.

605 **A**bsolvendum esse antequam concubinam, nimis sibi utilem ad oblectamentum, projiciat, docuit *Joannes*

San-

Sanchez (a); cujus monstruosam opinionem censurâ notavit *Alexander VII. prop. 41.* Incauta plurium Casuistarum scribendi de hac materia ratio, fovet illam, quam lugemus universalem corruptelam. Damnatas sententias vanis ratiunculis, & distinctiunculis, uti modò vidimus, ita extenuant, ut ad nihilum ferè redigant. Omnes nunc fatentur, concubinarium absolute absolvi non posse; at dubia spontè proponunt, quæ Probabilissimi virtute fiant resolutiones probabiles, ut valeat absolvi. Sic *PP. Moya (b)* atque *Hozes (c)* docent, *semel, & bis*, secùs *ter*, absolvendum concubinarium, promittentem, se dimissurum concubinam. A quibus non recedit *P. Viva (d)*, imò subdit: *Neque ex propositione illa 71. Innoc. XI. eruitur, quòd absolvi non possit. Nam qui proponit occasionem statim tollere (in alia confessione id promisit, & deindè non stetit promissis) non potest dici, quòd illam velit de presenti: sicut nec dicitur velle periculum*

mortis, qui appropinquante Leone proponit fugere statim, ac potest; quantumvis potuerit antecederet occasionem occursum tollere, & nondùm sustulit.

606 *PP. Salmanticenses. (e)* distinguunt concubinarium publicum à privato. Primum numquam absolvendum docent; neque secundum communiter loquendo, donec concubinam dimiserit. At in aliquo raro casu hunc secundum absolvendum pro prima vice defendunt; ut si concubinarium lachrymas funderet, contritionem magnam concepisset ex alicujus concionis auditu, & alia similia signa præferret: vel ita stupidus sit, ut ignoret se debere concubinam dimittere, priusquam absolva-
tur. Quin *P. Emmanuel à Concep.* seu continuator *Leandri à SS. Sacram.* scribit *(f)*: *An liceat famulo concubinam portare, nè à Domino malè tractetur, aut è domo expellatur... Probabilius respondeo affirmativè... De casu autem hujus questionis mentionem nullam fecit Propositio damnata (51. ab Innoc.*

(a) Disp. 10. n. 20. (b) In Select. tom. 1. disp. 7. tract. 3. (c) In exposit. Prop. 61. ab Innoc. proscriptæ. (d) In Prop. 41. Alex. VII. n. 16. (e) Tract. 26. cap. 11. punct. 2. §. 1. n. 32. & seqq. (f) In 10. Decal. præc. par. 4. in ordin. 9. tract. 7. disp. 3. quæst. 26.

noc. XI.) ac proinde non est propter illam recedendum ab affirmativa sententia.

607 Quæ assertio esset utique consequens necessarium, positâ P. Gobati doctrinâ; qui asserit (a): Si concubinariis nequeat dimittere suam concubinam sine jactura centum aureorum, seu ducatorum, poterit Confessarius pro re nata amplecti sententiam vel Joannis Sanchez, vel Oviedi, paulò ante relatam. Si ipsa est ita effrons, ut dimissâ, prolatura sit occultum concubinatum, retinere eam volenti patrocinantur plerique ex citatis; sed utique muniendus erit peculiaribus propositis; & aliis mediis: sicut & patrocinantur, si ipsa sit ejus ancilla, & nequeat aliam adipisci absque pari periculo; cum tamen haud possit illo modo careere ancilla omni. Volumen implerem, si singula laxitatis paradoxa, quæ docent Casuistæ in præsentī materia, recensere vellem. Unde cessavi. At non à ploratu cessat vox speculatorum illius magnitudinis incommodorum.

Quippè Confessarii, præfatis doctrinis imbuti, prima vice communiter concubina-

rios absolvunt. Lachrymulas aut verè prolabentes, aut apparentes in vultu vident concubinariis. Nobilitas, splendor, divitiæ (pauperes enim rarò concubinas alunt) & cætera humanitatis præstigia ultrò sese in animum Confessarii ingerunt, cor emolliunt, mentem inflectunt, doctrinæ rigorem delinunt, &, relatarum opinionum autoritate adjecta, absolutionis beneficium facillimè obtinent concubinariis. Absolutione obtenta, post annum adeunt quempiam alium Confessarium, & prædictis lenociniis similiter absolutionem percipiunt. Et en inundantis laxitatis scaturiginem; quam certum est, à præfatis Theologis nec intendi, nec prævideri; experientia tamen testis est, eam quòd versùs grassari; ex doctrina potiùs, quam ex Confessariorum imperitia profectam.

§. II.

608 **S**ed P. Viva (b) dubium excitat: An possit absolvi, qui in occasione peccandi proxima versatus est, antequam illam tollat: præsertim

tim si in alia confessione id promissit, & deinde non stetit promissis? Et productis Authoribus, qui putant, absolvi non posse extra casum necessitatis, extremæ scilicet, subdit: Imò Cardenas.... putat, id colligi ex propositione 61. Innoc. XI. ubi damnatur, quòd absolvi possit, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere. Quod insuper confirmat validissima ratione. Post hæc tamen (quis crediderit?) ipse Viva contrariam amplectitur sententiam, quam communiorem item appellat. Pergit enim: Communius tamen cum Suarez disp. 32. sect. 3. Tabienâ, & aliis censent, posse hujusmodi pœnitentem absolvi semel, ac iterum, si appareant hic & nunc vera signa doloris, & propositi efficacis tollendi statim occasionem proximam: Imò Corduba, Cajetanus, & alii putant, quòd possit etiam tertia, & quarta vice absolvi.

Hanc esse damnabilem opinandi laxitatem, sicque proscriptâ contentam sententiâ, certissimum arbitror: quandoquidem si pœnitens potuit, ut supponitur, manumittere proximam occasionem peccaminosam; quamdiu non di-

mittat, quomodò in eo præsumi prudenter poterit efficax sese emendandi propositum, præsertim si aliàs Confessarium vicissim fefellisset, promittendo illam relinquere, atque promissis non stando?

609 Præterea P. Viva tam laxæ opinionis ad patrocinium vocat Tabienam, & Cajetanum. Sed locum non indicat, ubi eam docuerint, quia neque potuit. Eorum opera lustret quisque, nec verbum de hac re apud illos reperiet; quin potius oppositum directè ab ipsis traditum. Leget fortè in Summa Cajetani V. CONCUBINATUS: Concubinatus non solum includit peccatum mortale fornicationis, sed addit statum peccati mortalis. Et propterea ad sui veram pœnitentiam exigit, non solum omissionem actus carnalis, sed RECESSUM A TALI STATU. V. Confessio: In quarto gradu sunt confitentes cum attritione sola: quia eorum contritio incerta est, quibus scilicet displicent peccata præterita, & velent vitare futura peccata, sed in veritate hoc non volunt; habent siquidem velleitatem vitandi futura, sed non habent voluntatem deliberatam ad vitandum futura peccata. Tales sunt usurarii, aut, aliàs

(a) In exper. Theol. volum. 2. tract. 7. cas. 16. n. 530. (b) In Prop. 41. Alex. VII. n. 16.

tenentes alienum, qui nolunt restituere; & similiter omnes in CONCUBINATU EXISTENTES; & Pirata, qui nolunt statim illum deserere; & universaliter, qui non sunt parati intentione, & proposito verè delibato deserere peccare mortaliter. Horum confessio admittitur in Ecclesia: sed NON AD ABSOLUTIONEM; TALES ENIM NON SUNT ABSOLVENDI. ut patet Extra. de Pœnit. &c. Sed sunt crebris, & salubribus monitis ad pœnitentiam veram inducendi. Certè in iis nihil omnino invenire poteris *P. Viva* ideis favens, sed contradicens. Et de *Tabiena* idem esto iudicium. Quid ergo dicam tibi, aut quid respondeam de Scriptore, qui credulitate abutens simplicium, eos manuducit ad sequelam & praxim perniciosæ doctrinæ, falsâ de more citatione Doctorum? mallet nescire. Lectores suos profectò, quibus generatim fucum facit, injuria afficit, quasi omnes stulti essent, ac hebetes.

ARTICULUS III.

Hæreticus, Sollicitatus, & Calumniatus.

§. I.

610 **Q**UAMVIS in omnibus aliis delictis

privatis, quando prudenter spectatur emendatio, præmittenda sit fraterna correctio; tamen quando delicta sunt directè contra bonum publicum, ut sunt præsertim hæreses, neglecta correctione fraterna, denuntianda sunt, ut docet *S. Thomas* (a). Atque adeò, etiamsi probari non possit hæreticus, adhuc est denuntiandus, si de ejus hæresi constet. Ita definiit *Alex. VII.* Prop. 5. contra plurimos, qui cum *Bauny, Reginaldo, Megala, Candido, De la Cruz, & aliis* docuerunt, cessare in hoc casu obligationem denuntiandi. Sic *P. Viva* in præsentia (b). Sed fallitur de more, aut fallit, dum damnatæ thesisi assertorum jungit cuneo *NN. Vincentium Candidum, & Joannem de la Cruz* in fide suorum *Mendi, & Diane*. Quippè *Candidus* imprimis non loquitur de denuntiatione *S. Officio Sacræ Inquisitionis* fienda, sed generatim de iis denuntiationibus, quæ ad sæculare spectant forum, ubi quæritur vindicta seu punitio criminum: quo in casu quis negaverit, non esse obligationem denuntiandi juridice, aut accusare reum, si probari nequeat delictum. *Candidus* tamen hanc ipsam, quæ certa est,

(a) 2. 2. q. 33. a. 7. (b) In Prop. 5. *Alex. VII.* n. 1.

est, doctrinam restringit potestè, taliterque exponit, ut ex ejusdem verbis validum conficiatur argumentum adversus damnatam Propositionem.

Obligamur tamen, inquit (a), ut observat *Navarrus* num. 786. omni modo possibili ad impediendum tale damnatum machinatum contra bonum commune (quale citra dubium est hæresis), aut tertia personæ imminens in futurum, si probari non potest, DICENDO *Judici* EXTRAJUDICIALITER, & ei qui prodesse, & non obesse potest, sive monendo eum, cui damnatum preparatur, ut curam sui generat, & custodiat se quantum potest, non tamen detegendo personam...

Addit tamen *Navarrus*, quòd ob bonum commune servandum tenemur accusari, denuntiare, & testari, si damnatum notabile nobis, nostrisque immineat, si alia via impediri non possit damnatum imminens communitati; cum bonum commune præferri debeat privato.

Nonnè hæc est ratio potissima falsitatis damnatæ thesisi? Nonnè vel ea tantum scripsisse *Candidum*, satis esset, ut assereretur adversarius proscriptæ opinionis? Sed adhuc audiat ipse rursus ad evidentiam imposturæ ei affixæ. Dico s. ait (b), quando crimen est contra bo-

num commune... ut est CRIMEN HÆRESIS contra bonum commune Religionis, tunc monitio secreta non debet precedere accusationem, vel denuntiationem; sed statim DEBET Inquisitori, vel Judici Ecclesiastico deferri, ut exitialisimo huic malo occurrat. Et paulo post soluta quadam Adversariorum objectione, concludit: Quocirca justissima lex illa est, quam Fidei Censores, & Inquisitores in hoc referunt, ut quamprimum sine prævia admonitione tale crimen denuntietur. Illustris hic Scriptor numquid clariùs poterat loqui contra proscriptam opinionem? Et adhuc volet *Viva*, esse unum ex illis, qui cum suis eam tenere?

611 Deinde ad *Joannem de Cruce* quod attinet, à capite ad calcem suæ Summæ, ne minimum quidem verbulum est ullum circa denuntiationem Hæreticorum: atque super accusationibus juridicis, de quibus agit unicè, solidas adeò rationes adducit, ut iis valeant impugnari fautores damnatæ sententiæ. Ait enim: In dubio, an reus per secretam correctionem emendabitur, tenemur accusare, aut denuntiare juridicè, si desint testes pro accusatione, peccata, mediate etiam ledentia bonum

(a) Tom. 1. disp. 3. a. 1. dub. 4. n. 6. (b) Ubi suprâ art. 2. dub. 5.

commune, ut sunt peccata atrociora, & peccata publica; cum in dubio inclinandum sit in favorem boni communis; & peccata etiam lædencia innocentem injustè in vita, honore, fama, aut divitiis: si aliàs non possum ei subvenire sine meo gravi damno. Neque iste itaque habet, unde annumerari possit cum Defensoribus profcriptæ opinionis.

612 Cæterum tametsi in delictis ejusmodi præmitti correctio posset, quando firmiter, inquit *Angelicus* supra laudatus, speraretur emendatio; nihilominus delicta sollicitationis, non præmissa correctione; denuntianda esse decrevit Congregatio S. Officii coram *Alexandro VII.* die 8. Julii anno 1660. per hæc verba: *Etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia admonitio præmissa fuerit, omninò teneri, &c.* ad denuntiandum. Quod autem persona sollicitata, teneatur sub gravi culpa denunciare Sacerdotem sollicitantem, docent omnes, cum obligatio sit de re gravissima. Quin & Confessarius tenetur eam sedulò monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de præfata obligatione; diligenterque cavere, nè Sacramentalem absolutionem impertiat, nisi prius denuncia-

tionem prædictam ad effectum perducendo, delinquentem indicaverit competenti Judici; vel saltem se, cum primum poterit, delaturam spondeat, ac promittat. Ita novissimè *Benedictus XIV.* aurea Constitutione edita an. 1741. Kalendis Junii.

§. II.

613 **D**UDUM equidem à *Gregorio Papa XV.* sub die 30. Augusti 1622. sapienter provisum fuit Brevi edito contra quoscumque Sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta sollicitantes; & deinceps successivis temporibus, ad ejus Brevis interpretationem, ac declarationem, plura subindè à Congregatione S. Officii sub die 11. Februarii 1661. prodierunt Decreta, & ab *Alexandro VII.* inter alias ab Evangelica veritate, & SS. Patrum doctrina alienas & dissonas Propositiones, sexta videlicet, & septima, damnatæ, & prohibitæ fuerunt. *Benedictus* itaque *Papa XIV.* omnia & singula Decreta prædicta approbavit, & confirmavit; arque etiam, quantum opus sit, denuò commi-

sit,

fit, & mandavit omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & locorum Ordinariis, ut diligenter inquirant, & procedant contra omnes, & singulos Sacerdotes, qui aliquem pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel in actu Sacramentalis Confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut pretextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in Confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint

Quibus præfata Decreta ampliat ad quinque casus, qui erant sub Judice, præcipiens pœnitentibus, ut denuntient Personam, qua sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium, & Pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sol-

licitationem jam effluerit, aut sollicitatio à Confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit.

614 Dehinc sapientissimè prospexit famæ, & conscientiæ Confessariorum adversus eos, qui innoxios Sacerdotes apud Ecclesiasticos Judices falso sollicitationis insimulant. Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœne coerceretur, inquit, quæcumque persona, qua execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelestè procurando, ut id ab aliis fiat; à quocumque Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam à Nobis, nostrisque Successoribus, nisi in fine vite, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinenda, quam Nobis, & Successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat. Hæc tamen universalis derogatio cujuscvis privilegii, auctoritatis, & dignitatis tollit omnia, quæ præfati ordinationi, cui apponitur, communiter ob stare videntur; secus ea privilegia, ad quorum derogationem specialis mentio requiritur. Quare Jubilæi plenarii, Bullæ Cruciatæ, ac similium

gratiâ , quorum non expressè meminit derogatio , quæcumque persona , prædicto scelere inquinata , à quocumque Confessario , etiâ extra finem vitæ , & mortis articulum , spe obtinendæ absolutionis non caret.

ARTICULUS IV.

Complex.

615 **P**ORRÒ Confessarii , qui attentè legèrint rescriptam Constitutionem , habent omnia , quæ pro resolvendis casibus occurrentibus necessaria sunt , summa perspicuitate distinctis §§. exposita. Nihilofecius laudo eorum zelum , studium , eruditionem , qui novissimè nonnullas circa §§. 4. & 5. de Confessione , & absolutione complicitis in peccato contra 6. præceptum Decalogi commissio , excitarunt quæstiunculas , ediderunt , atque decernunt vel secundùm doctrinas post natum Probabilismum dumtaxat extricatas , vel juxta genus hominum illud , de quibus scriptum est : *Mundum tradidit (Deus) disputationi eorum.* Illas itaque , cæteroquin com-

munes , & obvîas , dispiciam notulis propter antiquam Viri amicitiam , cui devinctus sum valdè , quique iccirco impleat desiderium suum ex ipsis , avidus vellem , tametsi compendio.

§. I.

616 **A**NTE omnia , quid in hac parte constituerit Pontifex , ipse narrabit. In aureo enim opere suo *de Synodo (a)* , recensitis Synodalibus Constitutionibus plurimum Episcoporum , in quibus decretum est , *nedum illicitam , sed inanem pariter , nullam , atque irritam fore absolutionem , à Sacerdote datam Socio sui criminis adversus sextum Decalogi præceptum ;* atque *S. Caroli Borromæi* sanctione Synodali , qua *Confessariis generatim , atque universim facultatem interdixit sui cujuscumque criminis Socium , seu quoquo modo participem , absolvendi* , subjungit : *Quamquam autem hæc Sanctissimi Præsulis statuta , etiam generatim , uti sonant , sint summo perè commendanda , & quilibet Antistitum sanctè quæat eorumdem vestigiis insistere : negari tamen haud potest , majorem quamdam , & graviores inhonestatem in eo adesse , ut Sacerdos illius persone*

Con-

Confessionem excipiat , cum qua IMPUDICITIÆ scelus admittit : ac proinde , statim ac Nos ad Petri Cathedram evecti , totius Domini Gregis curam suscepimus , universali lege ediximus , nè ullus Confessarius , extra casum extreme necessitatis , nimirum in ipsius mortis articulo , & deficiente tunc quocumque alio Sacerdote , qui Confessarii munus obire possit , Confessionem Sacramentalem personæ complicitis IN PECCATO TURPI , ATQUE INHONESTO , CONTRA SEXTUM DECALOGI PRÆCEPTUM commissio , excipere audeat , sublata propterea illi ipso jure quacumque auctoritate , & jurisdictione ad qualemcumque personam ab HUIUSMODI CULPA absolvendam.

617 **U**T porrò conscientiarum tranquillitati consuleremus , aliis similibus litteris , datis die 8. Februarii 1745. declaravimus , ad rem , de qua agimus perinde esse , nullam adesse Sacerdotem , præter illum , cum quo pœnitens inhonestè peccavit , aut eum tantum adesse , quem idem pœnitens , constitutus in mortis articulo , eligere nequit sine periculo se ipsum infamandi , aliisque malam sui suspicionem ingerendizatque idè , in eo rerum statu , non probiberi , diximus , Sacerdotem suæ IMPUDICITIÆ complicitem absolvere ; eundem tamen simul monuimus , nè prædictæ infamiæ , aut

scandali pericula sibi confingat , quæ revera absint : quinimò volumus , ut ea , cum potest , antevertat , & removeat ; secus enim pœnas non effugiet , in nostra prima Constitutione inobedientibus inflictas. Videlicet privationis Jurisdictionis , & irritationis absolutionis , atque excommunicationis ipso facto incurrendæ , cujus absolutio Romano Pontifici reservatur.

718 **N**otate verba , & signate Mythologiam. Factus non est sermo laudatarum Constitutionum de complice in quolibet peccato contra decem Decalogi præcepta commissio , sed tantum in eo , quod committitur adversus sextum. Quò omne impuritatibus , & impudicitiae genus , quo polluitur corpus , prohibetur : imò verò omnis intima animi libido hoc præcepto verita est , cujus sententiæ explicatio est nonum præceptum , quo distinctè , explicatèque vetantur , quæ sexto explicite non prohibebantur. Nec propterea istius cohibitionem directe intendit Ecclesia impræsentiari ; non enim auferit , sicut neque confert , jurisdictionem in peccata interna , nisi ubi manifestantur. Aliundè formalis conceptus *Complicitis* , sive *Socii* , qui lati-

(a) Lib. 7. cap. 14.

nè propriùs sonat *Compos*, *confors. particeps*, in mutua Societate in ordine ad eandem actionem externam consistit; quandoquidem *Complicitas*, sive *Societas* per participationem conceptuum interiorum, propria est Angelorum, qui, cum intelligant per directionem conceptuum, fieri queunt participes bonitatis vel malitiæ, quam habuerit actus purè interior. E contra in hominibus, quia non invicem intelligant, nisi per signa conceptuum, stat optimè, plures simul peccare in eodem peccati genere actu merè interno, quin complices dicantur, focique in eo sint ob defectum relationis, & ordinis mutui alterius ad alterum.

619 Hinc si alter alteri efficaciter resistat exterius, interiorius tamen morosè delectetur, quin exterius ullum ejus signum grave faciat, liberi sunt à præsentī lege complices. Quomodo enim tunc ordinari posset delectatio ea, & dirigi ad provocantem, cui, ut supponimus, potiùs contradicit provocatus, quemque increpat viriliter, atque charitative corripit? Consultius tamen utriusque esset, tamquam indisposito alium quærere Confessarium, ab invicem recedere, &

ab hujusmodi Confessione cessare. Quodsi ea delectatio interna innotuerit aliquando provocanti, uterque deinceps jam factus est sub lege complices formaliter: sicut furti deposito errore, restitutioni, qua non tenebatur, subjicitur, qui unà cum alio poma ex horto collegit alieno, judicans bona fide, illum habere, quam re ipsa non habet, licentiam Domini. Similiter, si ea provocatio à Sacerdote fuerit peracta, non pro se ipso, sed pro alio, communi consensu, hujus audire confessionem, eique absolutionem impertiri à turpi consensu in procurationem non valet; etiam si ambo pœnitentia ducti manifestatum consensum statim retractavissent, amare flevissent, atque numquam executioni mandarent. Si denique de alterius peccato graviter turpi dubia sit manifestatio, idem esto iudicium; non quia præsens lex, aut ulla similis alia sit de peccato dubio, sed propter generalem illam juris naturæ: *In dubiis tutior pars est eligenda*; aliter ausus esset temerarius.

620 Dixi *grave* debere esse signum interiora referans; quia fulminata à lege præsentī pœna gravissima non imponitur

tur

tur propter culpas leves, quæ confessionis materia non sunt, nisi voluntaria. Unde Pontifex ipse in posteriori suo Diplomate (a) declarat, dicti complices absolutionem in articulo mortis esse validam: *Ne hac ipsa occasione aliquis pereat*; nemo autem æternum perit propter veniale peccatum, cujusmodi ea sunt, etiam in genere luxuriæ, quibus deest plena, & perfecta deliberatio, sive advertentia. Istà verò stante, cum in eo peccandi genere non sit parvitas materiæ, lethalia sunt omnia, præsentique obnoxia legi, quæ consequens est approbationem, confirmationem, atque innovationem alterius conditæ adversus Confessarium sollicitantem *sive verbis, sive signis, sive tactu, sive per scripturam*. Quæ proinde, cum Legislatore repetenda non fuissent ibi, alibi suam recensurus legem, aperte complexus est, dicens supra, latam fuisse contra Sacerdotem *impudicitie scelus* admittentem, & *sue impudicitie complicem* absolventem. Sanè doctrina est *D. Angelici* (b): *Pudicitia attenditur proprie circa veneræ, & præcipue circa signa veneræ: sicut sunt aspectus impudici, oscula, & tactus. Et quia*

hæc magis solent deprehendi, idè pudicitia magis respicit hujusmodi exteriora signa. Castitas autem magis ipsam veneræ commixtionem. Ecquis dubitaverit, nisi qui non cognoverit sensum Domini, in sexto Decalogi præcepto revelatum, quemque retinent Pontificiæ Constitutionis verba ea: *Complicis in peccato turpi, atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commissio.*

621 Notandum, Pontificem ad præsens quod attinet, semper loqui absolute de peccato turpi atque inhonesto quomodocumque, quandocumque, ac ubicumque commissio contra sextum Decalogi præceptum; utpotè magnoperè cupientem à *Sacerdotalis iudicii, & Sacri Tribunalis Sanctitate omnem turpitudinis occasionem, & Sacramentorum contemptum, & Ecclesiæ injuriam longè submovere, & tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, & animarum periculis occurrere.* Incommoda istæc, quæ cavere intendit, eadem sunt in peccato turpi commissio in actu Sacramentalis Confessionis, immediate antea, vel post, ac extra occasionem confessionis, ut patet. Hæc itaque submovere cupit, non modo confirmans, & renovans media, quibus

Gre-

(a) §. 3. (b) 2. 2. q. 151. 2. 4.

Gregorius XV. & Sacra Congregatio animarum occurrerunt periculis, ex sollicitatione intra, ante, & post confessionem immediate provenientibus, verum etiam augens ea, & extendens ad sollicitationem longè à confessione factam, ad confessionem tamen ab utroque adducendam. His primùm animadversis.

§. II.

622 **N**Otandum 2. Pontificem verbis hinc §. 4. prioris Constitutionis: *Quovis privilegio, & indulto, etiam speciali expressione, & specialissima nota, & mentione digno*, implicite Privilegiis derogare *Jubilai plenissimi, Bullæ Cruciatæ*, & similibus: atque nè in his ulla fiat distinctio, aut interpretatio ad præfatum complicem absolvendum vi eorum, eandem derogationem ingeminare demonstrationis causâ, majorisque specificationis (ut consuevit), illa rursus §. 5. explicitè revocando ex nomine ad prædictum effectum. Neque huic prodest invincibilis ignorantia novi decreti. Id enim ignorantem invincibiliter excusat quidem omninò ea ignorantia à culpa transgressionis, poenaeque; nequit tamen absolutio-

nem ejusmodi reddere validam. Decreta siquidem irritantia, cujusmodi est præsens, semper vigent quantum ad actuum nullitatem, tamen quoad poenas intentatas adversus scienter, sive ausu temerario transgressores, deficiant. Quin, etiam si peccatum turpe fuerit perpetratum ab eo, qui nondùm erat Sacerdos, neque Confessarius, & ante Constitutionis promulgationem; Sacerdos inauguratus & Confessarius, atque post illam, jam non valet deinceps absolvere à tali peccato complicem suum; quia eo in statu constituti sunt, in quos illos ligat laudata Constitutio.

623 Neque in præsentia est, unde *titulus coloratus cum errore communi* vendicet sibi locum. Numquid quia Confessarius est, ac existimatur? Hòc pacto idem dicendum opus esset de cæteris omnibus Confessariis, qui hujuscemodi criminis rei sint; sicque actum erit de Constitutione adeò pretiosa in conspectu Domini. Porrò notâ semel Confessario facta revocatione suæ Jurisdictionis, titulus expiravit, & Jurisdictio, quin proindè colorari valeant. Quid notius & solemnus, quàm *Benedictum XIV.* Summum Pontificem, sustulisse Confessariis ipso

ju-

jure quamcumque auctoritatem, & jurisdictionem ad quemcumque personam complicem in peccato turpi, atque inhonesto? Maxime cum idem Pontifex subjungat ibidem (a): *Volumus, ac præcipimus, ut omnes locorum Ordinarii... in approbatione Confessariorum Constitutionem hanc nostram ab omnibus Sacerdotibus approbandis attentè legi, & accuratè observari curent, moneantque, &c.* Ad hoc insuper, ut in errore communi cum titulo putativo suppleat Ecclesia, non sufficit bona fides, aut error in eo, qui actum ponit, imò nec sufficit in illo, circa quem ponitur; cum enim jus supponat in Ecclesia hanc providentiam publicæ utilitatis causâ, requirit errorem, non in isto, vel illo, aut aliquibus particularibus, sed in Communitate. In hac verò quomodò potest inveniri communiter præfatus error post præsentis Decreti promulgationem in omnibus Dioecesum locis?

624 Neque doctrina ea, quam utinam nescire licuisset, de absolute indirectione reservationum, suffragium præstat. Præsens namque prohibitio, tamen in aliquo conveniat cum reservatione poenali, in

multis tamen differt. Reservatorum lex restricta est per Tridentinum *ad atrociora quadam, & graviora crimina*: istæ verò est universalis ad quodcumque peccatum mortale contra sextum præceptum Decalogi commissum; aliter non esset absoluta, & complectens tactus, aspectus, & complexus lascivos, etiam ex illis profecta pollutione; sed limitata ad peccata sodomix tantum, quæ inter peccata, quæ in materia luxuriæ potuit Confessarius perpetrare unâ cum poenitentis capacibus; atrociora sunt, atque graviora. In ea deinde connexa sunt privatio Jurisdictionis, atque inhibitio audiendi confessionem complicis ejusmodi. Demùm peccatum illud turpe, non solum à Superiori, sed à quolibet Confessario, dempto unice complice, absolvi potest; hocque semel sic absoluto legitime ac directè, iste rursus sui complicis poenitentis confessiones excipere valet, eumque à cæteris peccatis absolvere: quin etiam ejusdem generalem confessionem audire, atque absolvere ab omnibus peccatis, eo quòd turpe illud est tunc materia dumtaxat voluntaria. Ar-

ta-

(a) §. 6.

tali peccato solum remisso per contritionem, vel indirectè absoluto, quia est tamen alterius confessionis materia necessaria, non valet absolvi à Confessario complice.

625 Quin etiam, secus facere ausus, majoris quoque poenam excommunicationis, uni Summo Pontifici reservata absolute, incurreret ipso facto. Et tamèn sub ipsa excommunicatione pertinax perseverans, jurisdictionem habet ad complicem (jam ritè alteri confessum, ab eoque absolutum directè à peccato illo turpi) absolvendum ab aliis peccatis, ut dicebamus. Ecce nisi propter differentiam privationis, quæ oritur à censura, & quæ à præsentì procedit Constitutione. Confessarius excommunicatus, sed communiter occultus, sive toleratus, non est jurisdictione orbatus, Ecclesiâ ob vitanda scandala permittente fidelibus communicationem omnem cum excommunicatis, exceptis denunciatis, ac notoriis Clericorum percussoribus. E contra verò, eadem Ecclesia tam severè in eum complicem animadvertit, ut ipsum spoliaret autoritate omni, ac jurisdictione ad sacra-

mentalem confessionem & absoluteionem impudici sui socii.

626 Notandum 3. in præfata censura reservatione Pontificem nullibi meminisse, ne generaliter quidem, aut implicite, derogationis facultatum Jubæi universalis, Bullæ Cruciatæ, & hujus generis Indulgentiarum, uti facile posset facere, ac deberet, si voluisset iis derogare quantum ad illius absoluteionem: Quod ergo lex non dicit, non est ab homine præsumendum. Quare tametsi laudatorum privilegiorum derogatio implicita præcedat, explicitaque sequatur censura reservationem intermediam, istam non tangit, quasi extendens se ipsam extra fines suos, quos Conditor, sive Legislator semper posuit absoluteionem sacramentalem dicti complicis, numquam vero absolventis poenam. Sic edixit ipsemet indicando facultatum limitationes in Jubæo anni sancti 1750. (a) *Primò itaque meminervit (Pœnitentiarum, ac Confessarii) nulli penitus Confessario dari in præsentì Jubæo, aut in quovis alio, facultatem absolventi complicem in quolibet inbonesto contra sextum Præceptum peccato; atque omnem Confessarium*

vi illius potest, absolvi.

§. III.

627 **N**otandum 4. laudatum Pontificem edixisse, ac declarasse posteriori Constitutione, *Apostolici muneris. Imprimis, quemadmodum priori Constitutione, Sacramentum Pœnitentiæ, Sacerdotibus interdictum non esse in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa ritè contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii manus obire possit; ita interdicti re ipsa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi fortè iste alius simplex tantummodò Sacerdos fuerit, sive aliàs ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex confessionem excipere, ac absoluteionem impertire. Deinde, si casus urgentis qualitas, & concurrentes circumstantiæ, que vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutæ in dicto*

ar-

(a) In Bulla *Convocatis* XX. n. 23. tom. 3. sui Bullar. p. 92. edit. rom. 1754.

(a) Ibi in Bulla *XXVII. Benedictus Deus* §. 5. pag. 153.

articulo personæ confessionem vocari, aut accedere *sine gravi aliqua exorbitata infamia, vel scandalo nequeat* (idem esto iudicium de adstante, sed omnino renuente) tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret, ac proinde *in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri.*

Præterea, complicem ejusmodi Sacerdotem fore re ipsa reum *gravis* adversus priorem Constitutionem *inobedientis*, latisque in ea pœnis obnoxium, *si prædicta infamiae, aut scandalali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt*: Imò *teneri se graviter*, hujusmodi pericula quantum in se erit *antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis*, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis absque illius infamia vel scandalo audiendæ.

Denique, quodsi idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla *gravi necessitate* compulsus ingesserit, aut ubi infamiae, vel scandalali periculum rimeretur, & alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum

congrua media adhibere *de industria* neglexerit, atque ita personæ in dicto crimine complicitis, eoque in articulo constitutæ Sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, *nulla necessaria causa cogente, præsumperit*; quamvis hujusmodi absolutio *valida* futura sit, dummodò ex parte pœnitentis dispositiones requisitæ non defuerint, nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet, *non obstantibus omnibus, & singulis illis*, quæ in priorî Constitutione voluit ipse Pontifex non obstare. Quia licet per hanc declarationem conferatur Confessario jurisdictionis ad absolvendum complicem suum illum in articulo mortis, ideòque valida sit absolutio: attamen illi prohibetur sub eadem excommunicatione talis absolutio, nisi cum circumstantiis in laudata Declaratione expressis. Et ideò rursus derogat privilegiis Bullæ Cruciatæ, Jubilæi plenissimi, & similium, non quoad valorem absolutionis in præfato casu, sed quoad ejus licitudinem, nè Confessarius ille judicaret, licitam

si-

sibi esse absolutionem eam vi Privilegiorum illorum.

628 Hinc colligas 1. Quinquies excommunicari Confessarium. 1. Semper & quando complicem præfatum absolvit extra mortis articulum 2. Quando in mortis articulo sese intromittit ad absolvendum eum sine necessitate. 3. Dum fingit, sequendam esse infamiam, scandalumve, si complicem ipse non absolvat. 4. Cum ejusmodi pericula non prævenit, non adhibendo media opportuna, præparandoque, ut pœnitens complex alium capeffat Confessarium. 5. Et ubicumque adstante alio Sacerdote Confessario, vel simplici, ipse se ingerit ad id muneris. Quibus in Casibus, etsi absolutio sit aliquando valida, Confessarius complex censuram excommunicationis majoris, soli Pontifici referatam, ipso jure incurrit.

629 Colliges 2. Quæ dicta sunt de articulo mortis, intelligi haud posse de periculo. *Articulus* quippè mortis, & *periculum* diversimodè significant, atque sonant quid moraliter distinctum. Sanè diluviali novissimo die quadragesimo, urgentissimè tandem imminebat finis univæ car-

nis; nec tamen Noëmus ingressus est arcam, nisi *in articulo diei illius, & factum est diluvium*. Nec pro eodem unquam promiscuè accipiunt Canonistæ mortis articulum, & periculum, nisi vel ubi jura disjunctivè loquuntur de utroque, v. g. *propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum*; vel si de alterutro, semper cum addito diminvente; aut augente, v. g. *mortis urgente periculo, seu timore*: Quodsi alicubi nudè, ac absque illo fortè appareat, eò indutus apertè introspectitur ex contextu. E contra est in præsentî: Ubi non inducitur articulus mortis nudè, & utcumque, sed in strictiori significatione, *casum extremæ necessitatis* explicante, hæc non sine causa verbis adjectis, *nimirum in ipsius mortis articulo*. Extrema verò necessitas tam in spiritualibus, quam temporalibus versatur; at moraliter diverso mortis, sive spiritualis, sive corporalis periculo, ac in gravi necessitate; quæ proinde nec nominetur, nec sit, nisi abusivè, mortis articulus. Porrò & anima, & corpore contingit aliquem perire ex gravi necessitate, quæ


in-

interdum inducit extremam; nec tamen ei permissum est furari, aut à simplici Sacerdote quolibet absolvi sacramentaliter, antequàm perveniat ad extremam, quæ est periculum morti proximius. Aliundè in præsentì casu complicitis, supponitur defectus Confessarii, tuncque idcirco non urget præceptum confessionis, ob cujus observantiam extendatur jurisdictio, vel privilegium. Si verò timea-

tur infamia, seu scandalum, facilè vitabitur, largiendo, & induendo benedictionem pro absolutione, atque communicando, si opus est, post conatus tamen ad contritionem; eo quòd tunc neque habeat copiam confessarii, neque aliter curam haberet de bono nomine, ad quam adstringitur ratione præcepti naturalis, divinique. Ac de tractatione nostra tantum.

Gloria, Laus, & Honor Deo sit;
 Proximo utilitas,
 Justi propè mater, & æqui,
 Fiat fiat.

RE-



REGALES VINDICIÆ.

AUTOS ACORDADOS
 del Consejo Real, y Supremo
 de su Magestad Catholica.

REGII, ATQUE SUPREMI
 Majestatis Catholicae
 Senatus Consulta.

Carta al Autor.

Epistola ad Authorem.

POR EL REY.

PRO REGE.

Al P. Fr. Luis Vicente Mas de
 Casavalls, del Orden de Predi-
 cadores, Cathedratico de Prima
 de S. Thomàs de Valencia.

P. Fr. Ludovico Vincentio Maso
 de Casavallibus, Ord. Præd. Pro-
 fessori Primario S. Thomæ, Va-
 lentia.

EN el Consejo se ha visto
 con todo examen, y cui-
 dado el Libro escrito por V.R.
 intitulado: INCOMMODA PROBABI-
 LISMI, impugnando entre otras

SUmmo adhibito studio, &
 maxima sollicitudine discuf-
 sus apud Concilium est Liber, cui
 titulus: INCOMMODA PROBABI-
 LISMI, à V.R. in lucem editus; in

la

pp

qua

la doctrina Regicidia, y Tyrannicidia, y habiendo reconocido, que se halla impreso con todas las licencias, y solemnidades prevenidas por las Leyes, y Autos Acordados, ha resuelto con inteligencia de lo expuesto en el asunto por los Señores Fiscales, que corra su venta, y que Yo manifeste à V. R. lo recomendable; que le ha sido su fidelidad, y zelo, en haver dado à la impresion una obra tan util, y precisa para defraudar, y prevenir à los incautos contra unas doctrinas, que están estampadas, y se leen en unos libros, que hasta aora han andado en las manos de todos. De que queda el Consejo muy satisfecho.

Y de su orden lo participo à V. R. para su inteligencia, y de su recibo me dará aviso, para ponerlo en su noticia.

Dios guarde à V. R. muchos años. Madrid, y Mayo 15. de 1767.

D. Juan de Peñuelas.

quo Regicidianam, & Tyrannicidianam inter alias, doctrinam oppugnat. Et cum reperiretur excussus cum omnibus licentiis, & facultatibus à Jure requisitis, habita ratione expositi super hac re à Dominis Fiscalibus, decretum est, ut nullus libri ejusdem venditioni obstat; atque ut ego V. R. significem QUAM COMMENDABILIS IPSIMET FUERIT SUA FIDELITAS, ET ZELUS in eo, quod typis mandaverit TAM UTILE OPUS, ET NECESSARIUM ad viros incautos cautiore reddendos, simul & preveniendos adversum doctrinas quasdam, quæ prelo commissa, lectioni sunt obnoxia nonnullis in libris, qui omnium usque modò manibus evoluti sunt. Qua de re cumulatissimè satisfactum remanet Concilium.

Atque ex suo jussu V. R. id annuntio, ut certior sit; cujus receptionem mihi significabit, ut eidem notum faciam. Valeat V. R. per multos annos. Mantue Carpentanorum, Idibus Martii M.CCLXVII.

D. Joannes de Peñuelas.

EN-

EN-

ENCYCLICA A LAS UNIVERSIDADES literarias.

ENCYCLICA AD ACADEMIAS.

POR EL REY.

PRO REGE.

Al Rector, y Claustro de la Universidad de, &c.

Rectori, & Claustro Universitatis, &c.

EL P. Fr. Luis Vicente Mas de Casavalls, del Orden de Predicadores, Cathedratico de Prima de Sto. Thomàs en la Universidad de Valencia, imprimiò en aquella Ciudad con las licencias necesarias un libro intitulado: INCOMMODO PROBABILISMI, impugnando entre otras, la doctrina del REGICIDIO, y TYRANICIDIO. Esta obra se denunciò al Consejo, por quien se diò providencia para recoger el Original, y un exemplar impreso de el, à efecto de reconocerle, y ver si era conducente su curso, y venta. Y habiendose executado con el examen, y cuidado, que pide su importante asunto, se encuentra, que se halla impresa con todas las licencias, y solemnidades prevenidas por las Leyes, y Autos Acordados, y que en descubrir, è impugnar el Autor este error, declarado por tal en la Sesion 15. del Concilio de Constancia, celebrado en el

P. Fr. Ludovicus Vincentius Masius de Casavallibus, Ord. Præd. in Valentina Academia Primarius Moderator Cathedralæ S. Thomæ, typographia illa in Urbe cum licentiis necessariis commisit librum sub inscriptione: INCOMMODO PROBABILISMI, alias inter, de Regicidio, & Tyrannicidio doctrinam insectans. Hoc opus denunciatum est Concilio, à quo providum exiit Edictum, ut Autographum unà cum exemplari impresso colligeretur recognoscendi gratia, atque indagandi, expediret necne illius usus, & venditio. Et cum sit id peractum maturo illo examine, ac diligentia, quam ejusdem exigit non parvi momenti argumentum; liquet, quod reperitur excussus præviis omnibus facultatibus, ac solemnitatibus, quas Jura æquæ, ac Concilii Decreta præveniunt; & quod Autor in detegendo, ac impugnando errorem hunc, damnatum uti talem in Sess. 15. Synodi Constantiensis, anno 1415, celebrata,

año

Pp 2

1127

año de 1415. se ha manifestado digno hijo de la esclarecida Orden de Predicadores, y en su inteligencia teniendo presente lo expuesto por los Señores Fiscales: ha resuelto el Consejo, que corra la venta, y despacho de dicho libro: y para extirpar de raíz la perniciosa semilla de la referida doctrina de Regicidio, y Tyranicidio, que se halla estampada, y se lee en tantos Autores, por ser destructiva de el Estado, y de la pública tranquilidad; ha resuelto así mismo el Consejo, que los Graduados, Cathedráticos, y Maestros de las Universidades, y Estudios de estos Reynos hagan juramento al ingreso en sus Oficios, y Grados de hacer observar, y enseñar la doctrina contenida en la referida Sessão 15. del Concilio de Constancia, y que en su consecuencia no irán ni enseñarán, ni aun con título de Probabilidad la del Regicidio, y Tyranicidio, contra las legítimas Potestades.

Participolo à V. S. de Acuerdo del Consejo, &c. uti supra.

omnium oculis sese exhibuit DIGNUM FILIUM INCLYTI ORDINIS PRÆDICATORUM. Atque his omnibus mentis acie perceptis, ob oculos habens Concilium quidquid à DD. Regalis Fiscii Procuratoribus fuit expositum; statuit, ne quis præfati libri cursui, & venditioni obicem ponat ullum. Et ut memoratæ doctrinæ de Regicidio, ac Tyranicidio perniciosum seminum, quod in agro litterario tot apud Authores invenitur præli excutione satum, radicitus evellatur, utpotè in Status, ac publicæ quietis perniciem vergens; statuit pariter Concilium, quod Graduati, Cathedratici, & Magistri Universitatum, Studiorumque horum Regnorum in ingressu ad sua, & officia, & graduum insignia jurejurando se astringant procurandi observantiam, & docendi doctrinam in prædicta Sess. 15. Synodi Constantiensis contentam; consequenterque, quod neque pergent, neque docebunt, adhuc sub titulo Probabilitatis, illam de Regicidio, & Tyranicidio, contra legítimas Potestates.

Ad cujus intelligentiam id V. D. perspectum facio ex deliberatione Concilii, &c. uti supra.

Real

Pro-

Provisión Acordada.

Provisio Consistorialis.

DON Carlos, por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Jerusalem, de Navarra, de Granada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorca, de Sevilla, de Cerdeña, de Cordoba, de Corcega, de Murcia, de Jaën, Señor de Vizcaya, y de Molina, &c. Por quanto habiendose denunciado al nuestro Consejo la Obra, que Fr. Luis Vicente Mas de Casavalls, del Orden de Predicadores, Catedrático de Prima de Santo Thomàs en la Universidad de Valencia, imprimió en aquella Ciudad con las licencias necesarias, intitulada INCOMMODO PROBABILISMI; impugnando entre otras la Doctrina del REGICIDIO y TYRANICIDIO; se dió providencia para recoger el original, y un egemplar impreso de el, à efecto de reconocerle, y ver si era conducente su curso y venta: Y egecutado así, se examinó con el cuidado, que pedia su importante asunto, y se reconoció hallarse impresa con las licencias y solemnidades prevenidas por las Leyes, y Autos Acordados, y que en descubrir

el

DON Carolus, Dei gratiâ, Rex Castellæ, Legionis, Aragoniæ, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiniæ, Gallitiæ, Majoricarum, Hispalis, Sardinia, Cordubæ, Corsicæ, Murciæ, Giennii; Dominus Cantabriæ, atque Molinæ, &c. Quoniam cum ad nostrum Concilium delatum esset Opus, quod Fr. Ludovicus Vincentius Mas de Casavalls, Ord. Præd. in Academia Valentina Cathedræ S. Thomæ Moderator Primarius, typis in illa Urbe cum licentiis necessariis commisit sub præfixo titulo: INCOMMODO PROBABILISMI, impugnans doctrinam, inter alias de REGICIDIO, & TYRANICIDIO; provissum fuit, ut colligeretur Autographum cum uno exemplari impresso, ad effectum recognoscendi illud, ac decernendi, utrum foret expediens communis ejus usus, & venditio: Et his peractis, discussum est opus ea sollicitudine, quam exigit non levis momenti propositum illius, repertumque est excessum cum licentiis, ac solemnitatibus per Leges, & Concilii Consulta præventis, necnon quod Author in detegendo

Pp 3.

hunc

el Autor este error, declarado por tal en la Sesion 15. del Concilio general de Constancia, celebrado en el año de 1415. se ha manifestado digno hijo de la esclarecida Orden de Predicadores: En cuya inteligencia, teniendo presente lo expuesto en el asunto por los nuestros Fiscales, por Auto proveído en once de este mes por los de nuestro Consejo, deseando extirpar de raíz la perniciosa semilla de la referida Doctrina del REGICIDIO y TYRANICIDIO, que se halla estampada, y se lee en tantos Autores, por ser destructiva del Estado, y de la pública tranquilidad, fuimos servido mandar: Que corriese la venta y despacho de dicha Obra: Que los Graduados Catedráticos, y Maestros de las Universidades, y Estudios de estos Reynos hagan juramento al ingreso en sus Oficios y Grados, de hacer observar y enseñar la Doctrina contenida en la referida Sesion quince del Concilio de Constancia: Y que en su consecuencia no irán, ni enseñarán, ni aun con titulo de probabilidad, la del REGICIDIO y TYRANICIDIO contra las legítimas Potestades. Esta resolución se comu-

hunc errorem, pro tali declaratum in Sess. 15. Generalis Synodi Constant. ann. 1415. celebrata, exhibuit se DIGNUM FILIUM PRÆCLARI ORDINIS PRÆDICATORUM. Quibus intellectis, præ oculis habens id, quod exposuerunt in proposito nostri Fiscii Procuratores; per Decretum à nostris Conciliaris latum die 11. hujus mensis, cupientes perniciosum semen doctrina supradicta de REGICIDIO, & TYRANICIDIO, que invenitur evulgata, & legitur tot apud Authores, radicitus extirpare tamquam Status, publicaque tranquillitatis destructivam, placuit nobis precipere, quòd Laureati, Cathedralitici, atque Magistri Academiarum, Studiorumque horum Regnorum in ingressu ad sua munia, & Gradus, jusjurandum emittant procurandi observantiam, & docendi doctrinam contentam in laudata Sess. 15. Synodi Constant. atque adeò non eundi, neque docendi, NE SUB TITULO QUIDEM PROBABILITATIS, illam de REGICIDIO, & TYRANICIDIO, contra legítimas Potestates. Hujus deliberationis certiores facta sunt Regni Academia: & cum nostri Fiscales postulassent, ut pariter nota

minicò à las Universidades del Reyno: y habiendo pedido los nuestros Fiscales se executasse lo mismo con los Prelados Eclesiasticos por lo tocante à los Seminarios, con los Superiores de las Ordenes por sus Estudios interiores, y con las Justicias por los Estudios de su provision, respecto de militar igual razon para que tan saludable providencia tenga general observancia, lo hemos tenido por bien, y se acordò por Decreto de 22. de este mes expedir la presente: Por la qual encargamos à los M. RR. Arzobispos, RR. Obispos, Priors de las Ordenes, Deanes, y Cabildos de las Iglesias Metropolitanas, y Catedrales en Sede-vacante, Visitadores, Provvisores, y Vicarios, y à los Superiores de todas las Ordenes Regulares, Mendicantes, y Monacales, y demàs Prelados, y Jueces Eclesiasticos de estos nuestros Reynos, observen la expresada resolución tomada por el nuestro Consejo en Auto de once de este mes, y concurrán por su parte à que la tenga efectivamente en todas las que contiene, sin permitir con ningun pretexto su falta de cumplimiento, por convenir así à nuestro Real servicio. Y mandamos à los Presiden-

ta fieret Prælati Eclesiasticis respectu ad Seminaria, Superioribus Religionum respectu ad eorum domestica Studia, & Justitiis respectu ad Studia provisionis ipsorum, eo quòd æqualis militet ratio; ut Providentia tam salutaris sortiatur generalem observantiam, ratum habuimus, stabilitumque fuit die 22. Mensis hujus, ut præsentis litteræ expedirentur: per quas injungimus RR. A. Archiepiscopis, RR. Episcopis, Prioribus Ordinum, Decanis, & Capitulis Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, Sede-vacante, Visitoribus, Provvisoribus, & Vicariis, necnon Superioribus omnium Ordinum Regularium, sive Mendicantium, sive Monachalium, ceterisque Prælati, Judicibus Eclesiasticis horum Regnorum nostrorum, ut servent supradictam resolutionem à nostro Concilio profectam die 11. istius Mensis, concurrantque pro sua virili ad illius custodiam effective in omnibus, quas continet partibus, quin ullius adimpletionis defectum permittant ullo pretextu, nam sic expedit nostro Regali servitio. Et jubemus Præsidiis, ac Auditoribus nostrarum Cancellariarum, Curiarumque, Assistenti, Prætoribus, atque ceteris Judicibus, ac Justitiis isto-

dentes y Oidores de nuestras Chancillerías, y Audiencias, Asistente, Corregidores, y demás Jueces, y Justicias de estos nuestros Reynos, guarden, cumplan, y egecuten así mismo la citada resolución en sus respectivos Partidos, Distritos, y Jurisdicciones, sin contravenirla, ni consentir en manera alguna su inobservancia; antes bien para su entero cumplimiento, darán, y harán se den las providencias que se requieran. Que así es nuestra voluntad; y que al traslado impreso de esta nuestra Carta, firmado de D. Juan de Peñuelas, nuestro Escribano de Camara, y de Gobierno por lo tocante à los Reynos de la Corona de Aragón, se le de la misma fé, y credito, que à su original. Dada en Madrid à 23. de Mayo de 1767. = El Conde de Aranda. D. Andrés de Maravèr. D. Jacinto de Tudò. D. Joseph Manuel Dominguez. D. Pedro de Leon y Escandòn.

Yo D. Juan de Peñuelas, Escribano de Camara de el Rey nuestro Señor, la hice escribir por su mandado, con acuerdo de los de su Consejo.

Registrada. D. Nicolàs Verdugo, Teniente de Chanciller Mayor: D. Nicolàs Verdugo.

Es Copia de su Original, de que certifico. = D. Juan de Peñuelas.

rum nostrorum Regnorum, ut servent, impleant, ac similiter exequantur citatam resolutionem in suis respective tractibus, territorii, & Jurisdictionibus, quin contraveniatur, aut aliquomodo consentiant ejus inobservantiam, imo potius ad ejusdem integram adimplerionem prestabunt, facientque prestari cautiones, que sint requisita. Ita enim est nostra voluntas; necnon quòd apographo impresso harum litterarum nostrarum, subscripti à D. Joanne de Peñuelas, nostro Scriba Camera, ac Gubernii prospectantibus ad Regna Coronæ Aragonum, adhibeatur fides eadem, ac autographo. Dat. Matriti die 23. Maii 1767. = Comes de Aranda. D. Andreas de Maraver. D. Hyacinthus de Tudò. D. Joseph Emmanuel Dominguez. D. Petrus de Leon & Scandòn.

Ego Don Joannes de Peñuelas, Scriba Camera Regis Domini nostri, feci de suo mandato, ut scriberentur, cum consensu Conciliariorum illius.

Registrata. Don Nicolaus Verdugo, locum tenens Cancellarii Majoris: Don Nicolaus Verdugo.

Exemplum sunt sui Archetypi; de quo fidem facio. = D. Joannes de Peñuelas.

GRA-

GRATIARUM ACTIO

AUCTORIS,

EIDEM REGIO ATQUE SUPREMO HISPANIÆ CONCILIO.

CUpio tibi (POTENTISSIME DOMINE) palam grati signa rependere animi. Amato rem Justitiæ, ac æquitatis, Recti diligunt TE. Assertorem veritatis, vel majoris verosimilitudinis TE collaudant veri Judices. TE antiquæ Hispanis fidei, & disciplinæ, victoriæ, atque honoris, prosperitatis, & pacis zelotem, conditorem, instauratorem, propagatorem mirantur Pugiles fidei, Æthicesque Christianæ, atque sinceri rerum æstimatores universi, gloriantur in laude TUA. Sit hæc plena, & semper in ore meo: nec laudare tamen sufficiam, quòd rerum fatò prudentiâ majori humiliaveris calumniantes me superbos, mendaces in stateris.

In eorum Concilium (Imperiale vocitabant) venit meus INCOMMODA PROBABILISMI, post tot discrimina rerum Hispanarum superata felicius, quàm vafre procurata. Alium se esse simulantes, convenerunt in unum. Et induti, quibus

bus non erant digni, vestimenta Ovium, atque Senatorum (ut deciperent ipsi de hypocrisis, & vanitate in idipsum) ; apud CELSITUDINEM TUAM exoptulavere, sic orsi ab alto : *Pereat hujuscemodi libelli memoria cum sonitu, quia furtivè editus; potissimum, quia TYRANNICIDIUM adoritur, REGICIDIUMVE haëtenus inauditum in Hispania; ast nunc vel cuilibet de trivio scandalosum, cum reddatur PROBABILE propter Defensorum ejusdem, quos citat, auctoritatem magnam. Verbo: Quia contrarius est operibus, & machinationibus nostris.*

Ne verò clamoribus prædamnatus, inauditus condemnaretur (peregrinum opus ALTITUDINIS TUÆ, alienum quàm quod maximè) iustificasti, ut Regenti regium forum Valentini Regni traderem autographum unà cum exemplari typis edito, ad TE transferendum. Parui, ut par erat. Sed conferens in corde meo, veritati testimonium perhibente ipsa Scribæ Camerensis signatura, & subscriptione, rem tacitus considerabam. Verùm quid hic moror? *Heus tu (dixi) decolorate liber, liberè in Regiam vade iussus; Dominas impiger ito vias; unde rubricatus, illuc regredere; prosperum enim iter faciet tibi Deus Luridis Viris sanguinum, & dolosis DOCTRINÆ SANÆ Ossoribus (qui æquo pulfant pede pauperum tabernas, Regumque turres, ut saturentur sanguine, sanguinem tangente, ni domi-*

minentur eorum) *exterus es, forsanque times: sed obe, tu pelle timorem. Nulla adest timendi causa; siquidem magna nimis est Jubentis tutela, summaque super omnem gloriam protectio, quæ clypei instar caelestis spicula trudere Momorum sola potest. Gens inimica mihi lingua quit latrare invida; sed dente canino tua mordere folia, quibus codex alter tutior esse nequit, nequaquam valebit.*

Firmavi omen, ubi remissam ad peritissimos æque ac juxta eruditissimos Regii Fiscii Patronos accusationem rescivi. Unde & quievi quasi de salute certus, & victoria. *In hoc signo vinces (inquebam) atque triumphabis de adversantibus tibi sine causa.* Hoc mansit altâ mente repostum iudicium ex præmissis altero ejusmodi: viros de Republica literaria, & politica palmam promeritos minimè præterit (utinam nescire licuisset!) *Molinas, Suarrios, Valentias, Sas, Marianas, Dicastillos, Escobarios, Salas, ejusdemque alios furfuris, Hispanos fuisse, refractarios tamen Constanstiensis Synodo edifferenti: Homicidii reos esse, qui Tyrannum quemlibet privata auctoritate occidunt, Parricidas insuper, se vasalli sint illius, sive subditi: cum tamen debuissent (quin exirent à finibus suis) à Toletanis IV. can. 75. V. can. 4. 5. ac 7. VI. can. 11. 12. & 18. VII. can. 1. X. can. 2. XII. can. 1. XVI. can. 9. jam pri-*

premis, ac Regibus debitam ab eorum subditis, ac juramenti ipsis præstiti vinculum, necnon scelus Subditorum in ipsos conjurantium, censuris Ecclesiasticis coercendum, & vindicandum. Quòd si tantorum Patrum verba filuissent, aliorum etiam ejusdem gentis Scriptorum occursum errorem suffundere ipsorum; imò vel *L.IX. fori JUDICUM in prol.* quam nemo quantumvis rusticola, finitur ignorare, nisi Decalogi expers: In Hispania proinde operosius præcavente à Tyrannicidio Regicidioque, non hoc, sed illud dumtaxat inauditum, Doctorum videlicet Catholicum Errones aliunde vel Catholicos adduxisse, ut præcaveantur; in quampiam, etiam tenuissimam inducere probabilitatem posse id, in quo turpiter errasse innotescit per Ecclesiam; nisi fortè reapse tollantur à sectariis in altum apud vulgus imperitum, lapsuque graviori ruant cum Antambulombus suis.

Auditis itaque audiendis, libratisque spectandis, à Sede Magnitudinis TUÆ ceciderunt causâ, tamquam meditati inania, locuti falsa, & comprehensivi in laqueo, quem statuerant mihi. TUUM itaque Judicium sedit; & appensi in statera, inventi sunt minus habentes, Ego autem ad pondus Sanctuarii in Theologica Trutina, ceu TECUM simpliciter ambulans cum consensu in ditione Regis nostri. Quapropter commendasti meam & FIDE-

LITATEM, & ZELUM in adornando opere, adeo UTILI, ac NECESSARIO ad dandam scientiam salutis incautis, atque prodente DIGNUM FILIUM PRÆCLARI ORDINIS PRÆDicatorum. Gratias TIBI ò singulare Præsidium! Gratias TIBI dulce decus meum.

Oraculum tuum ex parte impletum est; Ordo quippè Prædicatorum constanti pectore pro REGE, ac LEGE adversus impios Sanguinarios murum se validum opposuit. Nec aliter facere, & docere potuit ORDO VERITATIS; neque aliud discere ab incomparabili suo Magistro *Doctore Angelico*, & ab *Augustino*, ac cæteris Patribus, quorum germanam mentem circa fidem, & mores ille DIVINÆ VOLUNTATIS INTERPRES divino ingenio, & admiranda claritate explanavit, in methodumque redegit. Ita nos amantissimè monet N. Provincialis Aragoniæ P. M. Fr. *Antonius Garcès* litteris suis encyclicis, eruditione refertis de more, dat. Cæsaraug. die 20. Junii 1767. Oraculum ergo hac ex parte completum est. Eritne quoque sincerum quoad reliqua homini atavis ita edito Regibus, sive præclare nato necessaria? O! utinam sic Deus adjuvet infirmitatem meam; sed eò revertamur unde processit oratio.

Nescio quo afflatus numine, sacro ut è suggestu delinirem dolorem Academiae Valentinae in obitu

D. FERDINANDI VI. (cujus memoria cum laudibus) doctrinæ lucidæ illud depromerem: *Regnabit Rex, & sapiens erit*; quod regnaturus post eum veniret nobis in nomine Domini dilectus sibi Frater CAROLUS Augustissimus, qui III. nomine intendit modò, prosperè procedit, & regnat propter veritatem, mansuetudinem, & Justitiam. Utinam ad multos per sæcula annos! Profectò major est sapientia sua, quam rumor, quem audieramus per omnium ora volitantem. Hanc amavit, & exquisivit à pueritia sua. Quæsit, & invenit cor docile, ad sedium divinarum assitricem Sapientiam natum, mel, & lac sub lingua ad mali reprobationem, electionemque boni. Mirabilis facta est scientia sua (cæteris prætermisis dotibus præclarissimis) ex discretione animorum, quâ Ministros suos fecerit, selegeritque Viros, rerum Sagi, rerum Togæ egregiè peritos, uti Martis, & Minervæ illustrissimos alumnos. Quibus juxta propositum voluntatis suæ manentibus (quasi fido CHUSAI in tumultuante Hierosolyma) in ordine sive assistentium, sive administrantium; infatuavit Dominus Deus consilia mala ACHITOPHELORUM: & ecce regnat Rex, cui nomen: *Pax Justitiæ, & honor pietatis*; atque *Sapiens est*, cum omnia ei sapiant prout sunt.

Gaude igitur nimis felix Hispania tanti & Re-

gis,

gis, & *Sapientis* dotata gloria, quæ toti dat mundo gaudia. Sed TU, cujus sublimitatem uno tantum Regni folio præcedere voluit, magis plaude; namque sapientiosem, & consimilem TUI invenire non potuisset: cui subinde Omnes Hispani, omnia disponenti suaviter, proclamant: *Salus nostra in manu tua est; respiciat nos tantum Dominus noster, & læti serviemus REGI*. Ad præsens verò quod attinet propius, en ego TIBI Justi, & æqui Vindici, sisto me sub potenti manu TUA, Librumque, quem illæsum abire fecisti, in perenne gratitudinis meæ monumentum & pignus reddo TIBI ovantem, quod præterea gloria, & honore coronasti eum secundum multitudinem Magnitudinis TUÆ.

Verum quia inveni gratiam in oculis TUIS, qui vident æquitates; mihi addas, supplex enixè oro, gratiam super gratiam. Unam petii à Domino Papa in dedicatione Libri, & hanc requiram à TE geminatam. Nimirum, ut suggeras D. N. Regi, adaugeat nobis libellum supplicem Præfulum Hispaniæ ad Sedem Apostolicam pro expressa, & formali damnatione Probabilissimi, ab omnibus, minutis Probabilistis, diu expectata, & jam ipsius Summi Pontificis SANIORES MORUM REGULAS concupiscenti animo præparata. Exaudietur utique pro sua Reverentia. Ju-

beat

beat itidem, ne Hispanus ullus domi interim, vel foras, publicè, vel privatim Probabilissimum unquam docere audeat. Quod & suus Proavus Magnus LUDOVICUS XIV. Synodi Diœcesanæ, ac nonnullæ Provinciales, plures Academiae, Prælati, atque Religiosi cœtus ferè omnes fecerunt. Et ecce quam exoptat, Ditionum suarum reformatio tota.

Faxit Deus O. M. per quem Reges regnant, & Legum Conditores justa decernunt, & cujus dextera deducit Tuam Celsitudinem mirabiliter, extolletque usque in æternum. Fiat, fiat. Dabam ex hoc Regio Prædicatorum Conventu Valentino Majori ipso die omnium SS. Kalend. Novemb. anni MDCCLXVII.

AMPLISSIMIS VIRIS,
ET POTENTISSIMO ORDINI
DEVOTUS, AC DEVINCTUS

Fr. Ludovicus Vicentius Mas
de Casavalls.

IN-

INDEX NOTABILIUM.

A

- A** *Bortus*, pag. 335.
Abolutio à peccatis, p. 537. & 552.
Advertentia peccati, à p. 522. ad 528.
Accusatio injusta, à p. 382. ad 399.
Aguirre (Josephus Saenz Card. O. B.) commendat Probabiliorissimum, & nominatos viros Hispanos ejus propugnatores, Ordinem Prædicatorum, & Benedictinorum, atque testatur, Probabilistas Ven. *Innocentio XI.* imposuisse nomen Jansenistæ, eosque monet periculi. Obtestatur, abrenuntiasse Probabilismo, longo tempore à se amato, p. 77. 84. & 96.
Albertis (Albertus S. J.) ejus testimonium laudandum, in Prol. num. XXI.
Alexander VII. P. M. novos potius Casuistas, quam veteres errantes Scholasticos notat suo Decreto, pag. 23. & in Prol. n. V. Proscribit Apologiam Casuistarum. 71. Plagas imponit Probabilismo. 76. Hujus expugnaculum in-

jungit Dominicanis, & Jesuitis. 78. Idem jubet *P. Michaeli Elizalde* Jesuitæ. 80. Ab initio sui Pontificatus incipit generalis invasio Probabilissimi. Istum solemniter damnandi animus Pontificis, & zelus pro ejusdem exterminio. Effectus sui Decreti proscribentis. 45. Propositiones, pag. 78. 79. 81. & 86.
Alfarus (Joseph S. J.) Romam vocatus ad refellendum Probabilissimum, impeditur, & lamentatur de Interpretibus damnatarum Thesium, p. 100. & 125. Concinunt Episcopi Hispani, p. 130.
Amadeus Guimenius. V. *Moya.*
Amicus (Franciscus S. J.) ejus propositiones censurâ notatæ, pag. 69. 129. 338. 340. & 341. pag. 433.
Amort (Eusebius) ex aliquibus tractatibus *P. Croixii* extrahit quàmplurimas propositiones laxas. Et cur, in Prol. n. XVIII.
Antoninus (S. O. P.) vindicatus, p. 292. 415. & 534.
Antoine (Gabriel S. J.) Theologiam antiprobabilisticam edit, pergratam *Benedictio XIV.* P. M. p. 107.

Q9

Aran-

- Araujo* (Franciscus O.P.) increpatus, p. 403. utcumque excusatus, p. 423.
Armilla. V. *Fumus*.
Attentio interior ad orandum, p. 129. 478. & 487.
Attritio, p. 512.
Augustinus (Aurelius mag. P. & D.) vindicatus, p. 58. & 434.
Azor (Joannes S. J.) p. 336.

B

- Bañez* (Dominicus O. P.) vindicatus, p. 207. 280. & 399.
Baronius (Vincentius O. P.) ejus opus proscriptum, & cur, sed ab ipso correctum, rursus editum manet, p. 75.
Barbadius (B. Gregorius Card.) appositè monet Confessarios de opinionum delectu, p. 549.
Baunius (Stephanus S. J.) prohibitus, p. 66.
Benedictus XIII. (P. M. O. P.) præscribit in C. Romano probabiliora, p. 106.
Benedictus XIV. P. M. Grato animo suscipit antiprobabilissimum P. *Antoine*, quem amplecti, & doceri jubet in Collegio de Propaganda, atque præscribit omnibus Confessoribus, & Confessariis, pag. 107. Cultus Sineses damnat. 326. Commentarium *Harduini* in novum Testamentum. 159. & 243. Secundam partem *Berruyerii*. 59. Quinque propositiones P. *Stadler* de duello. 349. Nonnullas de jejunio P. *Tamburini*. 453. Atque tactus mamillares P. *Benzi*, & vindicum ejus. 419. Condit Constitutiones *Sacramentum Pœnitentiæ*, ac *Apostolici muneris* contra Confessarios sollicitantes, & Pœnitentes calumniantes. 580. Fraus Authoris indicis libri ejus de *Synodo*. 14. Coërcet Confessariorum curiositatem. 574. & privat jurisdictione ad absolvendum complicem in peccato turpi, & inhonesto, pag. 582.
Benedictini RR. PP. rejiciunt Probabilissimum, p. 77.
Beneficia Ecclesiastica. Collatio, pag. 459. Electio. 469. Obligatio, & fructus, pag. 473.
S. Bernardus laudatus in Prol. n. XXII.
Berruyer (Joseph Isaac S. J.) quibus AA. constituat in Christo duplicem filiationem divinam, pag. 59. De uno didicit *Harduino*. 158. Discrimen suæ doctrinæ ab aliis ab ipso allegatis. 156. *Harduinus* ab eo extricatus. 158.

158. Ejusdem Superiores obtestantur illius operum ignorantiam, & cur non creduntur, ibi. Turbam sodalium duodenam adducit pro nova sua filiatione. 226. Eos errando superat. 242. Eludit Decretum C. Tridentini. 244. Christum facit Filium rotius Trinitatis. 258. Ejus Propositiones. 259. ad 273. Artem calumniandi docet, pag. 399.
Berthaud (Bertius S. J.) prohibitus, p. 66.
Blancus (Andreas S. J.) adoritur Probabilissimum, p. 87.
Borgia (D. Crispinus) adfirmat, vix dari casum, in quo non sint duæ opiniones probabiles, p. 12.
Busenbaum (Hermannus S. J.) pag. 173. 217. 223. 331. 336. & pag. 389.
C
Cajetanus (Thom. de Vio Card. O. P.) vindicatus, pag. 61. 252. 298. 500. & 577.
Caduceus Theologicus, sive Crisis pacifica, prohibitus, p. 73.
Camargus (Ignatius S. J.) Probabilissimum denuntiat *Clem. XI.* P. M. asserens, omnino evellendum fore, semel avulso à sua Societate, p. 101. V. *Nuncup. & Prol.*
Caramuel (Joannes O. B. Episc.) Ultrò fatetur incommoda Probabilissimi, hujus tamen amore non pœnitet eum illorum, pag. 2. Quin id evincit dilemmate necessario. 482. Ad coelum remittit Atheos. 8. Fabulatur antiquitatem Probabilissimi. 21. Apologeticus ejus damnatus, & ejus doctrina de Legge in conflictu opinionum probabilium, pag. 76. 340. 342. 391. 415. 416. pag. 479. & 492.
Cardenas (Joannes S. J.) Authores nominat efficientes probabilitatem, pag. 25. & eludentes infallibilitatem Pontificiam. 127. Imponit *Domin. Soto*, pag. 542.
Calumnia, à p. 388.
Calumnians Confessarium, p. 581.
Candidus (Vincentius O. P.) increpatus, pag. 404. Vindicatus. 486. pag. 578.
Canus (Melchior Episc. O. P.) vindicatus, p. 528.
Carmelo (RR. Gregorius à Gen. Carm. Discal.) Evellit Probabilissimum, p. 113.
Casnedi (Carolus Antonius S. J.) recentet deprimentes infallibilitatem Pontificiam, pag. 126. Ejus doctrina. 221. 376.

Ejus parallelus, ut evincat, Molinifinum esse rigidiorum Probabilismo, pag. 420.

Casista in dubium vocant prohibitionem homicidii, pag. 8. Cum dicunt, opinionem probabilem non esse in praxi amplectendam, tantum volunt, oppositam esse magis consentaneam pietati. 16. Eorum multitudo, & jactantia. 22. Novi notantur ab *Alex. VII.* 23. Illorum Bibliotheca. 24. In laudibus suorum occupati etiam proscriptorum, proscriptionis non admonent Lectores. 52. & 53. Student unde colligant laxas opiniones. 54. Has injuriâ tribuunt gravioribus DD. 55. Qui sibi contradicunt, ad Janfenistas amandant. 56. Indigent expurgatione. 58. Non sibi vertunt Religioni tollere, aut addere ad suos AA. 59. Denuntiati à Parochis Parisiensibus & Rothomagensibus. 69. PP. Gallicani vellent obturare aures suas, ne audirent eorum laxitates. 70. De ipsis fert judicium Mabillo-nius. 202. Artes eorum. 218. 234. & 241. Abutuntur moderamine inculpatæ tutelæ. 332. Cohonestant homicidium etiam ob res obtinen-

das. 346. Licetum faciunt duellum. 348. Hæreticos videntur æmulari. 372. Edificant, & destruunt conditiones compensationis occultæ. 436. Ludunt verbis, & tunc maximè nihil dicunt, cum aliquid rectè dicere videntur, pag. 203. & 471.

Champs (Stephanus S. J.) arcet à Societate inventionem, & propagationem Probabilifimi, p. 72.

Charitas erga Deum, pag. 276. erga proximum. 286. erga se ipsum, pag. 290.

Clemens XI. P. M. Superiores Societatis certiores facit, rem sibi gratissimam facturos si præstent, ut Jesuitæ abstinant à Probabilismo. Ordinavit, reimprimi in Italia Probabiliorifimum *D. Genetti*, & dispensavit Constitutiones Carmelitarum Discalceatorum, ut typis mandaretur liber *P. Christophori à S. Joseph* contra Probabilifimum, pag. 106.

Clemens XIII. SS. D. N. feliciter regnans, Episcopus Patavinus præscribit doctrinas probabiliores sequendas. Pontifex O. M. quæ gloriosa dictæ erant de Probabilismo, & in gloria de adversario suo Probabiliorifimo, proscribit tamquam

quam respectivè *falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, quin & erronea*, ac *heresi proxima*, pag. 108. Repellit in finem à Misteriis Incarnationis, & Trinitatis, atque à Clerico negotiatore Probabilifimum. 154. & 455. Reprimit Missionarios Tunquinenfes. 327. Firmat legem jejunii pro dispensatis ad carnes, pag. 493.

Clerus Gallicanus declamat contra Probabilifimum, pag. 3. & 12. Censurâ notat scripta *PP. Milhart, Garasse, Berthaud, & Baunii.* 66. Sententiam præfationis Decreti *Alex. VII.* aperit. pag. 82.

Cliquet (Joseph Faustinus O. A.) retractat Probabilifimum, & ejus consecraria, p. 84. & 12.

Colindres (RR. Paulus) Gen. O. C. pag. 111.

Communio, p. 509.

Compensatio occulta, à p. 436.

Complex in peccato turpi, a p. 582.

Concilium supremum Hispaniæ, laudat librum & Authorem à pag. 593.

Concina (Daniel O. P.) vindicatus, p. 364.

Confessarius, pag. 150. & 513. Ejus scientia. 548. Jurisdictio, pag. 551. & 555.

Confessio fidei, pag. 213. Proprii iceleris. 215. Sacramentalis, à pag. 518. ad 522.

Concubinarium, p. 574.

Consuetudinarius, p. 563.

Conscientia. Modus eam formandi notus naturaliter, p. 48.

Constitutiones S. J. p. 65. & 104. V. *Procl. & Nuncup.*

Contritio, p. 511.

Controversia Esclapesium inter, & Aquilam Hispanos, p. 67.

Croix (Claudius S. J.) ejus doctrina, pag. 8. 9. 10. 16. 18. 26. Opus ejus historia opinionum probabilium. 30. Quid sit opinio probabiliter tantum probabilis. 39. Conficit dictamen probabilisticum reflexum, ibid. Fatur, esse quandoque imprudens. 49. & 50. Conatur se tegere pallio *D. Thomæ*, 51. De Judice falso decernit. 51. & 146. Docet Prop. 27. damnatam ab *Alex. VII.* 153. Non sibi constat. 162. Usum facit licitum matrimonii sub probabilitate nullitatis, & valoris illius. 163. Injuriosus *D. Thomæ.* 166. Pro absolutione à mortalibus non requirit propositum cavendi omnia. 163. Inexcusabilis est à damnatione 3. Prop. *Innoc. XI.* 169. Ag-

noscit pro tuta morum regula opinionem probabiliter probabilem. 170. Dubia legalia resolvit pro libertate, 186. Absolvit à tributis, & pœnis legalibus. 166. & 193. Audet, & dicit, famulum hominis teneri majorem adhibere diligentiam, ne tuo Domino inferat damnum, etiam materiale, quàm Servus Dei peccatum materiale ut caveat. 286. & 288. Non exigit moralem certitudinem ad jurandum. 317. Laxa tradit de intentione mortis alienæ directa. 330. De reo occidente satellites, & negante crimen. 335. 378. & 390. Mulieris turpiter oppressæ silentium non refell. 412. Parvitatem materiæ in genere luxuriæ relinquit arbitrio Lectorum. 417. Eludit damnationem Prop. 36. *Innoc. XI.* 429. Favet compensationibus occultis. 438. 440. & 443. Et negotiationi Clericorum cum injuria *D. Thomæ.* 454. Laxat simoniam. 466. Observantiam Festorum. 490. Celebrationem Missæ cum mortali peccato. 502. Absolutionem à mortalibus. 513. Scientiam Confessarii. 550. Et conditionem apponendam absolutioni.

552. Absolutionem recidivi, & consuetudinarii, pag. 564. *Cruz* (Joannes de la O.P.) vindicatus, pag. 399. 499. 578. & 580.

D

D *Etractio*, à p. 388.
Dæmonis invocatio duplex, p. 436.
Diana (Antoninus Cler. Reg.) Casuistarum Bibliothecarius, p. 24. & 25.
Divinator quoad restitutionem, p. 409. & 436.
Doctrina. Sanguinaria compendium, p. 369. Principia, & confectaria, p. 382.
Dolor de peccatis, pag. 512.
Dominicani jubentur ab *Alex. VII.* expugnare Probabilismum. 78. Eorum ingenua confessio. 90. Qui, & quare nonnulli errarunt. 403. Nec plures simul faciunt sibi probabilitatem opinionis, cæteris contradicentibus, pag. 393.
Dubia, p. 7. 18. 395. 522. & 552.
Duellum, p. 346.

E

E *Qui vocati* quot in casibus permittantur à Probabilistis etiam juramento confirmati, p. 303.

Eccle-

Ecclesia sufficienter damnavit Probabilismum, p. 115. & seqq. Ejus autoritas. 126. & seqq. Præcepta, p. 473. & seqq.

Eleemosyna, p. 292. & 474. & seqq.

Elizalde (Michaël S. J.) jussus ab *Alex. VII.* & excitatus à Card. *Pallavicino* scribit contra Probabilismum, pag. 80. Eò sese exiit. 83. Materia doloris ejus. 90. Monitum pro inquirendo ac eligendo Confessario & Directore. 150. Atque pro evitandis libris Probabilistarum, pag. 203.

Episcopi indixere bellum Probabilismo, pag. 54. Litteras dant ad *Urbanum VIII.* P. M. contra laxitatem. 69. Vigin-ti quatuor refellunt Probabilismum. 78. Scribunt ad *Innoc. XI.* P. M. 92. Hispani declamant apud *Clem. XI.* P. M. 4. 12. 127. & 137. Nullus, quàm talis, & ex officio edixit Probabilismum, etiam si aliàs fuerit Probabilista, pag. 107.

Esparza (Martinus S. J.) auxiliatur Probabilismo, p. 89.

F

F *Agnanus* (D. Prosper enu-

merat 3000. Probabiles opiniones in uno *Diana.* 12. & laudat *Merendam*, p. 69.

Falsitas in moralibus perinde est, ac laxitas & pernicietas, in Prol. n. IX.

Fides. Credere fide divina, & humana, multiplex discrimen, pag. 44. & 46. Fidei divinæ præceptum. 206. Actus. 209. Confessio. 213. Ignorantia, 223. Simulatio, pag. 324.

Forum conscientie. Ejus correctio cum approbatione Definitorii, & acceptatione P. RR. Generalis, p. 111. & 118.

Fumus (Bartholomæus O. P.) Probabilismum aperte rejicit, p. 21. Vindicatus 21. 442. 499. 528. & 560.

Furtum, à p. 427.

G

G *Arassus* (Franciscus S. J.) prohibitus, p. 66.

Genettus. Theologia sua Moralitatis grata *Clem. XI.* P. M. pag. 106. Ingrata *Francolino*, pag. 564.

Gonzalez. V. *Tyrsus.*

Gradius (Stephanus) testimonium perhibet veritati formalis damnationis Probabilismi, curque *Alex. VII.* eam non perfecit, p. 80.

Qq 4

Guar-

Guarnaccius. Hujus notabile testimonium, p. 95.

H

H *Arduinus* (Joannes S. J.)

extetricatus à *Berruyerò*, & proscriptus, pag. 158. & 159. Illius opera, & commentarium in novum testamentum interdicta. 243. Ejusdem Propositiones nonnullæ, à pag. 243. ad 256.

Heissius (Sebastianus S. J.) de rebus politicis, & mutantis Regibus vult esse consulendos Jesuitas, p. 201. *Heretici*, p. 128. 171. 172. 202. & 578.

Homicidium ob defensionem vitæ, pag. 330. Honoris. 336. Et rerum familiarium, pag. 342.

B. Humbertus O. P. M. G. vindicatus, p. 426.

I

I *Ansenista*. His videtur favore doctrina *Vivæ*, pag. 133. Nequaquam Probabiliorismi Catholicorum, à pag. 70. ad 74. 94. & 127.

Javellus (Chrysothomus O. P.) vindicatus, p. 424.

Ignorantia in conflictu opinionum non est invincibilis, p.

44. 213. & 543.

Incommoda Probabilismi accusatus triumphans, p. 593.

Indulgentiæ, p. 531.

Infidelis, p. 171.

Innocentius X. P. M. proscritbit propositionem affirmantem, licere Idolum exterius & fictè colere, prætextu intentionis directæ ad Christi crucem occultam, p. 324.

Innocentius XI. P. M. Declaratio sui Decreti, pag. 46. & in Prol. n. VIII. & seqq. Robur suæ authoritatis adjicit ad propugnaculum Probabiliorismi. 10. 95. & 96. Per summam injuriam impactus ei Jansenismus: egregium ipsius alloquium pro Probabiliorismo, 96. Conscius libri *P. Tyrsi* mandatum dat Generali *Olivæ*, 97. Laudat librum *P. Tyrsi*. 98. Curat istius electionem in Generalem, ut destruat Probabiliorismum, ad idque illi jubet ut Magistrum præficiat in Collegio Romano: suam mentem ad idem aperit Jesuitis, pag. 100.

Innocentius XII. P. M. gaudet ad notitiam Decreti sui Prædecessoris quod inscius confirmarat, pro Probabiliorismo, p. 106.

Jubilaum, p. 530. & 586.

Ju-

Judex, p. 13. 51. 139. & seq. 143. & 146. 215. ac passim.

Juramentum, à p. 303. ad seqq.

L

L *Arraga* (Franciscus O. P.) emendatus, p. 113.

Laurea (Laurentius Brancatus de, Card. O. M.) dolet, probabilitatis involucro coonestari omnia, p. 12.

Ledesma (Petrus O. P.) vindicatus, p. 166. 399. 424. 472. & 561.

Lex, p. 32. & à p. 177. ad 205.

Lopez (Franciscus, Ludovicus, & Gregorius O. P.) vindicati, p. 476.

Ludovicus XIV. Rex Gallix cohibet Probabiliorismum, p. 95. & 137.

Luxuria, à p. 400. ad 426.

M

M *Abillonius* (Joannes) judicat moralium Summas, p. 202.

Magus, p. 436.

Matrimonium, p. 414.

Medina (Bartholomæus O. P.) vindicatus, p. 474. & 499.

Merenda (Antonius) usum Probabiliorismi appellat commentum Diaboli, p. 69.

Milbard (Petrus S. J.) à Sorbo-

na damnatus ob laxitatem, canit palinodiam, p. 66.

Minister Sacramenti Pœnitentiæ, à p. 549. ad 562.

Missæ. Ejus auditio, & celebratio, pag. 16. & 502. Stipendium. 505.

Molina (Petrus Joann. RR. M. Gen. O. M.) edicit ordinationem Capituli Gen. Mantuani contra Probabiliorismum p. 113.

Montaltius (Paschalis) suæ Epistolæ, p. 71.

Moralis Theologia parvipensa, p. 23.

Montañana (Paulus O. Capuc.) testis effati egregii Ven. *Innoc. XI. P. M.* p. 96.

Moya (Matthæus S. J.) imponit *Joanni Tabienfi*, *Cajetano*, & *D. Tbomæ*, pag. 15. *Baltanæ*, *Sylvestro*, & *Tabienæ*. 61. Illius opus ter damnatum. 74. Laudatum tamen à *La-Croix* & *Vivæ*. 76. Docet thesim 27. damnat. ab *Alex. VII.* 151. Imponit *S. Antonino*, & defendit doctrinam proscriptam ab *Innoc. XI.* Prop. 13. 14. & 15. p. 292.

Mutuum, à p. 448.

N

N *Nikel* (Goswius Gen. S. J.) commendat Probabilioris-

rif-

rismum, p. 79.

Nocetius (Carolus S. J.) probabilem deducit immunitatem ab obligatione ex probabilitate obligationis, p. 14.

O

Ocasio proxima, p. 537. & 577.

Officium canonicum, à p. 473.

Oliua (Paulus S. J. P. G.) *P. Tyrso* negat licentiam edendi librum contra Probabilissimum. Mandatum accipit à Pontifice, & abscondit, pag. 97. & 98. Inventum gratulatur Successor *Innoc. XII.* pag. 106.

Opinio. Probabilis perperam à Probabilistis dividitur in speculativè, ac practicè probabilem, pag. 17. & 514. Tutor in Sacramentorum administratione. 159. Probabiliter probabilis. 170. Probabilissima apud illos cultus Sinensium. 325. Attritio ex motivo naturali, & proposito non explicitum de cætero non peccandi pag. 512.

Orsi (Joseph Augustinus Card. O. P.) à *P. Cataneo* impugnatus pro restrictionibus mentalibus, pag. 322.

P

Palafox (Joannes Ven. E.) litteras mittit contra laxitatem ad *Innoc. X. P. M.* pag. 67. 78. & 555.

Pallavicinus (Sfortia S. J. Card.) hortatur *P. Elizalde* ad impugnationem Probabilissimi, quem retractat, p. 80. & 83.

Paludanus (Petrus O. P.) vindicatus, pag. 487. & 534.

Parochi Rothomagenses & Parisienses denuntiant Probabilistas, pag. 69.

Paschalis (Blasius) ejus Epistolæ, pag. 71. & 460.

Passionei (Dominicus Card.) ejus votum, pag. 88.

Pœna legales, pag. 193.

Pœnitens recidivus, pag. 563.

Concubinariis 574. Hæreticus, sollicitatus, & calumniarius 578. Complex in impudicitia, pag. 582.

Præcepta Ecclesiæ, pag. 473.

Princeps supremus. Sua potestas, & stabilitas, pag. 194.

Probabiliorismus. Imago sua, p. 6. Antiquitas. 21. Spiritus Ecclesiæ. 77. & 100. A S. S. D. N. *Clem. XIII.* P. M. vindicatus. 108. Jussus ab Ordine *S. P. Francisci.* III. & *M. P. Augustini.* 593. Jussus à *S. Ignatio*, & Successoribus, pag.

pag. 79.

Probabiliorista. Modus sese gerendi, pag. 6. & 7. Per summam injuriam vocati *Janse-nista*. 70. 87. & 94. Vindicati, pag. 127.

Probabilismus. Nexus cum laxismo, pag. 2. Indamnabiles reddit theses perniciosissimas, & ad praxim expedit, ibi. Promptuarium omnis fermè licentiæ, & canon illius, & consecraria mala, 3. Imago hodierni, qui moderatus dividitur. 6. Ejus nativitas. 20. Autoritas. 19. Recentes præfert veteribus, & modus convalendi. 22. Primi ejusdem præcones. 24. Extrinseca Probabilissimi auctoritas destruit intrinsecam. 32. Reflexismus. 36. Indoles. 52. Artes. 58. 218. 234. & 241. Ars perpetuè cavillandi. 6. Regnat 20. annorum spatio, & Clerici Regulares condunt primum Decretum contra illum. 64. Metaphysicè innocens, & victoriosus, ecurr. 66. Commentum Diaboli. 69. Ejus inventio & propagatio non est Jesuitarum propria. 72. Censurâ notatus à 24. Episcopis. 78. Ab *Alex. VII.* S. P. jussus expugnari animo damnandi eum. 80. Retractatus. V. *Aguirre*,

Elizalde, *Pallavicinus*, *Tyrsus*, *Cliquet*. Notatus ab Universalitate Pictaviensi. 91. Damnatus in præceptis 2. tabulæ. 95. Non eget Decreto Pontificio nominatim damnante. 104. & seqq. ac 122. Videtur de subjecto non supponente ad gloriam & honorem. 108. Correctus à pp. 111. & 113. Novam fingit faciem. 136. Frustrat damnationem Propositionum. 137. Similis Rhamno. 138. Est materia vendibilis. 142. Servator Hæreticorum. 172. Eximit ab obedientia. 182. Et à solutione tributorum. 190. Militat contra charitatem. 288. Et contra Religionem 324. Sibi blanditur de licita furtiva acceptione rei alienæ, pag. 427.

Probabilista. Modus operandi diversus à Probabilioristarum, pag. 8. Constituunt, quemlibet posse mutare sententiam suam. 9. Et unam opinionis partem nequire esse probabilem, probabiliorum, & securiorem, quin altera sit quoque probabilis. Cum addunt, in praxi non esse sequendam, intelligunt, esse pietati conformem. 16. Practicè ac speculative probabile distinguunt

vanissimè. 17. Quam requirant authoritatem ad opinionum probabilitatem. 19. Primi fatentur, neminem ante annum 1577. Probabilissimum propugnasse. 20. Moderatum tenuisse bona fide, ac innoxie. 23. Hodierni qui fuerint primi patroni, & propagatores. 24. Numerum, & qualitatem ad probabilitatem, inveniunt dumtaxat in suis, quorum laudes canunt. 25. & 28. Dum eis obijciuntur aliquorum opiniones absurdæ & scandalosæ, & ad alios suos non adeò laxiores se vertunt. 31. Sed nihil ipsis prodest. 1. & 471. Abutuntur ignorantia invincibili. 43. & 543. Principio illo, *melior est conditio possidentis*. 46. Et alio: *qui probabiliter, &c.* 47. Artes eorum. 58. & 87. Amant concertationes longas. 60. Palent propter Decretum *Alex. VII.* 83. Imponunt Jansenismum, & Deo gratias agunt pro varietate opinionum. 94. 96. & 99. Eludunt Decreta Pontificia. 120. & 136. Frustra exigunt formalem damnationem Probabilissimi, ut ei abrenuntient. 122. Aggrediuntur infallibilitatem R.P. 126. Conferuntur cum Jan-

senistis. 127. & 133. Ansumant Hæreticis calumniandi Ecclesiam. 128. Dedecori AA. vertunt, reperiri in horum libris propositiones damnatas. 136. Repressi à *Ludovico XIV.* Rege Christianissimo. 137. In vanum student disparitati Judicis à non Judice. 147. Propriis antilogiis fucum faciunt. 164. Frustrà fugere tentant à damnatione prop. 3. *Innoc.* 167. Afferunt, Hæreticum virtute Probabilissimi posse salvari in sua secta, & contradictoria prædicant pro partibus fidelium, & infidelium. 172. Lectio eorum & studium cautè habendum, praxis doctrinarum. 203. & 204. Grandiloquis vocibus proponunt sophisma. 211. Dilectionem Dei & proximi in non odium convertunt, 276. Usuram multipliciter cohonestant. 449. Ad justum lucri cessantis titulum non exposcunt actualem pecuniæ expositionem, sed destinationem negotiationi. 456. Profitentur non requisitam attentionem internam ad observantiam legum Ecclesiæ, pag. 491.

Propositio. Damnata ab *Alex. VII.* & *Innoc. XI.* Probabilissimum

condemnant. pag. 115. & 145. De damnatis ab *Alex.* I. 20. & 280. II. 246. & 376. III. & IV. 556. & seq. V. 578. VI. & VII. 581. VIII. IX. & X. à 505. XI. 522. XII. & XIII. 555. XIV. 487. XV. 431. & 534. XVI. 555. XVII. & XVIII. 340. XIX. 436. XX. & XXI. 473. XXII. 459. XXIII. 491. XXIV. 400. & 528. XXV. 529. XXVI. 13. 51. & 139. XXVII. 3. 46. 124. & 148. XXVIII. 177. XXIX. 491. XXX. 498. XXXI. 342. XXXII. 494. XXXIII. 445. XXXIV. & XXXV. 335. XXXVI. 555. XXXVII. 436. XXXVIII. 502. XXXIX. 457. XL. 400. XLI. 575. XLII. 448. XLIII. & XLIV. 388. XLV. pag. 194. Damnata ab *Innoc. XI.* I. pag. 117. 122. & 159. II. 51. 117. & 139. III. 46. 117. & 167. IV. 44. & 117. V. 277. VI. 282. VII. 276. & 290. VIII. & IX. 290. X. 280. & 287. XI. 280. & 286. XII. 292. XIII. XIV. & XV. 295. XVI. & XVII. 206. XVIII. 214. XIX. & XX. 209. XXI. 45. 210. & 213. XXII. & XXIII. 213. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. & XXVIII. 46. & 303. XXIX. 323. XXX. 336. & 342. XXXI. 345. & 374.

XXXII. & XXXIII. 346. XXXIV. 335. & 480. XXXV. ibi. XXXVI. 428. XXXVII. 436. XXXVIII. ibi. XXXIX. 457. XL. 450. XLI. 459. XLII. 448. XLIII. & XLIV. 388. XLV. 459. & 460. XLVI. ibi. XLVII. 469. XLVIII. XLIX. & L. 400. & 415. LI. ibi. & 416. LII. 488. LIII. ibi. LIV. 486. LV. & LVI. 509. LVII. 511. LVIII. 573. LIX. 537. LX. 569. LXI. 575. LXII. & LXIII. 537. LXIV. 223. & 226. LXV. pag. 206.

Propositum non peccandi, à p. 512. ad 514.

Prudentia, p. 47. & seqq.

R

R *Aynaudus* (Theophilus S. J.) injuriosus *Ildefonso à S. Thoma*, p. 67. Laudatur in Prol. n. IV.

Reflexivus Probabilissimi, à p. 36.

Restitutio, p. 427. & seqq. & 485.

Restrictio, à p. 304.

Richardus (Nicolaus O.P.) vindicatus, p. 522.

Ripalda (Joannes S. J.) Author prop. 21. & 23. proscriptarum ab *Innoc. XI.* p. 210. & 213.

S

S *Almanticenses* (O. C. D.) eorum doctrina de homicidio, pag. 337. De duello. 347. De occulta compensatione cum probabilitate debiti. 438. De Clericorum negotiatione per alios. 453. De recitante unum pro alio officium. 482. Et de absolutione concubinarum, pag. 575.

Sanchez (Joannes) Author proscriptus, p. 66. 324. & 574.

Satisfactio pro peccatis, p. 530.

Sanvidal (Jacobus S. J.) suos Doctores æquiparat *Angelico*, p. 27.

Señeri (Paulus S. J.) fatetur volens nolens Probabilissimi naturalem horrorem, & defectum, pag. 7. Adauget numerum AA. ad probabilitatem. 27. Paratus ad defensionem suorum AA. 29. Profitetur, usum opinionis probabiliter probabilis damnari in prop. 3. *Innoc. XI.* pag. 170.

Serra (Marcus O. P.) vindicatus, p. 166. 207. & 280.

Simonia, à p. 459.

Simulatio verbò, p. 303. & opere, p. 323.

Sirmondus (Antonius S. J.) præ-

ceptum charitatis appellat mandatum rigoris, docet prop. 7. damnatam ab *Innoc. XI.* & imponit *D. Thoma*, p. 278.

Soto (Dominicus O. P.) vindicatus, pag. 15. 347. 423. 472. 529. 542. 561. Et partim accusatus, pag. 343.

Soto (Petrus O. P.) vindicatus, p. 476.

Stadler (Daniel S. J.) ejus propositiones damnatæ à *Benedicto XIV.* p. 349.

Sylvester (Prierate O. P.) vindicatus, p. 487. 534. & 559.

T

T *Abiena* (Joannes Tabiensis O. P.) vindicatus, p. 15. & 577.

Terillus (Antonius S. J.) commentus est Probabilissimum præadamicum, & reflexivum, pag. 21. & 32. V. pag. 33. 87. 40. 120. 151. & 173.

Theatrum Jesuiticum injustè attributum *Ildefonso* à *S. Thoma*, p. 67.

Theologia Moralis parvi habita, p. 24. Origo laxæ, p. 89.

Thomas S. D. ejus doctrina sequenda à Jesuitis ex præcepto sui S. Fundatoris, pag. 65. Falsò citatus. 149. Injuriatus. 278. 287. & 341. Trunca-

catus. 350. Vindicatus, pag. 58. 400. 454. & 567.

Torreccilla (Martinus O. Cap.) malè interpretatur prop. 17. damnatam ab *Alex. VII.* p. 341. Delatus Sedi Apostolicæ in Prol.

Tributa legalia, à p. 160.

Turrecremata (Joannes O. P. Card.) vindicatus, p. 491. & 500.

Tyrannicidium, & regicidium, à p. 350.

Tyrsus (Gonzalez S. J. RR. G.) p. 10. 97. 100. & 103.

V

V *Azquez* (RR. Fr. Franciscus Xaverius Gen. O. A.) p. 112.

Vazquez (Gabriel S. J.) p. 43. & 400.

Victoria (Franciscus de O. P.) vindicatus, p. 499.

Viguerius (Joannes O. P.) vindicatus, p. 426.

Viteleschi (Mutius S. J. RR. Gen.) p. 64. & 65.

Viva (Dominicus S. J.) falsò abjudicat *Tamburino* prop. 1. *Alex. VII.* 16. 17. & 65. *Innoc. XI.* & adjudicat *Serra*, & *Bannezio*, pag. 207. Perpe-

ram excusat *Ripaldam* à damnatione prop. 21. *Innoc. 210.* Rursus imponit *Bannezio*, & *Serra*. 280. *Cajetano* 292. Perperam excusat *Amicum*. 341. Imponit *Soto*, *Armilla*, & *Araujo*, *Javello*, & *Ledesma*. 422. Iterum *Bannezio*. 430. Corruptit textum *D. Thoma*. 459. Eique imponit. 460. Atque *Petro Soto*, *Medina*, & *Lopez*. 474. *Candido*, *Paludano*, & *Sylvestro* 486. & 487. *Turrecremata*. 491. *Medina*, *Victoria*, *Armilla*, & *Joan. de la Cruz*. 499. *Cajetano*, & *Turrecremata*. 500. *Cano*, & *Dom. Soto*. 515. *Richardo*. 522. *Cano*, & *Fumo*. 528. *Dom. Soto*. 529. *Sylvestro*. 559. *Dom. Soto*, & *Ledesma*. 561. Et tandem *Cano* iterum, & *Jo. de la Cruz*, pag. 578.

Universitas Parisiensis, pag. 66. *Pictaviensis*. 91. *Lovanienfis*, pag. 94.

Usura, à p. 448.

Z

Z *Accaria* (Franciscus Antonius S. J.) p. 105. 122. 153. 492. & 498.

FINIS.

M E N D A S I C E M E N D A .

Pag. iv. lin. 8. *numera, lege, munera.* Pag. xvi. lfn. i. *animadver, lege, animadverte.* Pag. xl. lin. 31. *DEBEAT, lege, DEBEAT.* Pag. 7. col. 2. lin. 32. *re, lege, te.* Pag. 11. col. 2. lin. 34. *qua, lege, quas.* Pag. 19. col. 1. lin. 25. *en, lege, est.* Pag. 29. col. 1. lin. 1. *ingenii, lege, ingenti.* Ibid. *discursæ, lege, discussæ.* Pag. 57. col. 1. lin. 24. *respondeat, lege, respondeant.* Ibid. col. 2. lin. 18. *respondisti, lege, respondistis.* Pag. 70. col. 2. lin. 12. *quavis, lege, quævis.* Pag. 72. col. 2. lin. 27. *Jansenismi, lege, Jansenismi.* Pag. 74. col. 2. lin. 1. *etubescunt, lege, erubescunt.* Pag. 81. col. 1. lin. 20. *futuram, lege, futurum.* Ibid. col. 2. lin. 35. *elipere, lege, eligere.* Pag. 82. col. 2. lin. 18. *Vincentiu, lege, Vincentius.* Pag. 99. col. 1. lin. 18. *judidet, lege, judicet.* Pag. 112. col. 2. lin. 3. *Francisci Xaverii, lege, Franciscus Xaverius.* Pag. 125. col. 1. lin. 12. *&, lege, &c.* Pag. 167. col. 2. lin. 34. *TENUITUR, lege, TENUITER.* Pag. 191. col. 2. lin. 21. *cientissimum, judicetur, lege, cientissimum, ut judicetur.* Pag. 194. col. 1. lin. 23. *refert, lege, infert.* Pag. 199. col. 1. lin. 5. 34. *lege, 24.* Pag. 203. col. 1. lin. 11. *Ethiceu, lege, Ethicem.* Pag. 209. col. 1. lin. 17. *pare, lege, parte.* Pag. 237. col. 2. lin. 22. *ad, lege, ast.* Pag. 588. col. 2. lin. 8. *Jubæi, lege, Jubilæi.* Pag. 598. col. 2. lin. 7. *habens, lege, habentes.* Pag. 604. lin. 11. *Doctõrum, lege, Doctõrem.*

